

FAN
1156

R. P. TOBIA

INSTRUC

BIBLIOT

MANUA

CONCIONA

IN TRES TOMO

INSTRUCTISSIMA

BIBLIOTHECA MANUALIS CONCIONATORIA,

In Qua

DE VIRTUTIBUS, VITIIS, SACRAMENTIS,

Noviſſimis, aliisque ſimilibus materijs in Eccleſiaſtica Cathedra tractari ſolitis,

COPIOSA ET SELECTA PRO CONCIONIBUS,

Exhortationibus, aliisque ſpiritualibus Inſtructionibus materia,

NEMPE

DEFINITIONES, DIVISIONES, SENTENTIÆ SS. SCRIPTURÆ, & SS. Patrum, Hiſtoriæ ſacræ & profanæ, Similitudines, Motiva, Media, Doctrinæ Aſceticæ, Conceptus prædicabiles, Miſcellanea, Axiomata, & Proverbia, & tandem Loca Authorum fuſiùs de tali Materia tractantium, ex optimis quibusque Authoribus, ſingulari delectu & induſtriâ collecta, facilique, ordinatâ, & gratâ Methodo digeſta proponuntur.

Opus omnibus animarum Paſtoribus, nec non Divini Verbi Præconibus, & vitæ Aſceticæ Studioſis imprimis utile, & ad levandos Concionum labores accommodatum; cui præter alios Indices copioſus Index conceptuum brevium pro concionibus in Dominicis & Feſtis inſtituendis adjectus eſt.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

EDITIO QUINTA

Quàm plurimis Hiſtorijs memorabilibus, noviſque Titulis perutilem & curioſam materiam continentibus

TERTIA FERÈ SUI PARTE ADAUCTA

Operâ & Studio

R. P. TOBIÆ LOHNER
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI.

Sum

JESU CHRISTO,

VERO DEI FILIO

INCREATÆ PATRIS CÆLESTIS SAPIENTIÆ

ÆTERNO DEI VERBO,

OMNIUM SCIENTIARUM FONTI UBERRIMO,

LIBRO VITÆ OMNIA PRÆDESTINATORUM NOMINA EXPRIMENTI,

BIBLIOTHECÆ OMNI SCIENTIARUM GENERE INSTRUCTISSIMÆ,

Ex qua S. Bonaventura omnem ſuam doctrinam ſe hauſiſſe confeſſus eſt,

Cujus verba ſingula, apicésque ſpiritus & vita ſunt,

In qua Originales S. SCRIPTURÆ & SS. PATRUM atque DOCTORUM Sententiæ,

Omnium Virtutum EXEMPLA perfectiſſima,

PARABOLÆ ET SIMILITUDINES,

ſine quibus non loquebatur, ad Intellectum convincendum aptiſſimæ;

MOTIVA AC MEDIA

ad omnes virtutes aſſequendas efficaciſſima,

Breviſſimum & ſolidum totius Sacræ ASCESEOS ſeu doctrinarum ad perfectionem pertinentium Compendium,

R/3.176

CONCEPTUS PRÆDICABILES,
quales nullus hominum unquam locutus est,
MISCELLANEÆ ac FONTALES
omnium Sapientum doctrinæ,
Et AXIOMATA denique non tam mellifluo ore eructata, quàm efficaciſſimis exemplis confirmata,

Uberrimè velut in Fonte continentur,

Hanc ſuam Bibliothecam Manualem plurimùm adauctam, & quinto Typo feliciter expreſſam,

VELUT AVTHORI PRIMARIO
In æternam Beneficiorum acceptorum memoriam,
In perpetuam Debitoris obligatiſſimi Syngraphum,
In Amoris ardentiſſimi tenue argumentum,
In Deſiderij obſequioſiſſimi conſtantiſſimum pignus,
In æternum, ſempérque memorem ſummi ſui Benefactoris titulum,

Quamvis non ſine verecundia

OB MUNERIS ET OFFERENTIS VILITATEM,
Nec ſine timore

OB TANTAM ACCIPIENTIS CELSITUDINEM AC MAJESTATEM,

Magnâ tamen fiduciâ

OB NOTAM IPSIUS CLEMENTIAM ET BENIGNITATEM
Nec minus prompta voluntate

OB DEBITORUM EX IMMERITA MUNIFICENTIA CONTRACTORUM MULTITUDINEM,

EJUSDEM
Humillimus Servus, Indigniſsimus Diſcipulus, Obſtrictiſsimus Debitor,
Offert ex animo, Dicat ex debito, Dedicat ex amore,

Atque ut optatam Operi huic Benedictionem,
Ad illuſtrandum Legentium Intellectum,
Ad promovendam luſtrantium voluntatem,
Ad ſolidam utentium Delectationem
Largiſsimè, clementiſsiméque impertiri dignetur,
Humillimè rogat, impensè obſecrat, & ſupplicitor obteſtatur.

Auctor Libri
Secundarius.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Miraberis forsan, amice Lector, dum frontem, titulúmque Libri hujus inspicies, insolitam operis Nomenclationem, & unicum Librum pro integra Bibliotheca obtrudi tibi criminaberis. Sed facilè, ut spero, mirari, carperéque desines, si & scopum illius accuratiùs consideravis, & commodum, quod ex maxima quavis Bibliotheca sperare posses, ex hac sola Bibliotheca (quam, quia semper ad manum esse potest, Manualem *vocare placuit) ad votum reportare te posse perpendes. Quid enim, sive Ascetam te, sive Ecclesiasten profitearis, quid aliud, inquam, pro instruendis à te Discipulis vel Auditoribus ex Bibliotheca quantumcunque amplâ ac vastâ desiderare posses, quàm ut ejusmodi volumina, quæ ut aptos tibi pro concionibus formandis conceptus, seu Themata, ut vocant, suppeditent, & naturam virtutum, vitiorúmque, ac aliarum similium materiarum dilucidè explicent; & ad easdem sive persuadendas, sive dissuadendas, efficacia ex S. Scriptura, SS. Patribus & Doctoribus, Philosophis, Exemplis, Similitudinibus, aliísque rationibus petita testimonia, & argumenta suggerant, & tandem etiam media ad finem propositum obtinendum opportuna dictent? quanto autem labore & industriâ, temporéque opus tibi futurum credis, ut hæc omnia ex variis libris & Authoribus collecta in chartam transferas, atque in propositæ Exhortationis vel Concionis formam redigas? atqui hoc toto tam molesto, difficilíque labore hac, quam tibi instruxi, Manualis Bibliotheca te sublevabit, nam & conceptus tibi ut vocant, prædicabiles, quàm plurimos dictabit, & quidquid ad eos vel probandos vel dilatandos necessarium videtur, copiosè & ordinatè suministrabit.*

Non ignoro equidem similem laborem jam olim à Josepho Langio in Polyanthea, & Laurentio Beyrlink in theatro vitæ humanæ, aliísque fuisse susceptum, sed (quod cum venia tantorum virorum dixerim) præterquam quòd eorum Commentarij plurimas materias vix unquam usui tibi futuras contineant, multas verò, quas vel maximè desiderare posses, prætereant, hæc ipsa etiam utpote ante annos sat multos scripta, impressáque talia sunt, quæ appetitum tuum recentiorum ingeniorum, & gestorum fructus degustandi avidum satiare vix possint. Quare meritò laborem nec inutilem, nec ingratum tibi susceperum me existimavi, si Bibliothecam hanc tibi præpararem, & materiarum, quas desiderare posses, copiâ ac varietate fœcundam: & ordinata methodo ac distinctione, quas in iisdem proponendis observare studui, præditam: & rerum denique selectu, quem velut præcipuum scopum singulariter semper ob oculos habui, copiosè instructam.

Habes ergo: ut breviter tibi singula enumerem, materias propè omnes, quæ tibi sive in publicis Concionibus explicandæ, sive in privatis Institutionibus tractandæ videbuntur, puta Virtutes *ac* Vitia, *& quæ ad horum sive plantationem, sive evulsionem conducere possunt, copiosè & ordinatè digestas, nec eas etiam, quæ rariori in casu occurrere possunt, prætermissas.*

Habes Naturam *seu* definitionem, divisionem, actus, gradus *&* Proprietates *singulorum dilucidè explicatas.*

Habes sententias S. Scripturæ *&* SS. Patrum *selectissimas, atque ut commodiùs tibi servire queant, in suas classes, quas plerumque qualitas (per quam nihil aliud, quàm essentiam seu naturam cujusvis rei intelligo) necessitas, utilitas, æqualitas, dignitas, jucunditásque, vel eorum opposita distinguunt, distributas.*

Habes Exempla *&* Historias *tam veteres quàm recentes in triplicem iterum classem distinctas, quarum prima historias* Catholicorum, *seu eorum, qui veram Religionem tenuerunt (quæ ad distinctionem sequentium Exemplorum* Externa *appellare placuit) altera* Domesticorum, *seu eorum, qui minimæ nostræ Societati adscripti sunt (in quorum solatium & incitamentum seorsim hæc Exempla enarrantur) tertia verò* profanas, *id est Philosophorum* Ethnicorum, *aut aliorum verum DEUM ignorantium complectitur.*

Habes

Habes Similitudines *aptissimas unà cum* Motivis *ad scopum, quem persuadere intendis, persequendum efficaciter allicientibus: & Mediis ad illum facilè, felicitérque assequendum non modicè conducentibus.*

Habes doctrinas Ascéticas *solidas, & in iis brevem synopsin plerumque dogmatum, quæ de quavis virtute, ac vitio, aut aliâ simili materiâ ab Asceticis Doctoribus in schola affectûs præscribuntur.*

Habes Conceptus prædicabiles, *seu* argumenta *Concionum (in quibus aliqui non modicam difficultatem se experiri confitentur) non simpliciter duntaxat proposita, sed magna ex parte in concionis formam & dispositionem redacta, & ex ingeniosissimis Authoribus excerpta.*

Habes Miscellanea, *id est dicta & facta Sapientum, Fabulas, Apologos, aut alias ejusmodi materias, quæ condimenti loco interdum solent immisceri, nec tamen ad ullum ex prioribus titulis commodè revocari poterant.*

Habes Axiomata *tum latina, tum germanica (nam utraque tibi servire posse credebantur) ex plurimis aliis, quæ passim ab Authoribus congeruntur studiosè selecta.*

Habes denique Authores *&* Libros, *qui de simili materia fusiùs scripserunt, diligenter indicatos, ut ad illos, si placuerit, velut ad fontes recurrere, plurésque de materia proposita doctrinas haurire possis.*

Quid ergo superest, nisi ut verè oblatam tibi Bibliothecam Manualem *fatearis; & ne frustra hanc nomenclationem sortita sit, ad manum constanter habeas, itáque utaris, ut nec me laboris non modici sanè in ea instruenda suscepti, nec te operæ in ea evolvenda impensæ pœniteat.*

Ante verò, quàm operi manum adjiciam, de tribus te, amice Lector, præmonitum velim. Primum est, me ab initio Bibliothecam hanc in quatuor Tomos juxta materiarum diversitatem divisisse; postea in secunda editione ordinatiorem, & usui magis accommodatam Methodum observâsse, dum omnes materiæ, quæ ob Tomorum multiplicitatem difficilem nonnihil Titulorum inventionem faciebant, in unum Tomum congestæ, & ordine Alphabetico sunt propositæ. Tandem verò quia Auctarium interea dictæ Bibliothecæ Tomum aquè grandem typo commiseram, ex utroque hoc tomo unum, ut aliqui vehementer desiderabant, confecisse, totque historiis, titulísque auxisse, ut prima editio per hanc quartam tertia ferè sui parte adaucta videri queat.

Secundum est, me Authores quidem pro singulis materiis potiori ex parte in margine citaturum, sed quia proprios ubique fontes inspicere in tanta rerum farragine, & varietate operosum nimis, & ob defectum Authorum citatorum propè impossibile fuerat, sub ea fide, quam Authores, ex quibus materias collegi, merentur, propositurum, id quod possim etiam ab aliis, qui Tomos grandiores typo commiserunt, factum esse adverto.

Tertium est, me in opere hócce, vix quidquam ex meo sensu, sed omnia propriis Authorum verbis propositurum. Neque ab hoc labore me absterreri sum passus, quòd propterea aliqui me corniculæ alienis plumis superbienti fortè sint comparaturi; nam cùm utilitatem duntaxat, & laboris in comparanda pro Concionibus materia facilitatem hoc opere quæsierim, abundanter me scopum meum attigisse, existimabo, si materiam talem undecunque tandem collectam obtulero, perinde ac beneficus utique censeretur, qui Bibliothecam alicui instrueret, libris non proprio ære coëmptis, aut à se compositis, sed aliorum liberalitate, donóque acceptis locupletatam. Multò minùs verò eorum crisis me morabatur, qui Polyantheam Josephi Langij à me descriptam ac recusam criminabantur, nam qui librum hunc cum illa comparârit, facilè videbit, & materiam, & titulos longè diversos esse, & vix paucas esse sententias & historias, quæ inde excerpi potuerint, eásque ipsas in meliorem ordinem pro faciliori usu à me fuisse redactas. Tu ergo, mi Lector, animo magis benevolo, mitioréque censurâ hoc libro utere, & de eodem illud pij Asceta effatum applica: Non quære, quis hoc dixerit (vel scripserit) sed quid dicatur, attende. Quærere námque potiùs debemus utilitatem in scripturis, quàm subtilitatem Sermonis, & Authoris qualitatem.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Selavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Augustalis est munificentiæ, eorum, qui publicis insudant utilitatibus, curas, vigilias & labores benigniore Cæsarei favoris affectu suscipere adjuvandos tuendósque. Cùm itaque venerandæ Societatis JESU Pater Provincialis Superioris Germaniæ nobis humillimè exposuerit, quòd, licèt à sacratissimis Imperatoribus, Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ & Ferdinandis II. & III. Dominis, Magnis Propatruelibus respectivè, Avo ac Genitore prædecessoribus nostris gloriosissimæ memoriæ privilegio donata fuerit, ne libri à Patribus dictæ Societatis, unà cum imaginibus per typos emissi, passim à quibuslibet Typographis & Sculptoribus imprimerentur, & pro libitu evulgarentur citra consensum ejusdem Societatis; nihilominus illa experiatur adhuc indies hac in re magno se affici incommodo, dum libri quidam à suis Patribus elucubrati, improbantibus ac reluctantibus Auctoribus eorum in toto & in parte à lucripetis quidusdam Typographis subindè etiam corruptè recudantur, & quidem sub prætextu privilegij à Nobis desuper obtenti, & hujusmodi libris à Societate JESU scriptis, temerariè præfixi, in lucem prodeant cum magno Authorum incommodo, atque etiam, si res mala in exemplum abeat, non sine gravi Religionis Catholicæ præjudicio; adeóque Nos demississimè, pariter ac enixissimè rogârit, ut privilegium antehac gratiosissimè concessum nostrâ etiam auctoritate de novo confirmare, corroborare & contra recentem illam audaciam declarare clementissimè dignaremur. Nos benignè considerantes, quàm gnaviter & strenuè dicti Patres in Vineâ Dominicâ excolendâ, Catholicæ Religionis pomeriis proferendis desudent; tum etiam quantum Christianæ rei interfit, ut Catholicorum libri ac scripta & imagines hujusmodi à Catholicis & probatis Typographis & Calcographis cum Theologorum censurâ edantur, humillimis ipsius Patris Provincialis precibus eò annuimus libentiùs, quò certiùs Nobis constat, quòd omnium ipse Scriptor optimè libros suos, ne Religioni, authoribúsve injuria, aut fraus aliqua inferatur, censere & recensere noverit. Ideóque privilegium à præmemoratis Augustissimis Cæsaribus Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ Ferdinandis II. & III. Dominis nostris Propatruelibus Magnis respectivè Avo ac Genitore sacratissimæ recordationis, dictæ Societati concessum clementer confirmantes & corroborantes, nec non declarantes nostræ intentionis nunquam fuisse, nec esse, ut in privilegiis Impressoriis ad edendum quibuscunque aliis hactenus concessis vel in futurum concedendis includantur, aut inclusa comprehensáque intelligantur, libri ab authoribus è sæpè laudatâ Societate JESU scripti, nisi in Concessione aliquâ expressa & specifica eorum mentio fuerit facta; Ac proinde auctoritate nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis Calcographis, Sculptoribus, atque aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò vetamus, atque inhibemus, ac jam antè vi sæpe dicti privilegii vetitum & prohibitum fuisse declaramus, ne quis libros, vel æri insculptas imagines, ac scripta ab ipsis Patribus hactenus edita, vel imposterum edenda, ne quidem prætextu ullius privilegii, nisi, ut præfertur, intra sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Provinciarum nostrarum hæreditariarum fines simili vel alio characteris genere aut formâ, sive in toto, sive in parte, recudere, sculpere, vel aliò recudenda, sculpendáve mittere, aut impressa vel sculpta adducere, vendere aut distrahere, clàm seu palàm, citra præmemorati Patrum consensûs indicium, ac testimonium, quod Nobis, cùm nostrum impetrare privilegium volent, ostendere teneantur, audeat vel præsumat. Si quis autem secus faciendo privilegium hoc nostrum, & Divorum Antecessorum nostrorum temerario quodam ausu negligere, transgredi aut violare non fuerit veritus, is non solùm prædictis libris & iconibus, perperam quippe recusis & adductis (quos prænominati Patres, eorúmve Mandatarii ubicunque locorum deprehensos, vel propriâ auctoritate, vel Magistratûs illius ope & auxilio sibi vendicare poterunt) de facto privandus, sed viginti insuper marcarum auri puri puti probi Ærario sive Fisco Imperiali, fraudis nimirum vindici ex uno, ex altero semisse sæpè dictis Patri-

bus

bus eorúmve Mandatariis, omni spe veniæ ac remissionis præcisâ pendendarum mulctam dare damnatus esto. Hanc tamen legem ac conditionem expressè ac disertim adjicimus, ut omnium & singulorum Operum, seu librorum quaterna ut minùs exempla ad Cancellariam nostram Imperialem quamprimùm per eosdem Patres, vel Typographum privilegij hujus beneficio uti volentem, transmittantur. Mandamus ergo omnibus & singulis nostris ac sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunque statûs, ordinis, dignitatis, conditionis ac fortunæ existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superiorum nomine, & loco jus dicunt, ac justitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc privilegium nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscriptâ pœnâ puniri, aliísque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio literarum, manûs nostræ subscriptione: & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum, quas dedimus in Civitate nostra Viennâ die sextâ Maji, Anno millesimo, sexcentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Romani decimo nono, Hungarici vigesimo secundo, Bohemici verò vigesimo primo.

LEOPOLDUS

V. Leopoldus Guilielmus
Comes de Königsegg.

(L.S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.
Christoph Beüer.

PRIVILEGIUM ET FACULTAS

Adm. R. P. Præpositi Provincialis Soc. JESU per Provinciam Superioris Germaniæ.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis rescripto, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs, quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmitérque inhibeatur, ne quisquam libros à Societatis JESU Patribus editos, vel imposterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut formâ sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi jam impressos adducere, vendere, & distrahere, clàm seu palàm, citra consensum ac testimonium suprà dictorum Patrum audeat vel præsumat; Ideo Ego Benedictus Painter Societatis JESU per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, juxta potestatem mihi ab Adm. Reverendo Patre nostro Joanne Paulo Oliva, ejusdem Societatis JESU Præposito Generali factam, Domino Joanni Casparo Bencard, Bibliopolæ Dilingano Academico, ejúsque Hæredibus seu Successoribus, omnes prædictæ Typographiæ hactenus concessas, & usurpatas facultates concedo, libros à Patribus nostræ Societatis conscriptos, singulariter

R. P. Ernrici Pirhing S. J. Commentarium in quinque Libros Decretalium.

R. P. Tobiæ Lohneri Institutiones Practicas. &c. &c. &c.

Cæterósque omnes tam Scholasticos, quàm non Scholasticos antehac Dilingæ, cum simili Cæsareo Privilegio editos, & in futurum scribendos, cum consensu Societatis JESU recudendi, vel de novo edendi, liberam potestatem facio. Eidémque & ipsius hæredibus Privilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, eatenus indulgeo, ut Societate, & ipso invitis, nemo supradictos libros recudere, nemo intra Sacri Romani Imperij fines, & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Et quia prædictis libris jam antea editis, aliquos sine licentia Societatis JESU, in grave nominatæ Typographiæ, & Prædicti D. Joannis Caspari Bencard præjudicium, & detrimentum, nonnulli recudere præsumpserunt; Eidem Domino Joanni Casparo Bencard de damnis illatis querenti omnia hujus generis Privilegia hactenus illi Typographiæ competentia, & à prædecessore meo in ipsum collata, tribuo & confirmo: Ut ijsdem omni meliore modo, contra ante dictos, & quoscunque alios illius Cæsarei Privilegij Violatores utatur, & indemnitati suæ consulat, in librorum ante memoratorum, aliorúmque cum suprapositio Societatis JESU consensu Dilingæ impressorum, ac imprimendorum distractione. In quorum omnium fidem, ac testimonium, has meâ manu subscripsi, ac Sigillo mei officij communivi. Dilingæ 22. Junij. Anno 1676.

BENEDICTUS PAINTER, S. J.

CATA-

CATALOGUS POTIORUM

Authorum in hoc Libro citatorum.

A.

Abbas Abſalon.
Abdias Babyl. Epiſc.
Acta Mediolanenſia.
Adrichomius.
F. Ægidius Ord. Min.
Ælianus Claudius.
Æmilius Paulus.
Agellius.
Alanus.
Albertinus.

S. Albertus Magnus Ratiſb. Epiſc.
Alcuinus.
Aldrovandus. Ulyſſes.
Alegambe Philippus. S. I.
Alenſis.

ab Alexandris Alexander.
B. Algerus. Ord. Benedict.
Alvarez Jacobus. S. I.

S. Ambroſius Mediol. Epiſc.
Amphilochius Iconii Epiſc.
Andries Jacobus. S. I.
Androtius Fulvius. S. I.

B. Angela Monialis
Annales Ciſtercienſes
Annales variorum Ord.
Annuæ Auſtriacæ.
Annuæ Granatenſes
Annuæ Mechlinienſes
Annuæ Neapolitanæ.
Annuæ Poloniæ
Annuæ Philippinæ.
Annuæ Taurinenſes

S. Anſelmus. Cantuar. Epiſc.
S. Antiochus.

S. Antonius. Florent. Epiſc.
S. Antonius Paduanus.

Apophthegmata variorum.
Apulejus Lucius.
Aquaviva Claud. S. J.

S. Aquinas Thomas. Ord. Præd.
S. Areopagita Dionyſ.
Areſius.
Arias Franc. S. I.
Ariſtoteles.

S. Arnoldus Carnot. Abbas.
Aſterius

S. Athanaſius. Alexandr. Epiſc.
Athenagoras
Athenæus
Aventinus Joan.
Avila Joan.

S. Auguſtinus Aurelius Hippon. Epiſc.
Auſonius Decius Magnus.
Author operis imperfecti.
Azor Joan. S. I.

B.

Baëra Didacus. S. I.
Baierius Nicol.
Baldellus Nic. S. I.
Baldeſanus Guil.
Balinghem. Ant. S. I.
Balſamon Ignat. S. I.
Baronius Cæſar. Card.
Barradius Sebaſt. S. I.
Barrius Paul. S. I.
Bartoli Daniel. S. I.

S. Baſilius Mag. Cæſar. Ep.
Becanus Mart. S. I.

V. Beda Presbyter Ord. Ben.
Bellarminus Rob. S. I. Card.
Bellovacenſis Vinc. Ep.
Bellovíſo Armandus.
Berchorius.

S. Bernardinus. Sen. Ord. Min.
Bernardinus de Buſtis
S. Bernardus Abb.
Beſlæus. Petrus.
Beyerlinck. Laur.
S. Biblia.
Bibliotheca P.P.
Bibliothecæ Script. S. J.
Billius Jacobus.
S. Birgitta.
Le Blanc. Thomas S. I.
Bleſſenſis Petrus.
Bloſius Lud. Ord. Bened.
Boëtius. Anicius Manlius.
Bohemus Joannes.
Boiterus.
Bollandus Joannes. S. J.
Bona Joannes Card. Ord. Ciſterc.
S. Bonaventura. Ord. Min. Card.
Bonartius.
Bonifacius Joan. S. I.
Borromæus Carolus Card.
Boverius Zacharias Ord. Capuc.
Bourgheſius. Joan. S. I.
Bozius Thomas.
Bredenbachius Tilman.
Breviarium Romanum.
Bromiardus. Joan. Ord. Præd.
Brunner Andreas S. I.
Briſſonius.
S. Bruno Ord. Carth. Fundat.
Bourgenſis.
Buchlerus. Joan.
Buſæus. Joan. S. I.
Buſembaum Herman. S. I.
de Buſtis Bernardin. Ord. Min.
Bzovius.

C.

Cæſarius. Arelat. Ep.
Cæſarius Heiſterb. Ord. Ciſt.
Cæſar Wittenbergenſis.
Cajetanus.
Caniſius Pet. S. J.
Cantipratanus Thomas Ord. Præd.
Caraffa Vincentius. S. I.
Carbo Ludovicus.
Carthagena Joan. Ord. Min.
Caſſianus Joan.
Caſſia Simon.
Caſſiodorus M. Aurelius.
Caſtillo.
P. Catharina. Bonon.
S. Catharina Senen. Ord. Præd.
Cato.
Catullus M. Valerius.
Cauſinus Nicol. S. I.
Celada. Didacus. S. I.
Cellenſis Petrus Abbas.
Ceparius Virgilius S. I.
Chavaſſius Balth. S. I.
Chromatius Aquileg. Ep.
Chronicon S. Franc.
Chryſologus Pet. Raven. Ep.
S. Chryſoſt. Joan. Conſtant. Ep.
Chronologiæ variæ.
Cicero M. Tullius.
S. Clemens. Rom. Papa.
S. Clemens Alexand. presb.
S. Climacus Joan.
Comes Natalis.
Concilia diverſa.
Cornelius à Lapide. S. I.
Coſterus Franc. S. I.
Cranzius Albertus.
Crombecius Joan. S. I.
Cromerus Martinus.
Curtius Q. Ruf.
S. Cyprianus Cæcil. Carth. Ep.
S. Cyrillus Alexand. Ep.
S. Cyrillus Hieroſol. Ep.

D.

Dadræus Joan.
S. Damaſcenus Joan.
P. Damiani Pet. Card.
David. Joan. S. J.
Daurolrius Anton. S. I.
Decreta Eccleſiæ Galliæ.
Delrio. Mart. Ant. S. I.
Diaconus Joan.
Diadochus Photices. Ep.
Diana Antoninus.
Dio Caſſius
Diodorus Siculus
Dionyſius Carthuſianus
Diſcipulus V. Herold.
S. Dorotheus Archimandrita
Drexelius Jerem. S. I.
Durandus.

E.

Eboracenſis Guilielmus.
Eborenſis And.
Edinerus.
Elias Cretenſis.
P. Elredis.
Engelgrave. Hen. S. I.
P. Ennodius Ticin. Ep.
S. Ephrem. Diaconus.
Epictetus Philoſophus.
S. Epiphanius. Salamin. Ep.
Epiſtolæ & Litteræ variæ.
Equilinus Pet. V. de Natalibus.
Eraſmus Deſiderius. Roterod.
Evagrius Scholaſticus.
Eucharius.
Eugenius.
Eviratus. V. Moſchus.
Euſebius Emyſſenus.

Euſebius. Cæſar. Epiſ.
Euſebius Nierenbergius S. J.
Euthymius Zigabenus.
B. Eutychianus.

F.

Faber Matthias S. J.
Fatius Julius S. J.
Fauſtus Rhegien. Ep.
Felix. M. Minutius. J. C.
S. Ferrerius Vinc. Ord. Præd.
Florilegium.
Florimundus Remondus.
Franciotti Cæſar.
S. Franciſcus Seraphicus.
Francus Abbas.
S. Fulgentius Ruſpen. Ep.
Fulgoſus Joan. Baptiſta.
Fullonius Joannes Erardus S. J.

G.

Gailer. Kayſersberg. Joan.
Gaudier. Ant. S. J.
Gaulterius Jac. S. J.
Gellius Aulus.
Gennadius. Maſſil. Ep.
S. Germanus. Conſtant. Patr.
Gerſon Joan. Ord. Ciſterc.
S. Gertrudis Ord. Ben.
Giardinus.
Gillibertus.
Gloria S. Ignatii.
Goar Jacobus.
Gobat. Georg. S. J.
Granatenſ. Lud. Ord. Præd.
S. Gregorius Magnus Papa. I.
S. Gregorius Nazian. Ep.
Gregorius Nicomedienſ.
S. Gregorius Nyſſenus Ep.
S. Gregorius Taumat. Neocæſ. Ep.
Greg. Toloſanus.
S. Gregorius Turonenſ. Ep.
Guido. Bituric.
Guarricus Abbas.
Guilielmus. Paris. Ep.

H.

Hajus. Joan. S. J.
Hartung. Philippus S. J.
Hautinus Jac. S. J.
Haymo.
Hayneufue. Julianus S. J.
Herold. Joan. Ord. Præd.
Herodotus Hiſtoricus.
Heſiodorus Aſcræus.
S. Hieronymus D. Eccleſ.
S. Hilarius. Pictav. Ep.
S. Hippolytus Port. M. Ep.
Hiſtoria S. J.
Hiſtoriæ & Vitæ variæ.
Hiſtoria Lauſiaca. V. Palladius.
Holkot Robertus.
Horatius, Q. Flaccus.
Hugo Cardinalis.
Hugo Carnotenſis
Hugo Victorinus
Humbertus. Ord. Præd.

I.

Jacobus de Voragine
Janſenius
Jarricus P. S. J.
Jdiota ficto nomine
S. Ignatius Antioch. Ep. M.
S. Ignatius Loiola S. J. Fund.
S. Ildephonſus Tolet. Ep.
Imago 1. ſæculi S. J.
Inchinus. Gabriel.
de Indagine. Joan. Ord. Præd.
Innocentius III. Papa.
ab Inſulis Mich.
Joannes à S. Maria.
P. Jordanus.
Joſephus Judæus.
Jovius Paulus.
S. Irenæus Lugd. Ep. M.
Iſaac Presbyter
S. Iſidorus Hiſpal. Ep.
Iſidorus Peluſiota
Italicus Silius.
Ivo Carnot. Ep.
Juſtinianus Bern.
S. Juſtinianus Laurent. Venet. Patr.
Juſtinianus Fabianus
S. Juſtinus Philoſophus M.
Juſtus Orgelitanus.
Juvenalis. Decius.

K.

Kempenſ. Thomas. Can. Reg.
Kepplerus Laurentius S. J.
Kircherus Athanaſius S. J.
Kiſſelius Philippus S. J.

L.

Labata. Franc. S. J.
Laberhittel. Samu. S. J.
Lactantius Firmianus
Laërtius Diogenes.
Lamparter. Hen. S. J.
Lancitius Nicol. S. J.
Landspergius
Langius Joſephus.
à Lapide Cornel. S. J.

Latinus Pacatus
Laurentius Presbyter.
Legenda SS. V. à Voragine.
S. Leo Magnus Papa
Leontius. Neapol. Ep.
Leſſius Leonardus S. J.
Lincolnienſis. Guil.
Lippelous Zach. Ord. Carth.
Lipſius Juſtus.
Liranus Nicolaus.
Livius Titus.
Lenzona.
Lorinus Joannes S. J.
Ludovicus de Saxonia.
Lucifer. Calarit. Ep.
Lugo Joannes S. J. Card.
Lycoſthenes Conradus.
Lyræus Adrianus. S. J.
Lyræus Nicolaus S. J.
Lyrinenſ. Vinc.

M.

S. Macarius Senior.
Macrobius Aurelius
Madrilienſis Alphonſus.
Maffejus Joan. Pet. Soc. Jeſ.
Majolus Simon. Vultuar. Ep.
Major Joannes S. J.
Malacenſes litteræ
Mancinus Leopoldus S. J.
Manni Auguſtinus.
Manſi Joſephus
Marchantius Jacobus
Mariana Joan. S. J.
S. Martialis Lemovic. Ep.
Martialis C. Valerius.
Marulus Marcus.
S. Maximus Cæſar-aug. Ep.
Maximus Valerius.
Mearra. Hier. Ord. Cler. Reg.
S. Mechtildis Ord. Ben.
S. Melchiades Papa.
Meffret.
Mendoza Franc. S. J.
Menologium Ciſterc.
Menologia Ordinum.
Mercurius Gallicus.
de Meſſia Petrus.
S. Methodius. Tyri Ep. M.
Michael de Bononia.
Michovienſ. Juſtinus.
Mimus Publius.
Molina Ludovicus S. J.
Morus Thomas.
Munfordus Jac. S. J.

N.

Nadaſi Joan. S. J.
de Natalibus Pet. Equil. Ep.
Navarrus Pet.
Nauclerus Joan.
Nicephorus Calliſtus.
Nicetas Choniates.
Nicius Janus. S. J.
Nicolaus I. Papa
Nider. Joan. Ord. Præd.
Nieſs. Joan. S. J.
Nigidius Placidus.
Nigronius Julius S. J.
S. Nilus Conſtant. Ep. M.
Niernbergius Jo. Euſ. S. J.
Novarinus.
Nuza.
Nyſſenus Didacus.

O.

Oecumenius
Olaus Magnus
Oleaſter
Olympiodorus Alexandrinus.
Onſelius.
Origenes Adamantius
Orlandinus Nicol. S. J.
Oſorius Joan. S. J.
D'Outreman. Philipp. S. J.
Ovidius Naſo. Publius.

P.

Pacianus Barcinon. Ep.
S. Paduanus Ant. Ord. Min.
Palladius Helenop. Ep.
Panormitan. Ant.
Paoletti. Hug. Ord. Aug. Erem.
S. Paſchaſius
S. Paulinus. Nolanus Ep.
Paulus de Palatio
Pelbartus. Ord. Min.
Pelecyus. Joan. S. J.
Pennequin Pet. S. J.
Peraldus Guil. Lugd. Ep.
Pererius Bened. S. J.
Perſius. Aulus.
Petrarcha Franc.
Petronius Arbiter
Petrus Crinitus.
Philippus à S. Trinitate.
Philippus de Marinis.
Philo Judæus
Pierius Joannes
Pineda Joannes S. J.
Pinellus Lucas S. J.
Pintus Hector.
Piſtorius Georg.
Platina Joan. Bapt.
Plato Philoſophus.
Platus Hieronymus S. J.
Plautus M. Accius
Plinius uterque
Plutarchus Chæronenſis.

Poiræus Franc. S. J.
Polidorus
Politianus Angelus
Polonus Martinus
Pontanus Jac. S. J.
Pontanus Jovianus
de Ponte Ludovicus S. J.
Pontificiale Romanum
Pratum Spirituale
Primasius Africanus Ep.
Probus Æmilius
Proclus Cyricen. Ep.
Procopius Cæsarienſis.
S. Proſper Aquit. Rheg. Ep.
Prudentius Aurelius
Pythagoras Samius.

Q.

Quintilianus.

R.

Rabanus Maurus Mog. Ep.
Radau Mich. S. J.
Raderus Matthæus S. J.
Ravennas Pet.
Rau Georg. S. J.
Raynaldus
Reynaudus Theoph. S. J.
Recupitus
Relatio Japonenſis
S. Remigius Rhem. Ep.
Remondus Franciſc. S. J.
Remundus Florimundus
Rho Gerardus
Rho Joannes S. J.
Rhodiginus Cælius
Ribadeneira Petrus S. J.
Ribera Franc. S. J.
Richardus de S. Victore Can. Reg.
Richel V. Carthuſianus
Richeomus Ludovicus S. J.
Riſſe
Roa Martinus S. J.
Rodriquez Alph. S. Joan.
Roſignolus Bernardinus S. J.
Roſweydus Heribertus S. J.
Roth. Hugo S. J.
Ruffinus Aquil. presb.
Ruiz. Didacus S. J.
Rupertus Abbas
Rupertus Tuitienſ. Abb.
Rusbrochius Joan.

S.

Sabellicus M. Ant. Coccius
Salazar
S. Saleſius Franc. Geben. Ep.
Salianus Jac. S. J.
Salmeron Alphonſus S. J.
Salvianus Maſſilien. Ep.
Salutius Barth. Ord. Min.
Sanchez Pet. S. J.
Sanctius
Sandæus Maximil. S. J.
Sanderus Nic.
Santiure Joan. Baptiſt.
Savanarola
de Saxonia Ludo. Ord. Carth.
Scherer Georg. S. J.
Schola Salernitana
Schwartzenberg Joan.
Scortia Joan. Bapt. S. J.
Scribanius Carolus S. J.
Sedulius C. Cælius
Seneca Lucius Annæus
Senenſis Sixtus
Serarius Nic. S. J.
Severus Sulpitius
Sidonius Apollinaris Arver. Ep.
Sigonius Carolus
Silvanus Razius
Sylveſter Prieras Ord. Præd.
Sixtus III.
Smaragdus Abbas
Socrates Philoſophus
Solier Franc. S. J.
Solinus C. Julius.
S. Sophronius Hieroſol. Ep.
Spinellus Pet. Ant. S. J.
Spondanus Hen.
Stapletonus Thomas
Staudacher Michael S. J.
Stella Didacus Ord. Min.
Stellarium B. V. V. Pelbartus
Stengelius Georg S. J.
Stephanus Cantuarienſis
Stobæus Joannes
Stimuli Virtut. V. Baldeſanus
Strada Famianus S. J.
S. Studita Theodorus
Suarez Franc. S. J.
Suetonius C. Tranquillus
Suidas Junior
Sulpitius Severus
Surius Laurentius Ord. Carth.
S. Suſo Henricus
Sylvius Æneas
Symmachus
Syneſius Ptolemaidis Ep.

T.

Tacitus C. Cornelius
de Tambaco Joan. Ord. Præd.
Tanner Adamus S. J.
Taulerus Joan. Ord. Præd.
Tauſch. Caſparus S. J.
Teleophorus Papa M.
Terentianus
Terentius Publius
Tertullianus Q. Septimius.
Textor Joan. Raviſius
Theodoretus Cyriæ Ep.
Theodorus
Theophylactus Bulgar. Ep.

S. Thereſia
à S Thereſa Elias Ord. Carmel.
Toletus Franc. S. J.
Tollenarius Joan. S. J.
Toſtatus Alph. Abulenſ Ep.
Triſmegiſtus Mercurius
Trithemius Joan. Abb.
Trigautius Nicol. S. J.
Triverus
Turrenſis Lucas Ep.
Turrecremata.
Turſellinus Horat. S. J.
Tympius Matthæus.

V.

S. Valerianus Ep.
Varro M. Terentius
Vega Pet. Ord. Hieron.
Venantius
Viexmontius Claud.
Victor Antiochenus
S. Villanova Thom. Valent. Ep.
Viguerius
Vincentius Juſtinianus
Virgilius Publius
Vitæ Patrum, & aliorum.
Vitæ Prædicatorum
Vitelleſcus Mutius S. J.
de Vitriaco Jac. Tuſcul. Ep.
Vives Jo. Lud.
Vmbertus
Vngarus Minorita
Volaterranus Raph.
de Voragine Jac. Januenſ. Ep.
Vrbanus Papa.

W.

Wadingus Lucas Ord. Minor.

X.

Xenophon Athenienſ.

Z.

Zehendner Paulus S. J.
S. Zeno Veronenſis Epiſc.
Zonaras Joan.

INDEX

INDEX TITULORUM
generalium hujus Libri.

TOMUS I.

A.

I. Abnegatio ſui ipſius fol. 1.
II. Abſtinentia fol. 4.
III. Acceptatio Perſonarũ f. 22
IV. Acedia fol. 25.
V. Adulatio fol. 48.
VI. Adulterium fol. 52.
VII. Æternitas fol. 15.
VIII. Ambitio fol. 58.
IX. Amicitia fol. 80.
X. Amor ſui fol. 85.
XI. Angelus fol. 89.
XII. Anima fol. 112.
XIII. Aſceſis fol. 132.
XIV. Avaritia fol. 168.

B.

XV. Bacchanalia fol. 186.
XVI. Baptiſmus fol. 197.
XVII. Beatitudo fol. 203.
XVIII. Blaſphemia fol. 224.

C.

XIX. Caritas fol 236.
XX. Caſtitas fol. 260.
XXI. Catecheſis fol. 286.
XXII. Chriſtianus fol. 317.
XXIII. Chriſtus fol. 320.
XXIV. Cognitio ſui fol. 330.
XXV. Communio fol. 335.
XXVI. Concionator fol. 351.
XXVII. Concupiſcentia fol. 365.
XXVIII. Confeſſio fol. 369.
XXIX. Confirmatio fol. 389.
XXX. Conſcientia fol. 394.
XXXI. Conſilium fol. 405.
XXXII. Conſolatio fol. 449.
XXXIII. Conſuetudo fol. 454.
XXXIV. Contritio fol. 460.
XXXV. Crux fol. 468.

D.

XXXVI. Dæmon fol. 480.
XXXVII. Deſperatio fol. 496.
XXXVIII. Detractio fol. 512.
XXXIX. Deus fol. 528.
XL. Dei Miſericordia fol. 540.
XLI. Dei Præſentia fol. 556.
XLII. Dei Providentia fol. 567.
XLIII. Dilectio Inimici fol. 584.
XLIV. Dilectio Proximi fol. 604.
XLV. Diſcordia fol. 632.
XLVI. Divitiæ fol. 637.
XLVII. Dubia Aſcetica fol. 641.

E.

XLVIII. Ebrietas fol. 684.
XLIX. Educatio fol. 697.
L. Elementa fol. 711.
LI. Evagatio mentis fol. 737.
LII. Euchariſtia fol. 742.
LIII. Examen conſcientiæ fol. 769.
LIV. Exemplum fol. 776.

F.

LV. Fama fol. 792.
LVI. Felicitas fol. 795.
LVII. Fervor fol. 797.
LVIII. Fides fol. 800.
LIX. Forma fol. 824.
LX. Fortitudo fol. 827.

G.

LXI. Gaudium fol. 837.
LXII. Gratia fol. 841.
LXIII. Gratitudo fol. 847.
LXIV. Gula fol. 864.

H.

LXV. Hæreſis fol. 876.
LXVI. Hiſtoria fol. 885.
LXVII. Homo fol. 885.
LXVIII. Honor fol. 938.
LXIX. Humilitas fol. 941.
LXX. Hyperdulia Mariana fol. 983.
LXXI. Hypocriſis fol. 1027.

TOMUS II.

I.

LXXII. Infernus fol. 1.
LXXIII. Ingratitudo fol. 23.
LXXIV. Intentio fol. 28.

LXXV. Invidia fol. 42.
LXXVI. Iracundia fol. 61.
LXXVII. Judicium extremum fol. 80.
LXXVIII. Judicium temerarium fol. 105.
LXXIX. Juramentum fol. 122.
LXXX. Justitia fol. 127.

L.

LXXXI. Labor fol. 136.
LXXXII. Lacrymæ fol. 140.
LXXXIII. Laus fol. 145.
LXXXIV. Lectio spiritualis fol. 148.
LXXXV. Liberalitas fol. 161.
LXXXVI. Lingua fol. 166.
LXXXVII. Ludus fol. 190.
LXXXVIII. Luxuria fol. 197.

M.

LXXXIX. Magia fol. 221.
XC. Mansuetudo fol. 231.
XCI. Martyrium fol. 252.
XCII. Matrimonium fol. 297.
XCIII. Mendacium fol. 306.
XCIV. Minimorum cura fol. 323.
XCV. Misericordia erga vivos fol. 328.
XCVI. Misericordia erga defunctos fol. 362.
XCVII. Modestia fol. 386.
XCVIII. Mors fol. 395.
XCIX. Mortificatio fol. 493.
C. Mulier fol. 513.
CI. Mundus fol. 518.

N.

CII. Nobilitas fol. 522.

O.

CIII. Obedientia fol. 524.
CIV. Oculorum Custodia fol. 583.
CV. Odium fol. 599.
CVI. Opus bonum fol. 604.
CVII. Oratio fol. 608.
CVIII. Orbis fol. 654.
CIX. Otium fol. 665.

P.

CX. Passio Christi fol. 671.
CXI. Patientia fol. 697.
CXII. Paupertas fol. 756.
CXIII. Pax fol. 778.
CXIV. Peccatum fol. 784.
CXV. Perfectio Christiana fol. 829.
CXVI. Perseverantia fol. 834.
CXVII. Pietas erga Parentes fol. 852.
CXVIII. Pœnitentia fol. 859.
CXIX. Procrastinatio Pœnitentiæ fol. 873.
CXX. Prudentia fol. 887.
CXXI. Purgatorium fol. 910.

TOMUS III.

R.

CXXII. Religiosus status fol. 1.
CXXIII. Resignatio in divinam voluntatem fol. 20.
CXXIV. Respublica fol. 56.
CXXV. Resurrectio fol. 79.

S.

CXXVI. Sacerdos fol. 84.
CXXVII. Sacrificii Missæ oblatio fol. 108.
CXXVIII. Sanctorum cultus & festa fol. 130.
CXXIX. Sanitas fol. 160.
CXXX. Scandalum fol. 180.
CXXXI. Societas fol. 189.
CXXXII. Solatia spiritualia fol. 203.
CXXXIII. Spes & fiducia in Deum fol. 221.
CXXXIV. Spiritus sanctus fol. 243.
CXXXV. Superbia fol. 252.
CXXXVI. Superstitio fol. 271.

T.

CXXXVII. Taciturnitas fol. 277.
CXXXVIII. Templum fol. 293.
CXXXIX. Tempus fol. 303.
CXL. Tentatio fol. 312.
CXLI. Theologia fol. 327.
CXLII. Timor Dei fol. 367.
CXLIII. Tristitia fol. 385.

V.

CXLIV. Vana Gloria fol. 389.
CXLV. Verbum Dei fol. 409.
CXLVI. Virtus fol. 435.
CXLVII. Unctio extrema fol 457.
CXLVIII. Vocatio ad vitæ statum fol. 461.
CXLIX. Voluntas propria fol. 478.
CL. Voluptas fol. 484.
CLI. Votum fol. 489.
CLII. Vulnera Christi fol. 494.

Z.

CLIII. Zelus fol. 503.

BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ

TITULUS I.

ABNEGATIO SUIIPSIUS.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Basil. in reg. fusius disp.

Julius Fat. ad Mortif. c. 9.

ESt juxta S. Basilium summa rerum omnium, vitæ superioris oblivio, atque à suis voluptatibus recessio. Quasi diceret, inquit Julius Fatius, Abnegationis propriũ munus est, delere ex mente nostra affectu plenam memoriam rerum secularium, & abducere nos ab amore, affectuque inordinato erga nos ipsos. Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus, quid est, inquit, semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renunciare?

S. Bern. s. 7. de convers. ad sororem.

Divisio.

Cassian. l. 5. instit. c. 16.

II. Dividitur in abnegationem *Carnis*, & *Spiritûs*; illa est, per quam carni negamus, quod contra legem Divinam, ac rationis rectitudinem postulat; de qua sic loquitur Cassianus: Post rerum externarum renunciationem, illud est cunctorum luctaminum veluti quoddam solidissimum fundamentum, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur; nam nullus, carne non victâ, legitimè poterit decertare. Abnegatio Spiritûs est, quâ Animæ negatur, quod inordinatè appetit; & iterum in abnegationem *intellectûs* & *voluntatis* subdividitur: nam in corde, teste S. Bernardo, duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium; lepra utique nimis pessima, eòque perniciosior, quò magis interior.

S. Bern. s. 3. de resurrect.

Actus.

Lancic. opus. 10. cap. 15. n. 205.

III. Hos P. Ludovicus de Ponte, ut in vita ejus manuscripta videre est; assignavit, dum sic loquitur: Abnegationem perfectam cognovi, in magna vigilantia ad sentiendum motus inordinatos animæ, & ad reprimendum statim, & castigandum nos pro illis. Sicut fortis Miles viso hoste eum aggreditur, & necat, & timorem incutit aliis, ne accedant; ita est genus pietatis, in hac parte secum esse crudelem. Hæ motuum inordinationes rediguntur ad quatuor.

IV. Prima inordinatio est in cogitationibus & imaginationibus de rebus noxiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia sollicitudine.

V. Secunda est in affectionibus & volitionibus rerum prohibitarum, uti sunt affectio Superbiæ, Iræ, Invidiæ, & aliæ: Vel quoad modos prohibitos, uti est turbatio, vel inquieta propensio ad concionandum, sciendum, & circa officium proprium.

VI. Tertia est in repugnantiis erga opera virtutum, cum tepiditate annexa circa illa, uti sunt opera cultûs divini, obedientiæ, amoris proximorum.

VII. Quarta est libertas sensuum, in videndo, audiendo, loquendo, exeundo ad has res cum impetu, curiositate, libertate &c. Quòd si in his quatuor generibus inordinationum me mortificabo & negabo, tollam impedimenta unionis cum DEO, & perfectæ familiaritatis cum illo, & potero dicere: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

SI quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Matth. 16. v. 24.*

II. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matth. 5. v. 29.*

Necessitas.

III. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. *1. Cor. 9. v. 27.*

IV. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Eccl. 18. v. 30.*

Jerem. 4. v. 5. V. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem: ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.

Utilitas.

Joh. 12. v. 24. VI. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Ib. v. 25. VII. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Dignitas.

Gal. 5. v. 24. VIII. Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Greg. super Ezech. I. SEmetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora incipit esse, quod non erat, & desinit esse, quod erat. Quia licet Homo quoad substantiam suam manet idem, qui ante; quoad animi tamen qualitatem oportet, ut muteur, & fiat alius homo.

Cassian. coll. 24. c. 26. II. Qui sunt violenti illi, qui regnum cœlorum rapiunt? nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili, omni se præsentium rerum voluptate fraudant, & voce Dominicâ egregii direptores pronunciantur, & per ejuscemodi rapinam regnum cœlorum violenter invadunt. Isti sunt profectò laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, &, ut expressiùs dicam, executio voluntatum, desideriorumque nostrorum.

Necessitas.

S. Clim. gr. 2. III. Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi primam, & secundam, & tertiam negationem impleverit, ut scilicet & primò renuntiet rebus omnibus humanis, & Parentibus: secundò voluntati propriæ: tertiò inani gloriæ, quæ solet obedientiam subsequi.

Glossa sup. Luc. IV. Nisi quis à semetipso deficiat, ad DEUM, qui supra se est, non appropinquat.

Dignitas.

S. Dialoth. c. 4. V. Omnes homines sumus ad imaginem DEI: illud autem *ad similitudinem* illorum tantùm est, qui per multam charitatem, libertatem suam DEO in servitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per charitatem reconciliavit.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Necessitas.

L. 3. c. 32. §. 1. I. FIli, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum; compediti sunt omnes proprietarii, suiipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrovagi, quærentes semper mollia, non quæ JESU Christi, sed hoc sæpè fingentes & componentes, quod non stabit; peribit enim totum, quod non est ex DEO ortum.

II. Adhuc multa habes ad relinquendum, *Ib. §. 2.* quæ nisi ex integro mihi resignaveris, non acquires, quod postulas.

III. Quandocunque homo aliquid inordinatè appetit, statim inquietus fit. *L. 1. c. 6. §. 2.*

IV. Homo, qui necdum perfectè in se mortuus est, citò tentatur, & vincitur in parvis & vilibus rebus. Sæpè habet tristitiam, cùm se subtrahit: leviter etiam indignatur, si quis ei resistit. *Ibid.*

Jucunditas.

V. Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis, non eis serviendo. *Ib. §. 2.*

VI. Tene breve & consummatum verbum: dimitte omnia, & invenies omnia: relinque cupidinem, & invenies requiem. *L. 3. c. 32. §. 1.*

VII. Utinam sic tecum esset, & ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum purè stares, & ejus; quem tibi præposui, Patris, tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. *Ib. §. 3.*

Utilitas.

VIII. Fili, quantùm à te vales exire, tantùm in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit; sic se interiùs relinquere, DEO conjungit. Volo, te perfectam addiscere abnegationem in voluntate mea, sine contradictione & querela. *L. 3. c. 5 §. §. 1.*

§. V.

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

Lanciz. opusc. 10. cap. 14. n. 201. I. SAlamanus cùm priùs in sua domuncula sine ullo humano consortio vixisset, Episcopo domum ejus ingrediente, & manum pro sacerdotio imponente, nihil restitit. Deinde cives vici, ex quo erat, proficiscentes ad alium locum, cùm noctu fluvium trajecissent, & domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem, nec jubentem, in suum vicum exportârunt, & in domuncula incluserunt, ubi ille similiter quietem agebat, cum nullo loquens. Paucis autem pòst diebus, qui erant illius vici, qui est è diverso, cum noctu rursus aggressi essent, & domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec, ut maneret, urgentem, neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mortuum Mundo constituit.

Lanciz. opusc. 10. n. 202. II. S. Maria Magdalena de Pazzis adeò in hac abnegatione profecerat, ut ne quidem Spiritum Sanctum, desiderio ex propria voluntate orto, desiderare vellet. Hinc dicebat: Nolo ipsum

ipſum deſiderare ex meipſa, tanquam à meipſa; quia nolo habere ullum deſiderium, & audebo dicere, imò dicam: quamvis illud deſiderium mihi daret, ut per illud voluntas mea fieret, & non illius tanquam illius, & non tanquam mea; etiamſi in hoc eſſet ejus voluntas, ſed illa non eſſet principaliter, imo totaliter ejus, nullo modo vellem eſſe contenta. Atque ita bonum, quod ad me venit non per hanc viam puræ ſolius Divinæ voluntatis, non mihi videtur bonum.

Caſſian. l. 4. inſtit. c. 10.

III. De Monachis Ægyptiis teſtatur Caſſianus, quòd adeò voluntatem ſuam abnegârint, ut, quæcunque fuerint à Præpoſito præcepta, tanquam à DEO ſint cœlitus edita, ſine ulla diſcuſſione complere feſtinent, & nonnunquam etiam impoſſibilia ſibi imperata eâ fide ac devotione ſuſcipiant, ut tota virtute ac ſine ulla hæſitatione perficere ea nitantur, & ne impoſſibilitatem quidem præcepti pro ſenioris ſui reverentia metiantur.

Vit. PP. l. de humil.

IV. Abbas Neſtero ingreſſus Religionem apud ſe dicebat: Ego & aſinus unum ſumus: poſthac debeo eſſe, ſicut ille: quidquid ei imponitur, hoc portat, & ſine mora quidem, non petens, quare, aut ad quem finem ei imponatur. Vide plura, maximè de noſtris hominibus in V. Mortificatio §. 5. & 6.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Fatius c. 12.

I. SIcut æger aut Cliens, ubi à Medico vel Advocato deceptum ſe advertit, illorum conſilia meritò reſpuit; ita cùm nos quoque à judicio & voluntate noſtra totíes deceptos eſſe ſciamus, merito deinceps fidere ampliùs non debemus.

Neceſſitas.

Fatius c. 9.

II. Sicut lapſo & jacenti in luto ad hoc, ut abſtergatur, & emundetur, non ſatis eſt ſurgere, ſed poſtquam ſurrexit, requiritur, ut ſordes illas, quæ veſtibus inhæſerunt, excutiat; ita illi, qui multis annis in cœno proprii amoris ac voluptatum hujus mundi immerſus jacuit, non ſufficit ſurgere & emergere ex hoc cœno, relinquendo mundum, & ea, quæ in mundo ſunt; ſed neceſſe eſt, ut etiam ſordes à ſe excutiat, & maculas, id eſt, affectus mundanos eluat.

S. Baſilius in conſtit. monaſt.

III. Sicut Patrefamilias peregrè abeunte, mox canes domeſtici hàc illàc inſolenter vagantur, importunis latratibus omnia complent, & morſibus quosvis obvios aggrediuntur; ita cùm Anima foràs evagatur, & negligit ea, quæ ſunt ſui muneris, mox veluti protervi atque importuni canes ex diverſis partibus libidines corporis foras ſe dant, & vehementer in ipſum oblatrant, ac variis modis dilacerare conantur.

Fatius c. 9. de mort.

IV. Sicut Equus aufugiens, qui capiſtrum adhuc capiti obvolutum habet, facilè implicatur, capiturque, & in ſtabulum antiquum reducitur; ita & is, qui à mundo fugit, niſi etiam à capiſtro affectuum mundanorum ſit liber, facilè iterum antiquis cupiditatibus irretietur; & tandem omnino iterum ad mundum retrahetur.

Utilitas.

V. Sicut Equus, licet indomitus & effrenis, *Ibid. c. 11.* ſi tamen peritum habeat Equitem ſibi inſidentem, nemini nocet, ipſum verò Equitem citò, facileque viam ſuam decurrere facit; ita corporis vivacitas ei, qui ad eam refrenandam animum promptum ac vigilantem habet, non modò non obeſt, ſed potiùs plurimùm juvat ad viam perfectionis celeriter ac ſuaviter decurrendam.

VI. Sicut obturatis fontibus præcipuis aquæ *Ibid.* largiter fluentis, mox omnes etiam rivi ab illis promanantes exſiccantur; ita ex abnegatione voluntatis & judicii proprii, abnegatio omnium aliarum paſſionum & affectuum in anima noſtra repugnantium procedere ſolet.

§. VII.

ASCETICA.

I. CUm hæc abnegatio ſit unum ex præcipuis mediis, quibus ad perfectionem tenditur, & pervenitur, ideò plurimùm quoque conari debet Aſceta, ut cognitionem, æſtimationem, & praxin illius ſufficientem acquirat.

II. Et cognitionem quidem quod attinet, hanc non difficulter acquiret, ſi bene perpendat doctrinam à S. Dorotheo ſequentibus verbis *S. Doroth.* datam. Patres Sancti & Majores noſtri ſibi ipſis Mundum crucifigentes, per dura certamina, ſeſe quoque mundo crucifixerunt. Nos verò videmur nobis ipſis mundum crucifixiſſe, quia reliquimus eum, & ad Monaſteria divertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere, adhuc enim in animo noſtro vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipſius affectum abſcondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis & voluptatibus, compatimur ornamentis & veſtibus, ob viles & inanes res delabimur plerumque ad priſtinas ejus paſſiones. Quod ſanè non niſi ex amentia provenit, ut, qui pretioſas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimùm perturbemur. Atque id à nobis peſſimè; ut enim Mundo & ejus rebus abrenunciavimus, ita & priſtinis ejus paſſionibus abrenunciare debemus.

III. Praxin verò abnegationis ex ſequenti *Caſſ. l. 5. Inſt. c. 13.* S. Nili Abbas doctrina diſcet. Conſulendum eſt, inquit, iis, qui nuper à mundi tumultu diſceſſerunt, ut quietem & ſilentium colant, caveantque, ne frequentiùs in publicum prodeundo, vulnera per ſenſus accepta cogitatione renovent, neve antiquis peccatorum ſimilitudinibus alias formas adjungant; mens enim eorum, qui nuper à malitia receſſerunt, ſimilis eſt corpori ex diuturno morbo convaleſcere incipienti, quod nondum confirmatis viribus quælibet affectio in graviorem morbum impellit. Unde *S. Bern. ſ. 6. ad ſor.* & S. Bernardus ait, omnis nova converſio priſtinæ vitæ habet permiſtionem.

IV. Æſtimationem denique ex doctrina ab *Vit. p. 3.* ipſo Chriſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis da- *§. 1.* tâ concipiet, ſic enim ei dixit: Inter impedimenta donorum S. Spiritûs non tantùm ſunt ea peccata, quæ DEUM expellunt ex anima, ſed & propria voluntas, & proprium judicium eorum,

rum, qui modo suo volunt servire DEO. Qui quidem desiderant Spiritum Sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & sic se reddunt inhabiles ad percipiendum eum, qui est, tanquam hamus quidam, quo DEUS vult capere animam ex se adeò vilem.

§. VIII.

MISCELANEA.

Qualitas.

Surius 1. Jean. I. S. Fulgentius Episcopus & Abbas, illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare.

S. Bern. in decl. sup. ecce nos. II. S. Bernardus quærens, an ex Collegio Discipulorum reprobari quis possit, non habens loculos? respondet affirmative, eò quòd non tantùm dentur loculi pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis, quæ, nisi abnegetur, æquè ac pecunia in periculum præcipitare potest.

Utilitas.

III. S. Catharinæ sic olim locutus est Christus: Dico tibi, & Patri animæ tuæ, quem dedi tibi super terram, ut viriliter toleretis ea, quæ conceduntur vobis, omni propria voluntate sensitivâ peremptâ; hâc enim ratione omnes virtutes acquiruntur. *In Dial. cap. 4.*

Dignitas.

IV. Eidem aliàs dixit Christus: Si peteres à me, quæ sunt isti? tibi responderem: ipsi sunt alter ego, quia sponte perdiderunt, & abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, & uniti, & in omnibus eâ induti. *Ibid. c. 1.*

§. IX.

AUTHORES.

I. Julius Fatius de Mortific. c. 9. 10. 11. 12.

II. Nicolaus Lancizius opusc. 10. c. 13. 14. & 15.

III. Bernardinus Rosignolius de disciplina Christ. perfect. l. 2. c. 30. & l. 5. c. 6.

TITULUS II.

ABSTINENTIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 146. a. 1. EST virtus, quâ voluptatem in usu ciborũ sitam refrenamus, & debitum modum in eorum sumptione constituimus. Vel breviùs juxta S. Thomam: Est subtractio ciborum ratione regulata.

Divisio.

S. Aug. super Joan. II. Dividitur 1. In *magnam & generalem*, de qua S. Augustinus: Magnum & generale jejunium est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus. 2. *Naturalem*: per quam ab omni simpliciter cibo, potuque abstinemus; qualis ante sumptionem SS. Eucharistiæ à media nocte requiritur. Licet hæc & prior abstinentia minùs propriè abstinentiæ nomen participent, prout illa ex S. Thoma suprà definita est. 3. *Philosophicam*: quæ est parsimonia cibi ac potûs secundùm rectam rationem moderata. 4. *Ecclesiasticam*: quâ juxta Ecclesiæ præscriptum certis diebus, & carnium esum subtrahimus, & unica tantùm refectione contenti sumus.

III. Subdividitur hæc Abstinentia Ecclesiastica in *Quadragesimalem*, de qua S. Ambrosius ait: Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed meliùs Quadragesimam jejunare cum Christo; hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. 2. In Abstinentiam *Quatuor Temporum*: de qua S. Isidorus Hispalensis locutus est dicens: Triduanis autem diebus jejunare de exemplo sumptum est Ninivitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus jejunio ac pœnitentiæ contulerunt, & operti saccis DEUM ad misericordiam provocârunt. 3. In *Vigiliarum* abstinentiam; de qua S. Bernardus sic locutus est: Sanctorum Festa præcipua Patrum sanxit Autoritas, votivis prævenienda jejuniis, utiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit, qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum est omnino, celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sunt, nisi priùs abstinentiæ purificatione præmissa, quòd digniores inveniamur & capaciores Spiritualium gaudiorum. Et paulò post: Non modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jejunii, est & admonitio quædam; eruditioque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam sit vera via festivitatis æternæ. Quid est enim, quòd jejuniis solemnia prævenianmus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum DEI? indignus quippe est solemni lætitia, qui statutam Vigiliæ abstinentiam non observat. Manè, inquam, si renuis affligere animam tuam in Vigilia, indignus jure censeberis requie, & exultatione festiva. Est autem universim præsentis vitæ tempus Vigilia quædam solemnitatis magni & æterni Sabbati, quod præstolamur, nec causaberis Vigilias longiores, si æternitatem festivitatis attendas. *S. Isid. c. 43 de offic. Eccl.* *S. Bern. in Vigil S. Andreæ.*

IV. Suscipiuntur autem hæc jejunia ad quinque fines obtinendos. 1. Ad cultum divinum reli-

religioſius exhibendum. 2. Ad carnem edomandam, Spirituique ſubjiciendam. 3. Ad fructus pœnitentiæ dignos præſtandos. 4. Ad obedientiam exercendam. 5. Ad quamlibet DEI gratiam conſequendam.

Actus.

I. Cibos ab Eccleſia vetitos pro tempore, quo prohibentur, non ſumere.

II. Jejunia Eccleſiaſtica exactè ſervare, nec non ex propria Regula aut Inſtituto ordinata cuſtodire, & ex conſilio aliqua non præcepta ſuſcipere.

III. Horâ conſuetâ ſecundùm morem Religionis aut congregationis, in qua vivimus, & non citiùs manducare.

IV. Cibos lautiores ac pretioſiores, ſi neceſſitas aut caritas non exigat, fugere & averſari.

V. Communes cibos non exquiſitè præparatos, ſed quomodocumque oblatos libenter comedere.

VI. Quantitatem ciborum ſaluti corporis non neceſſariam, & ſaluti animæ non officientem duntaxat accipere.

VII. Ante comeſtionem cogitationes de cibis penitus abſcindere, & in ipſa comeſtione æſtum & nimiam aviditatem cohibere.

VIII. Ex quantitate & qualitate, & numero eſculentorum ea omnia ſubtrahere, quæ ſaluti corporis non nocent, & puritati mentis deſerviunt.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Ezech. 4. v. 10. I. CIbus tuus, quo veſceris, erit in pondere & menſura.

1. Petr. 2. v. 11. II. Chariſſimi, obſecro vos, tanquam peregrinos & advenas abſtinete à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.

Luc. 21. v. 34. III. Attendite, ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa.

1. Tim. 6. v. 15. IV. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.

Joel. 2. v. 15. V. Sanctificate jejunium (munditie vitæ) & vocate cœtum (pauperum ſcilicet.)

Ib. v. 12. VI. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, planctu & fletu.

Matth. 6. v. 17. VII. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Math. 6. v. 16. VIII. Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes; exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.

Prov. 23. v. 1. IX. Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam, ne deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii.

Neceſſitas.

1. Petr. 2. v. 8. X. Sobrii eſtote & vigilate, quia Adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.

Matth 17 v. 10. XI. Hoc autem genus Dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium.

1. Cor. 8. v. 13. XII. Si eſca ſcandalizat Fratrem meum, non manducabo in æternum, ne Fratrem meum ſcandalizem.

Utilitas.

Judith. 4. v. 12. XIII. Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis & orationibus in conſpectu Domini.

Eccl. 29. v. 29. XIV. Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quàm epulæ ſplendidæ in peregrè ſine domicilio.

Ibid. c. 31. v. 22. XV. Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem.

Tob. 12. v. 8. XVI. Bona eſt oratio cum jejunio & eleëmoſyna magis, quàm theſauros abſcondere.

Dignitas.

Luc. 1. v. 15. XVII. Erit magnus coram Domino, & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero Matris ſuæ.

Jucunditas.

Eccl. 10. v. 16. XVIII. Beata terra, cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

Luc. 6. v. 21. XIX. Beati, qui nunc eſuritis, quoniam ſaturabimini.

Eccl. 31. v. 24. XX. Somnus ſanitatis in homine parco, dormiet usque manè & anima illius cum illo delectabitur.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET ASCETIS.

Qualitas.

I. CAve, ne utilitatem jejunii ſolâ Eſcarum abſtinentiâ metiaris; verum enim jejunium eſt, ab omnibus vitiis eſſe alienum. *S. Baſil. in hom. de laude jejun.*

II. Per abſtinentiam vitia carnis extinguenda ſunt, non caro. Sic neceſſe eſt, ut artem continentiæ quis teneat, quatenus non carnem, ſed vitia occidat; ſæpe enim dum in illa hoſtem inſequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus; & ſæpe, dum concivi parcimus, hoſtem ad prælia quærimus. *S. Greg. hom. 30 mor.*

III. Qui cibis abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus deeſt. *Iſidor. ſuper Amos.*

IV. Per Simonem (Cyrenæum) qui ſignatur, niſi abſtinentes, qui foris carnem affligunt, interiùs tamen fructum abſtinentiæ non acquirunt. Crucem igitur Domini Simon in angaria portat, qui, cùm ad bonum opus ſine bona voluntare ducitur, rem bonam ſine fructu operatur. Simon ergo Crucem portat, ſed in Cruce non moritur, quia abſtinentes exteriùs corpus per abſtinentiam affligunt, ſed interiùs per deſiderium mundo vivunt. *S. Greg. ſuper Eccl. p. 5.*

V. Sint moderata & ſancta in omni mentis humilitate jejunia, quæ ita attenuent corpus, ut mentem elevent, ne res humilitatis gignat ſuperbiam, & vitia de virtute naſcantur. *S. Hier. in Epiſt.*

S. Greg. in Past. VI. Illud jejunium DEUS approbat, ut hoc, quod tibi subtrahit, alteri largiaris, ut unde caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.

Cæsarius in admon. 2. VII. Jejunium sine eleëmosyna est lucerna sine oleo.

S. Bern. in epist. VIII. Quid nobis jejunium proderit, si relinquatur in terra? sublevetur pennâ quâdam orationis.

S. Isidor. de sum. bon. IX. Hoc est perfectum & rationabile jejunium, quando noster exterior homo jejunat, interior orat; facilius etiam per jejunium oratio penetrat cœlum.

Glossa Hier. sup. 1. Tim. c. 5. X. Prudenter sibi serviri vult DEUS, non ut nimietate debiles fiant, & post Medicorum suffragia requirant; temperandum enim est, ut, si fieri possit, cœptum obsequium gradatim provehatur potiùs, quàm inconsiderantiâ minuatur.

S. August. ſ. 64. de temp. XI. Qui abstines à carnibus, quibus aliis diebus uti licet, quomodo peccata admittes, quæ omnio nunquam licent?

S. Chrysol. serm. 8. XII. Jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordiâ pugnat.

August. in ps. 42. XIII. Hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium, & eleemosynam.

Aug. serm. 56. de temp. XIV. Considerate, fratres, si horrea, & cellaria nostra annis singulis replemus, unde uno anno cibum habeat caro nostra, putas, quantum debemus recondere, unde in æternum sustentetur anima nostra?

S. Leo ſ. 2. de jejunio. XV. Semper virtutis cibus jejunium fuit.

S. Chrysost. Hom. 1. in t. 1. Gen. XVI. Jejunium schola precum, animæ cibus, oris frænum. Jejunium animæ nostræ alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & jejunium animam habitiorem efficit, & valentiorem. Leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat. Vellem ergo vos purificatâ mente, valèque deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magistram, jejunium explicitis vestræ mentis sinibus suscipere.

S. Ambros. serm. 34. XVII. Legimus primùm in veteri testamento Noë temporibus, cùm omne genus humanum scelerata iniquitas occupâsset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli, aquarum pluvias defluxisse &c. Ita & modò nobis Dominus illius temporis quadragesimam dedit, ut constituto dierum numero patefactis cœlis, pluviâ nos misericordiæ cœlestis irroret, & inundatione factâ per Baptismum, lavacri salutaris nos imber illuminet, & sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum justitia conservetur.

S. Aug. de utilit. Jejunii to. 9. c. 3. XVIII. Si suggerentem audias intrinsecus tentatorem: quid facis, quia jejunas? defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor, & cruciator existis, &c. Responde hujusmodi tentatori per hanc similitudinem: si jumento forte insideres, si equo utereris, qui te gestiendo posset præcipitare; nonne ut securius iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea jumentum meum est: iter ago in Hierusalem; plerumque me rapit, & de via conatur excludere; via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo jejunio?

S. Cyprian. lib. de Jejun. XIX. Quotquot viros virtutum videmus, sine jejunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi priùs abstinentia præcessisset. Quanta res Jejunium! Angelos ex hominibus facit.

S. August. serm. 2. de Domini. 1. Quadrag. XX. Advertamus ergo, quanta sit inter jejunium, & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis distentos. Moyses quia jejunavit, Dominum vidit. Populus quia manducavit & bibit, idola fabricavit. Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi saturitas desperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu jejunavit, in paradiso fuit: Ubi verò comedit, ejectus est de paradiso. Ejecit ergo nos de paradiso cibus; reducat esuries, reducat jejunium. Semper enim juncta est saturitati lascivia. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata sunt. Videte Chariſſimi, quanta sit Dei clementia erga jejunantes.

S. Basilius hom. 1. de jejun. ante Medit. XXI. Uno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissimè devolutus est. Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delicias verò salutem perdere. Quid Esau inquinavit, servùmque fratris reddidit? nónne esca una, propter quam primogenita vendidit? Samuelem verò nónne per jejunium oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nònne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod sanè Angelus matri præcepit, monens quæcunque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. Jejunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Jejunium Legislatores sapientes facit: animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum, & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est: in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaræum sanctificat, Sacerdotem perficit.

Necessitas.

S. Chrysost. tom. 5. de pœnit. hom. 5. XXII. Propterea & Deus hominem à principio faciens, illico frænum ei jejunii manibus imposuit, veluti piæ amabilique matri & magistro optimo committens. Si in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multò magis erit. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si nec dum bello voluptatum insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multò magis post voluptatum, vitiorumque prælium à dœmonibus nobis illatum. Igitur nobis necessaria sunt à jejunio auxilia. Vidisti, quomodo irascitur Deus jejunio spreto? Disce & quomodo lætatur jejunio honorato. Quemadmodum jejunio spreto mortem spernenti obtulit, sic iterum eodem honorato à morte revocavit.

XXIII.

S. August. Tom. 10. serm. 65. de temp.

XXIII. Sed cur Eliæ Deus panem & aquam tantum non etiam submisit prandium, sicut Danieli in cavum leoninum? Augustinus respondens: Sciebat Deus, inquit, Prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi jejuniis eruditus insidiantis inimici tentamenta depelleret.

S. Hieron. l. 2. adversus Jovin.

XXIV. Nos creaturam Dei omnem laudamus, sed maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati. A diebus Joannis Baptistæ jejunatoris & virginis, regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab adventu æterni Judicis, sicut in diebus diluvii, & eversionis Sodomæ & Gomorrhæ, deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes. Nam & diluvium, & ignis de cœlo saturitatem pariter & nuptias, quas deleret, invenit.

Æquitas.

S. Bern. s. 38.

XXV. Si sola gula peccavit, sola jejunet, & sufficit; si verò peccaverunt & membra, cur non jejunent & ipsa? jejunet igitur oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia, & bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus & vanis, & scurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem silentii ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Jejunet auris nequiter pruriens in fabulis, & rumoribus, & quæcunque otiosa, & ad salutem minimè pertinentia. Jejunet manus ab otiosis signis & operibus omnibus, quæ non sunt imperata, sed & multò magis ipsa Anima jejunet à vitiis & propria voluntate sua, etenim sine hoc jejunio cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est, quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur.

S. Greg. in homil.

XXVI. Quia à Paradisi gaudiis per cibum cecidimus; ad hæc, in quantùm possumus, per abstinentiam resurgamus.

Idem ho. super Ev.

XXVII. Cogitandum summopere est, ut, qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, ut, qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debet & concessa, & se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse.

Utilitas corporis.

S. Hieron. in Epist.

XXIIX. Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas; nam sine carne & vino citò friget Venus, & à Patre libero ad inconcessam Venerem proximus est gradus.

Idem.

XXIX. Excipite malè valentes sanitatis Matrem: qui bona estis valetudine, excipite bonæ habitudinis custodem. Interroga Medicos, & dicent tibi, nihil esse periculosius habitudine corporis extremè bona, ideoque, qui peritissimi sunt artis, per jejunium extrahunt redundantiam, ne vis naturæ pondere corpulentiæ fracta succumbat.

Utilitas animæ.

S. Aug. in s. de jeiun.

XXX. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem Spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.

S. Aug. in tract. de util. jejun.

XXXI. Si caro in terram vergens est onus animæ, & sarcina prægravans prævolantem, quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantùm deponit de terrena sarcina sua.

S. Bern. s. 38.

XXXII. Jejunium orationem, devotionem, & fiduciam donat. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium meretur gratiam orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, & repræsentat Domino.

Ibidem.

XXXIII. Bonum & salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata; non solùm autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum; non solùm obtinet veniam, sed meretur gratiam; non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed etiam repellit futura, quæ committere poteramus.

Dignitas.

S. Ambr. l. de Elia & jeiun.

XXXIV. Quid est jejunium, nisi substantia & imago vitæ cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis. Jejunium est vita Angelorum. Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad eum citiùs pervenitur: hoc gradu antè, quàm curru Elias ascendit.

S. Hier. ad Demetriad.

XXXV. Jejunium non solùm perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, & pudicitia, atque prudentia, sine qua nemo videbit DEUM.

S. Chrys. hom. 2. in Gen.

XXXVI. Jejunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum Pædagogus, Continentium Magister, quod omnem sexum & ætatem quasi diadema quoddam ornat.

XXXVII. Quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est; reverere igitur jejunii canitiem. Tam vetus est, ut simul cum homine condito in Paradiso cœperit. In Paradiso præscriptum est.

Petrus Nav. in serm.

XXXVIII. Jejunium scimus esse DEI arcem, Christi castrum, murum Spiritûs Sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum.

Jucunditas.

S. Chrysost. Hom. 1. in Gen.

XXXIX. Jejunium animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusque, & omnia, quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior. Et quemadmodum, leviores naves maria velociùs transeunt, contrà multis oneribus gravatæ submerguntur: ita jejunium quidem leviorem reddens mentem, efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, & in cœlum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat, & nihili faciat præsentia; sed ut umbras, & si quid minus, diffugere censeat.

Jejunium Quadragesimale.

August. serm. 65. de Temp.

XL. Adest nobis venerabile, & medicabile tempus quadragesimæ, per quod jejunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus, illius prorogatio tædium parere non debet: quia quantò plures dies sunt jejunii, tantò major est causa remedii. Sunt messis illi, & vindemiæ dies, inquit B. Hilarius Episcopus

Arelat.

Arelatensis de init. quadrag. omni acceptione dignissimi, propter fructuum, & cœlestium gratiarum, quas nobis partiuntur, copiam.

S. Chrysol. serm. 11. XLI. Videtis, quia, quòd quadragesimam jejunamus, non est humana inventio; Auctoritas est divina; & est mysticum, non præsumptum: nec est de terreno usu, sed de cœlestibus secretis.

S. August. serm. 1. in Clim. XLII. Ecce, fratres charissimi, Deo propitio tempus quadragesimæ venit, & ideo rogo dilectissimi, ut dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales ita cum Dei adjutorio sanctè & spiritualiter celebremus: ut observatio sanctæ Quadragesimæ non nobis judicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos minùs occupationibus implemus, si castitatem servare nolumus, si jejuniis & vigiliis & orationibus non insistimus, si Scripturas Divinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, & inde habebimus judicium, unde potuimus habere remedium. Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias maturiùs surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi, quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia verò, vigiliæ, orationes atque jejunium per brevissimas angustias perducunt ad paradysi delicias: quia non mentitur veritas, quæ in Evangelio dicit: Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, & illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Et ideo, fratres charissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ, jejunando, legendo vel orando providere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio, lectiones divinas frequenter & fideliter audiatis, in istis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi hujus quasi ad portum Quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, & lectiones divinas in excetorio cordis nostri cum silentio & pace suscipere: ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ, quod per totum annum multis tempestatibus, id est, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine istis diebus reparare studeamus atque componere.

Idem l. 1. quæst. 69. XLIII. Non enim frustra quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses & Elias, & ipse Dominus jejunavit, & Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum, Quadragesimam vocat. Unde & in Hebræo de Ninivitis apud Jonam Prophetam scriptum perhibent, Quadraginta dies, & Ninive subvertetur: Ut per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, intelligatur in jejuniis sua defleviſſe peccata, & impetrâſſe misericordiam Dei.

XLIV. Quadragesima sanè jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis & Eliæ, & ex Evangelio. *Idem Epist. 119.*

XLV. Omne vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum & ad cœleste bravium totâ virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ & jejuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste jejunii, & qui in Sanctis celebratur exemplis. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, & ad ejus futura promissa tota mens purior facienda festinat, cùm nullâ crapulâ, nullâ cibi vel potûs satietate crassatur. Unde & Salvator in Evangelio dixit: Attendite itàque vobis, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & cogitationibus sæcularibus, & superveniat in vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim superveniet universo mundo, & nemo effugiet. *Idem.*

XLVI. Sed & illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd, dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent; inprimis peccata fugiamus, quæ omninò nunquam licent. Itaque si volumus bene jejunare à cibis; ante omnia jejunemus à vitiis. Quid enim prodest vacuare corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid prodest, pallidum esse jejuniis, si odio & invidiâ livescas? Quid prodest, vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent, & faciamus illa, quæ nunquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, jejunemus à cibis, ut multò magis jejunemus à vitiis, ut sanctorum morum ubertate saturemur, ut & in futuro mereamur ipsorum operum retributione satiari: sicut in Evangelio legimus, Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Illam enim compensationem magis eligere debemus, ut cibis, quibus nos abstinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur: secundùm illud, quod scriptum est, Beati, qui contenti sunt esurire, ut alibi reficiantur. Satis Deo acceptum est munus, quando indigens saturatur, quando nudus vestitur, quando ira non perficitur, & iracundiæ tempus non reservatur, quando malum pro malo non redditur. Tunc grata sunt Deo nostra jejunia, si illi, qui necessitate jejunant, reficiantur à nobis. Tunc illam Domini sententiam audire merebimur: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Obe- *Idem serm. 1. Dom. in Quadr.*

nigniſſimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui ſibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit. Vobis autem, fratres, præſtet Domini miſericordia, ut ei jejuniis, & eleemoſynis in bonis operibus ſerviatis.

S. Ambr. to. 3. ſerm. 25. de Quadrag.

XLVII. Non enim leve peccatum, fidelibus indictam Quadrageſimam à Domino non jejunare, & jejunia conſecrata ventris voracitate diſſolvere. Scriptum eſt: qui dicit, ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Si vis ergo Chriſtianus eſſe, debes, quod Chriſtus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadrageſimam jejunavit, tu non vis Quadrageſimam jejunare, qui peccas? Ille peccatum non habebat, ſed pro noſtris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conſcientiam tuam Chriſtianus es, cùm Chriſto pro te eſuriente tu prandes? Cùm Salvatore pro te jejunante tu reficeris? Non igitur, ſicut dixi, leve peccatum eſt, indictum violare jejunium.

§. IV.

EXEMPLA CATHOLICA, ET SACRA.

S. Ambr. l. 2. de Virg.

I. DE B. Virgine ſic ſcribit S. Ambroſius: Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam, alterum ſupra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? illic nulla intermiſſa tempora, hinc congeminatos jejunio dies? etſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret.

Judic. 13.

II. Uxori Manuæ Liberatorem populi concepturæ apparens Angelus Abſtinentiam præcepit.

Dan. 3. C. 14.

III. Propoſuit Daniel in corde ſuo, ne polluereturde menſa Regis. Eidem DEUS in lacum per Habacuc, non carnem & alia cibaria delicata, ſed panem & pulmentum miſit.

2. Mach. 6. & 7.

IV. Eleazarus maluit occidi, quàm carnes porcinas contra legem comedere. Idem etiam Fratres Machabæi præſtiterunt cum Matre.

S. Aug. ſ. 65. de temp.

V. S. Joannes Præurſor Domini, teſte S. Auguſtino, locuſtis in eremo & melle ſylveſtri nutritur, non animalium carnibus, non volucrum ſuavitatibus paſcitur: poterat utique juxta Jordanem potius piſcium delicias ſibi exhibere, ſed pœnitentiam prædicaturus, rigorem jejunii exemplo ſuo magis debuit, & factis oſtendere.

Surius 6. Dec.

VI. S. Nicolaus Epiſcopus adhuc infans, cùm reliquis diebus lac nutricis frequens ſugeret, quartâ & ſextâ Feriâ ſemel duntaxat, idque veſperi ſugebat: quam jejunii conſuetudinem in reliqua vita ſemper tenuit.

Vita c. 5.

VII. B. Maria Magdalena de Pazzis etiam in Pueritia non ſumebat jentaculum, & in ſummo æſtu, nullo refrigerio utebatur, quod adeò DEO placuit, ut poſt viginti quatuor annos ei revelaverit, propter hanc mortificationem gulæ ei præparatam eſſe in cœlis menſam plenam pretioſiſſimis cibis.

Petrus Sanchez

VIII. S. Thomas Aquinas cùm in morbo magnum habuiſſet deſiderium certum genus parvorum piſciculorum comedendi, iique apoſiti eſſent, noluit illos manducare, ut appetitum caſtigaret. *in regno DEI pag. 5. c. 2. f. 483.*

IX. Cùm quondam B. Macario uva recens mitteretur, ille ab ejus comeſtione ſibi temperans, eam alicui infirmo miſit, qui, poſtquam illam iterum alteri miſiſſet, ad omnes denique Eremi manus pervenit, & non ſine ingenti admiratione ad Macarium rediit. *Ibid. f. 400.*

X. Abbas Iſidorus, etſi ſummam ſibi abſtinentiam imperabat, tamen propter hilaritatem animi pinguis factus eſt, cùmque ſemel flens ad menſam accederet, & cauſam fletûs quæreretur, reſpondit: Ego deberem cum Chriſto in mediis Paradiſi deliciis habitare, & huc venio manducaturus ut bruta? *Ibidem.*

XI. F. Bernardus de Quintavalle ſocius S. Franciſci dicere ſolebat, gulæ vim multò magis in guſtu, quàm copiâ ciborum reperiri; ideò ipſe libenter publica convivia accedebat, eò quòd ibi inſignem haberet occaſionem ſe mortificandi, aliosque ædificandi. *Ibidem f. 481.*

XII. Conſtantinopoli, cùm ob ſummam annonæ caritatem Juſtinianus Imperator in Quadrageſima carnes vendi juſſiſſet, Chriſtiani tam ſeverè ſervârunt abſtinentiam, ut mallent fame contabeſcere, quàm carne veſci. *Niceph. l. 12. c. 32.*

XIII. Venantii quondam Patricii in Sammii partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit, qui annis puerilibus ad amorem cœleſtis Patriæ per abſtinentiam exarſit. Cùmque tam magnâ converſatione polleret, ſeque jam ab otioſo quoque ſermone reſtringeret, multumque, ut præfatus ſum, per abſtinentiam carnem domaret, die quadam parentes ejus vicinis ſuis convivium fecerunt, in quo ad veſcendum carnes paratæ ſunt: quas dum ille ad eſum contingere præ abſtinentiæ amore recuſaret, cœperunt eum parentes ejus irridere, ac dicere: Comede, nunquid tibi in his montibus piſcem allaturi ſumus? illo verò in loco piſces audiri conſueverant, non videri. Sed dum his ſermonibus Honoratus irridetur, repentè in convivio aqua defuit ad miniſterium, & cum ſitula lignea, ſicut mos illic erat, mancipium ad montem perrexit. Dumque hauriret aquam, piſcis ſitulam intravit. Reverſumque mancipium ante ora diſcumbentium piſcem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuiſſet Honorato ſufficere. Mirati ſunt omnes, totaque illa parentum irriſio ceſſavit. Cœpêre namque in Honorato venerari abſtinentiam, quam antè deridebant, ſicque à Dei homine irriſionis deterſit opprobria piſcis de monte. *Specul. exempl. tit. de Abſtinent. exempl. 1.*

XIV. Procopius de Juſtiniano Imperatore ſic ſcribit: Omnibus illis diebus, qui Paſchalem ſolennitatem præcedunt, jejunio addictus duram quandam vitam egit, nedum Regali alienam, ſed neque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abſtinebat: ſummo mane itidem è lecto conſurgens Reipublicæ invigilavit, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minùs nocturnum tempus implevit: nam in ſeram noctem lectum petens mox ſurrexit, quaſi plumarum pertæſus. Cibi appetens, vinum, panem *Dauroule. c. 4. tit. 9. exempl. 1.*

panem & alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solùm, & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat: potus aqua erat sola: neque his ad saturitatem utebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, quod naturæ satis erat.

Niceph. l. 11. c. 43. XV. Evagrius, Nicephoro teste, ad Macarium Anachoretam sub meridiem revisit, cumque fatigatione ac siti exhaustus frigidam postularet, Macarius ad illum placidè: Mi fili, ait, contentus esto hâc umbrâ; multi enim viatores, & navigantes eâ nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii ad tranquillitatem se componens, de temperantia cœpit differere. Cui Macarius: Confide, ô fili, ait, & bono esto animo; ego jam totis viginti annis neque panem, neque aquam, neque somnum ad satietatem admisi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad mensuram parcissimam bibi; cùm verò fatigatio me cogeret, parieti acclinis, exiguam somni partem rapui. Hæc vitæ meæ methodus est.

Specul exempl. 14. XVI. Legitur in Scala Cœli, quòd quidam Prælatus semel erat, qui non comedebat carnes, tamen faciebat multas injustas exactiones. Cùm igitur semel exhæredasset unam viduam, illa cum filiis suis in brachiis accessit ad eum, dicens: Domine, tu non comedis carnes mortuas, sed comedis carnes vivas, quia cum depræda-tionibus tuis interficis, & devoras omnes subditos tuos. Devora ergo etiam istos duos filios meos, & comede eos. Quod ille audiens & compunctus, restituit ei omnia. Patet ex hoc abstinentiam à carnibus nihil homini profuturam esse, neque ullas castigationes corporis, si homo non abstineat à peccatis, & præsertim ab oppressione pauperum, quia non prodest bonum facere, nisi abstineatur à malo. Sunt enim duæ partes Justitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum.

Necessitas.

XVII. Referebant quidam fratres de Abbate Niceta, qui fuit Discipulus Abbatis Silvani, quia quando in cella sua in monte Sina degebat, moderatè abstinebat pro necessitate corporis: quando autem Episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit se ipsum diutina abstinentia, & in vigiliis propensiùs, atque in orationibus intentiùs agebat. Hæc autem videns Discipulus ejus, dixit ei: Quid est Domine hoc, quia quando in eremo conversabamur, non tantum in abstinentia laborabas. Respondit ei Beatus Vir dicens: Considera, frater, quoniam ibi eremus erat, & secreta vita, ac paupertas: nunc autem egressi de eremo cum sæcularibus conversamur hominibus, & multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt, & ideo timeo, ne in fine vitæ meæ aliqua occasione Deum offendamus. Si enim S. Apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, & qui tantas virtutes animi possidebat, ut usque ad tertium cælum, adhuc in corpore positus, ascenderet, tamen dicebat: Macero corpus meum & servituti subjicio, ne forsan aliis prædicans ipse reprobus inveniar: quid nos humiles & peccatores facere oportet?

Utilitas.

XVIII. Legi aliquando in Teutonicali libro, quòd erat in Civitate Genuensi Virgo quædam pulcherrima facie, nobilis genere, dives rebus, honestis orta parentibus, nomine Marina. Hanc cùm quidam ditissimus atque honestissimus vir, nomine Aronus, in matrimonium accepisset: & aliquamdiu cum ea in summa dilectione vixisset, secretiùs eam in thalamum ducens: Scis, inquit, dulcissima Marina, quomodo negotiationis auxilio, res, famam, honores, & universa, quæ habemus, accepimus, & per eam in hunc felicissimum statum accessimus. Unde quia in Alexandria res, & cautæ, quas cum cæteris hujus officii viris habui, inordinatæ relictæ sunt, nisi tibi acerba esset mea absentia, vellem illuc pergere, & singula ritè ordinare, & sic revertar ad te, nunquam à te nisi per mortem separandus. Ad hæc Marina ingemiscens: Etsi gravis est mihi, inquit, tua absentia, & cùm te non videro, erit omne tempus longissimum, quia tamen tibi utile visum est, placet, quod concepisti. Age, quod libet, tantùm ne rebus dispositis ad me desertam sponsam tuam revenire cunctaris. At Aronus: Unum, inquit, est, o Marina, quod tui causâ expavesco. Sciunt enim Juvenes & adolescentes civitatis hujus, te fœminam decoram esse, & pulcriorem fore pulchriorem, unde timeo, si me absentem audierint, & te legitimi mariti carere tutore, parabunt laqueos pudori tuo, & te in sui amorem fraudibus conabuntur allicere. Quòd si agerent, ut tu pudoris oblita in adulterium labereris, certè te honore, & me vita privarent. Ad quæ verba Marina in lacrymas resoluta: Ne timeas, inquit, o Arone, ego enim mallem vita defungi, quàm rem tam scelestam admittere. Perge igitur securus, non est; quod in hac parte formides, quia Deo ferente præsidium, præter te nullum amatorem admittam. Tali responso accepto Aronus, rebus dispositis in Alexandriam navigavit: Ubi eum esse, cùm Proceres civitatis Genuensis cognovissent, ordinatis ante domum Marinæ choreis, institutis ludis, resonantibus cantilenis, cor Marinæ nitebantur evertere. Sed Marina, ut sponsionem marito factam illibatam servaret, clausit fores, fenestras omnes obstruxit, oculos simul & aures, quantùm prævalebat, avertit. Cùm igitur post multas insidias castum Marinæ pectus vulnerare non possent fieretque fœmina de accepto trophæo liberior, custodiam solitam mitigavit. Quod dum faceret, quendam virum pulcherrimum, procerum formâ, nomine Dagmannum ante domum suam frequentius pertransire videbat; unde interrogat ab ancillis, quisnam, qualisve esset vir ille, qui tam insigne decus, & corporis, & morum præferret. Verum cum audisset eum in utroque Jure Doctorem, dotatumque ingenti scientia, ampliùs eum cœpit amare, felicem se judicans, & nimiùm beatam, si talis viri amplexibus quandoque uti contingeret. Ut igitur texeret laqueum innocenti, ornatam fulgida veste se ante fores domûs suæ quotidiè à Dagmanno visendam deposuit, ut suo decore, tanquam veneno per

Ibidem exempl. 15.

oculos

oculos Dagmanni prætereuntis miſſo, cor ſaucium amore vulneraret. At verò Dagmannus vir prudens cùm eſſet, & ſapiens, nunquam ad eam vel modicè intuendam oculum vertit, ſed ſibi ſuiſque rebus intentus, maturo vultu ſemper præteriit. Videns ergo Marina, occultis dolis ſe non poſſe proficere, vi acta amoris, & pudore vacillante, ad aperta certamina fugiebat. Porrò miſit nuncium Dagmanno, petens, ut ad ſe venire non cunctaretur. Dagmannus verò nihil ſiniſtrè ſuſpicatus, venit ad eam, ratus, quia ſecum de aliqua cauſa juris haberet conferre. Quem cùm Marina in thalamum meretricio cultu ornatum induxiſſet, poſt multas verborum ambages, ſe ejus amore captam indicavit, petiitque inſtantiùs, ut mutuis amplexibus fruerentur. Quod ubi audivit Dagmannus, Vir utique pudiciſſimus, ingemuit, miſerabile ducens, tantum decus tam indebitis amoris procellis agitari, doluitque vehementer, tam vaſti pudoris armarium adulterinis connubiis conſenſiſſe. Verùm volens ejus vulneri adhibere remedium, amorem reciprocum ſimulavit. O me felicem, inquiens, ô me faventibus Fatis beatum, quòd in eam horam mihi venire conceſſum eſt, ut tanto decore frui liceret! Et converſus ad Marinam: Sis felix pulcherrima fœmina, quæ te primam ad hujuſmodi amorem obtuliſti. Noveris tamen, hujus conjunctionis, quam utrique optamus, leve eſſe repagulum, atque celeriùs removendum, quod, quia mihi amica eſſe cepiſti, liberiùs intimabo, ut ſi dies, in quo tibi jungar, ſeſe protraxerit, cauſam dilationis agnoſcas. Cùm Bononiæ in ſtudiis vitam agerem, contigit quadam vice ſtudentes ſeditionem ſuſcitare. In qua ſeditione quidam quidem vulnerati ſunt, quidam verò etiam morte proſtrati. Quibus ita fientibus, armati Præſides in tumultum militibus vallati cucurrerunt, & nonnullos è ſtudentibus captivantes, in carcerem projecerunt. Inter quos & ego ducebar tanquam unus ex eis, qui tam cruentam ſeditionem in urbe concitâſſent. Videns ergo me carceris caligine retineri, & ſervari ad pœnam, votum vovi Domino, qui conſcientiarum latebras novit, quòd ſi me hujus ſceleris expertem, liberum & incolumem ad patrium ſolum reduceret, redderetque vivum parentibus, per integri anni ſpatium caſtè, illibateque viverem, ac per idem tempus in pane & aqua jejunarem. Favit voto Conditor rerum, & me miraculosè ſatis vinculis, quibus injuſtè ligabar, abſolvit, reddiditque liberum parentibus, quod paulò antè vehementiùs flagitabam. Quapropter ne tanto liberatori ingratus exiſterem, & ſponſionis meæ infauſtus infractor, ſtatim ut carcerem liber exiſſem, jejunium promiſſum inchoavi, & eouſque hodie productum eſt, ut ſexaginta tantùm dies jejunii exiſtimem ſupereſſe, quibus tranſactis, ut citò facient, in tuos amplexus, dulciſſima Marina, perveniam. Tu interim fortiter age & amoris noſtri faces foveto. Ad hæc verba alta ferens ſuſpiria Marina, ait: O tempus nimis longum, & dies tædioſos animo diligenti! cœpitque anxiari vehementer. Quod videns Dagmannus, dixit fœminæ: Si igitur tibi nimis longi videntur hi ſexaginta dies, tu mecum hoc tempus divide. Sume tibi triginta dies jejunii, & ego triginta dies mihi ipſi reſervabo, quo fiet, ut infra triginta dierum ſpatium cupitis amplexibus fruamur. Nam ita voti mei qualitatem moderavi, ut per interpoſitam perſonam urgentibus cauſis ſatisfacere valeam ſponſioni. Dicebat iſta vir caſtus & ſapiens, non eò, quòd aliquid mali opere adimplere cogitarit, ſed ut tentatam fœminam abſtinentiæ remedio liberaret. Ad hujuſmodi igitur conſilium vultu & animo exhilarata promptiſſima voluntate pro Dagmanno jejunii fœmina inchoavit. Et Dagmannus tunc quidem deceſſit ab ea; ſed poſt tres dies ad eam reverſus eſt, viſurus, quid ageret, & utrùm aſſumptum jejunium, prout promiſerat, inviolatum ſervaret. Quæ ſtatim, ut vidit venientem, aſſurgit intranti, ſedem locat, charitatis intimæ ſigna demonſtrat. Dagmannus verò monuit eam, ut conſtanter agat, & inchoata jejunia compleat, atque ſic recedens, poſt ſeptem dies revertitur. Rediens autem, vidit in ea paulò antè rubentia ora, ex inedia palluiſſe. Unde impenſiùs eam conſolans, ſuadet, ne jejunia ſibi dura exiſtimet, per quæ celeriùs conjungantur. Et rurſum poſt monitionem abſceſſit. Rediens autem tertiò decima quinta die jejunii, invenit eam uſque adeò imbecillem factam, ut vix aſſurgere prævaleret venienti, & uſque adeò in ea ſanguinem friguiſſe, ut plurimis licèt veſtibus circumamicta eſſet, nullatenùs tamen caleſceret. Quam ut priùs confortatam derelinquens Dagmannus, vigeſimo nono die revertitur, & invenit eam in lecto decumbentem, & omnibus viribus uſque adeò deſtitutam, ut vix anhelitum ad loquendum ſufficientem retentâſſet. Quod ubi vidit: quomodo, inquit, nunc tecum agitur, Marina dulciſſima? Num inter frigentia membra adhuc ad me fervidum amore pectus obſervas? Tunc Marina ad ſe reverſa, intelligensque, prudentem virum hujuſmodi conſilium, ad ſibi medendum, inveniſſe, Grates, inquit, tibi, ſapientiſſime virorum, mille refundam nec vel ſic poſſum tuæ charitatis inſigniis ſatis eſſe, quibus non modò honori meo, ſed etiam ampliſſimè pudori providiſti. Tu igitur vale, & me tibi debitricem teneto, quia tuis muneribus, induſtriâ, conſiliô, non ſolùm ad te irreverens amor refriguit, ſed & omnis illiciti amoris, jejunio ſaluberrimo medente, uſque adeo ardor avolavit, ut marito revertenti caſtra pudoris inviolata ſervare contendam. Ad quod me juvabit Dominus, qui ſit Deus benedictus in ſæcula.

XIX. Ad conſervandam ſanitatem nihil efficacius, quàm cibi & potûs identitas conſervata; varia enim fercula variarum ſunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & omnis humorum repugnantia repugnat ſanitati. Unde elegantiſſimè, & prudentiſſimè reſpondit quidam de noſtris adoleſcentibus Beluacenſi Epiſcopo eum interroganti, unde contigerat, quòd ſanior, & pulchrior eſſet in Clauſtro, quàm ſolebat eſſe in ſæculo: quia, inquit, uniformiter vivo, & decenter. De quorum primo habeo, ut ſanus *Ibidem exempl. 7.*

sim, de secundo, ut pulcher sim. In sæculo enim vivebam tam deformiter, quam multiformiter, de quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis, de secundo ægritudo; Perrexitque quærere dicens: quid ergo comedisti hodie? satis, inquit. Quid heri? similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate, sed de qualitate. Quid comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa & olera; & hodie olera & pisa; cras autem comedam pisa cum oleribus; post olera cum pisis. Vide ergo quàm pulchro circuitu eandem sententiam circumduxit, ut variis modis ostenderet, eâdem se semper diætâ uti, quæ præstat corpori sanitatem & pulchritudinem.

S. Hieron. epist. 15. XX. D. Hieronymus de Asella sanctissima Virgine ejusmodi, ad Marcellam scribens, adfert exemplum, dicens: Cùm per omnem annum jugi jejunio pasceretur, biduo, triduoque sic permanens, tum verò in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes penè hebdomades vultu lætante conjungens, & quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur injuriâ, non sicca humus, in qua cubabat, jacentia membra conficeret, non sacco asperata cutis fœtorem, situmque contraheret, sed sano corpore, animo senior, solitudinem putaret delicias, & in urbe turbida eremum inveniret Monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occalluisse reperta est.

S. Ambros. in l. de Elia & jejun. XXI. Elias jejunio cœlum clausit sacrilego populo Judæorum; jejunus Filium Viduæ ab inferis resuscitavit: jejunus pluvias & ignes de cœlo excivit: jejunus curru ad cœlum raptus est, & quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plùs jejunavit.

Esth 4. & Judith c. 8. XXII. Esther & Judith jejunio indicto effecerunt, ut propositum suum feliciter perficientes Populum suum ab interitu liberârint.

Drex. l. 1. de jejun. XXIII. Vir quidam in Italia misèrè divexatus à Podagra & Chiragra, & reliquo membrorum usu privatus, cùm ab hoste in turrim inclusus, & quotidie nonnisi pane arcto, & aquâ modicâ refectus esset, rebus mutatis salvus & incolumis, colore vultûs commendabili, è carcere dimissus est.

Pœna, violatæ abstinentiæ.

S. Gregor. Naz. epist. 74. XXIV. D. Gregorius Nazianzenus virtute præstans, qui, etsi statu humilis, tamen tanquam è celsiori loco vibrare jacula in delinquentes, cùm occasio opportuna daretur, minimè prætermisit, non Hæreticos solùm Ecclesiæ Catholicæ perduelles, sed & Ecclesiæ quoque filios pravitate morum à disciplina Ecclesiastica aberrantes coërcuit. Cum enim (ut vel unum de his hîc referamus exemplum) accepisset Eleusium Præfectum sibi familiaritate conjunctum, ab Ecclesia jejunium institutum prætermittere, ut gravis offensæ reum, ad ipsum scribens ita redarguit: Excepi te etiam tacens, ut silentii quoque sermonem esse intelligas per calamum se proferentem. Loquar autem, quæ & amicitiæ & hujusmodi tempori conveniunt. Legibus injuriam facis, Judex, qui non jejunas. Et quomodo Leges humanas servabis, qui divinas contemnis, & prò nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, se ipsum traducere est. In summa, ò Judex, futurum scito, ut judiceris, & minus peccabis. His nihil melius habebam, quòd tibi præberem.

Baronius to. 10. Annal. ad annum Domini 947. XXV. De B. Elphego Wintonienſi in Anglia Episcopo, Sanctitate claro, legitur, quòd in die Cinerum, cùm de more pœnitentes de Ecclesiæ liminibus removeret, hortatus est eos, ut tempore Quadragesimali jejunio & castitate vacantes, diebus illis uxorum etiam deliciis abstinerent. Quorum unus, cæteris Episcopi jussionibus reverenter obtemperantibus, jocari cœpit, dicens se abstinere non posse à Venere, à cibo pariter & conjugio. Cui Episcopus: contristas me, miser, oppido, nescienſ, quid tibi pariat dies ventura. Et sic homo ille recedens duram B. Elphegi prophetiam nebulo experitur, dum postera luce in cubiculo est repertus exanimis, incertum, utrùm à diabolo sit suffocatus.

Dauroulr. c. 4. tit. 10. exempl. 6. XXVI. Anno 1575. in Septimana Sancta: Milites Comitis Ludovici à Nassau contempta Religione veteri, carnibus passim vescebantur, & immodicâ lætitiâ efferebantur. Parochus verò id temporis agens in loco non valdè à castris militum remoto suos confortabat, ut sacrum Quadragesimæ tempus pergerent religiosè peragere: illos quidem divinis humanisque sanctionibus contemptis, nunc strenuè comessari carnibus, victitari & lætari, sed lugubre & funestum Pascha habituros, se verò ac suos fausto ac felici Paschate gavisuros. Quod & factum: nam Catholicis post exactos Sanctæ Quadragesimæ labores Paschalem Solennitatem festivis gaudiis celebrantibus, ecce subitò feriâ quarta Paschæ universus ille Ludovici exercitus cum ipso Comite Ludovico, omnibusque Antesignanis cæsus & interfectus est, pauciſſimis fuga salvatis. Adhuc escæ erant in ore eorum, inquit Psalmista, & ira Dei ascendit super eos, & gladius Catholicorum devoravit carnes & carnivoros. Hanc stragem Gerhardus Candidus in appendice Historiarum Belgicarum Joannis Meyeri his verbis succinctè annotavit. Decimo quarto, inquit, Aprilis die, auxiliares copiæ, quæ Auraici vires nitebantur firmare in Ericeto Mokensi, vulgò auff der Mocker Hayden / ab Hispanis fusæ sunt, & dissipatæ, præcipui exercitûs Duces, Ludovicus & Henricus Nassovii Comites, & Christophorus Palatinus, nec inter vivos, nec inter mortuos reperti.

Delrio in Disquis. p. 1. q. 3. XXVII. His quoque non absimilem Historiam refert P. Martinus Delrio Disquisitionum Magicarum tom. 2. his verbis: Paucis abhinc annis, postquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, feria sexta solenne Paschæ festum proximè præcedente, finita Lutherani Ecclesiastæ concione, civibus è templo D. Matri Virgini sacro revertentibus, quidam alium concivem & familiarem invitat ad prandium: rogat, unà domum comitetur, habere se egregium paratum petasonem Westphalicum: alter parùm abhorrens respondet, sibi

esse

eſſe gallum opiparè elixum, quem cupiat in ſymbolum adferre. Dum ad menſam accumbitur, aliter os quoddam galli ambedere volens, imprudens penè ipſum deglutit: quod cùm neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipſo die ſuffocatur: Alter poſtridie Paſchæ malo ſpiritu corripitur, & non multò poſt rabie & furore exagitatus animam unà cum dœmone exhalat.

Daurcult. l.c. exempl. 9. XXVIII. Ruſticus noſter die Veneris negotii causâ hæreticum Villæ miniſtrum adiit. Erat in menſa opiparè ſanè apparata carnibus. Jubet ille aſſidere hoſpitem, ut irridendum propinet compotatoribus, quippe Catholicum invitat ad carnes: cùm ille conſtanter abnueret, & ſe eo die arceri ab iis Religione diceret, arripiunt risûs materiam, urgent, ſollicitant, riſu, cachinnis, atque temulentis clamoribus admovent ori, intrudunt propè in oculos: tunc egregius miniſter magnum bolum delicatiſſimæ carnis arripit, ruſticum nomine appellat, & in ejus ludibrium cunctis intentis ad ſpectaculum manum attollit, ac deglutiturus pandit impuriſſimas fauces. Adhuc eſca erat in ore ipſius, & ira Dei deſcendit ſuper eum. Hæſit aperto atque hianti ore: nullo conatu, nulla vi conjungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus diſiunxerat. Perducitur Uratislaviam, fruſtra adhibet Chirurgos, aliosve Medicos: dumque magni fiunt ad rem novam concurſus, ille qui contra Religionem Catholicam os aperuerat, & ore apertiſſimo verbum nullum exprimere poterat, eo miraculo prædicabat aptiſſimè fidei veritatem, in ejusque teſtimonium os habebat apertum invitus. Non abſimili modo, funeſtiore exitu, petulans muliercula inter Catholicos immorans, die Sabbathi, ut primum carnis bolum in os ingeſſit, extincta repentè in terram concidit.

Ibidem exempl. 10. XXIX. In Provincia Polonica Anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto Juvenis quidam in Podlachiæ Oppido cùm feriâ ſextâ carnibus veſceretur, nec ab hoſpitibus monitus reſipiſceret, hoſpita, ut eſt fœminarum ſexus ad imprecandum promptus naturâ, ad helluonem converſa, utinam, inquit, vel diabolum vores. Habuitque ſubitum eventum mala precatio: Nam carnium vorator à diabolo cœptus eſt obſideri. Cumque ad patrem delata res eſſet, adhibitæque de more preces, & exorciſmi, ſævire malus dœmon in Sacerdotem cœpit, furere in eos, qui aderant, juvenemque illum miſerandum in modum excruciare, donec intercluſis faucibus enecavit. Fuit hæc res juveni quidem ipſi luctuoſa, etſi eum æquitatis divinæ pœna ad ſanitatem jam ante traduxerat, ſed imperati ab Eccleſia jejunii contemptoribus, quos inopinatus caſus perterruit, ſalutaris.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 1. c. 3. Gloria §. Ign. c. 10. I. S. Ignatius quamdiu Manreſæ fuit, pane ſolo, & aquâ vitam tolerabat, & omnibus diebus, præterquam Dominicâ, jejunabat. Sed & poſtea carnem vitulinam, pullos, aliave, quæ in deliciis ſunt, non admittebat, licet Hoſpites ad convivium invitatos haberet, & tamen ſenex morbis oppreſſus, ſtomachique nauſeâ repletus erat.

II. S. Franciſcus Xaverius cùm in Comorino verſaretur, licet ſummè laboraret, & ſudore perpetuo diffluereet, tamen Orizâ tantùm exiguâ, & à ſe coctâ vivebat, rarò piſce aut lacte licet acido adhibito. Meliaporam tendens ſeptem dies ſine ullo cibo traduxit. *Vita l. 2. c. 6. Et l. 2. c. 6.*

III. P. Petrus Faber cùm initio converſionis ob ſcrupulos, naturæ in comedendo ſatisfacere non poſſet, in Exercitiis per ſex dies à cibo & potu abſtinuit; ex quo tempore magnam facilitatem & tranquillitatem circa abſtinentiam per totam vitam eſt nactus. *Vit. l. 1. c. 3*

IV. P. Franciſcus Suarez præter Quadrageſimam & totum Adventum ter in hebdomade ſeverè jejunabat. *Vita to. de Ang. præfixa.*

V. P. Thomas Sanchez ſemel in die comedebat, & bibebat, idque noctu; ultimis verò annis altero tantùm die calidos cibos ſumebat, altero herbas, ſæpe tamen multis diebus ſolis herbis vivebat. *Annua 1610. Coll. Gran.*

VI. P. Gonſalvus Silveira, cum eſſet Conimbriæ, domum ſe à concione conferens, cibarii panis fruſtum à Promocondo petebat, eoque ad locum ſolitarium culinæ proximum ſecedens, majori cum voluptate fruebatur, quàm alii exquiſitiſſimis cibis. Idem cùm ſororem ſuam feminam valde nobilem inviſere juſſus eſſet, inter alias conditiones etiam hanc poſuit, ut nihil obſonii præter bovinam carnem ſimpliciter elixam, vel ſi piſcem edi oporteat, duratum Sole aut fumo halecem, aquâ purâ coctum, apponeretur. *Vita c. 5. & 8.*

VII. P. Sebaſtianus Barradius viliſſima tantùm & palato ingratiſſima edebat. Sæpe mortificandi ſui gratiâ calidiſſimos, aut frigidiſſimos ſumebat cibos. Seriò petebat à Superioribus, ut aliorum reliquiis veſci poſſet; quod dum negabatur, hoc ſaltem excogitavit, & evicit, ut, quidquid ſemel ab eo inciſum erat, ſeu panis, ſeu malum, quamdiu fruſtillum ex eo ſupererat, nihil integri admitteret. *Vita itinerario præfixa.*

VIII. P. Franciſcus Villanova pauculis ſæpe fruſtulis è menſa ſociorum relictis fruebatur. In hoſpitiis ad panem nihil, niſi ſubinde parùm caſei addebat. *Hiſt. Soc. l. 1. n. 127.*

IX. Joannes Berchmannus nihil unquam peculiare in cibo admiſit, di cens, ſperare ſe DEO cordi fore, ut communia non nocerent, quando iis uteretur, ne diſcederet à communi uſu. Affirmabat uſu temporis temperantiam paulatim acquiri poſſe; ſe verò ut non jentandi aſuetudine obſtringeretur, cœpiſſe ab initio ſuſcepti Tyrocinii detrahere quotidie aliquid de cibo conſueto, atque hâc viâ didiciſſe abſtinere. *Vita p. 2. pag. 73.*

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

I. Galenus Medicus decimo quoque die jejunium ſibi indicebat, ſanitatis videlicet conſervandæ gratia. Hippocrates Medicorum Princeps ad annos centum & quadraginta vixit; *Cal. Rhodig. lib. 30. c. 12.*

xit; cauſam rogatus, reſpondit, quia nunquam ſatur à menſa ſurrexi.

Math. Faber fer. 4. Cinerum conc. 1. pag. 417.

II. Gallenus, Trajani & Antonini Imperatorum Archiater, interrogatus, cur ad tantam ſenectutem pervenerit (ſunt enim, qui ſciebant, vixiſſe eum annos centum & quadraginta) hanc attulit cauſam: Nunquam ſatur à menſa diſceſſi; nunquam ſic me effudi in cibum & potum, quin aliquod ſemper ſuperfuerit edendi, bibendique deſiderium. Hinc benè Eccleſiaſticus: Qui abſtinens eſt, adjiciet ad vitam.

P. Riſſe exhort. Schol. laſt. 26. ex apoph.

III. Pompejo ægrotanti Medicus turdos præſcripſerat ea tempeſtate, quâ comparari non poterant; ſuggerente verò quodam, apud Lucullum invenirì poſſe: Itàne, inquiebat Pompejus, niſi deliciis deditus eſſet Lucullus, nequaquam viveret Pompejus, contemptoque Medico, cibis parabilibus uſus eſt. O verè maſculum animum, qui ne vitam quidem delicis acceptam ferre ſuſtinuit.

Idem l. c.

IV. Ageſilaus, cùm per Thaſiorum agros, quæ gens ut rerum copiâ abundabat, ita voluptati erat addicta, exercitum duceret, Thaſii, honoris gratiâ dono liberali miſerunt farinas, anſeres, bellaria liba ex melle condita, variiſque generis, ac pretii tum eſculenta, tum potulenta: at ille præter farinas nihil admiſit, & reliqua domum referri juſſit, tanquam ſibi, ſuisque prorſus inutilia: Cæterùm, cùm illum precibus, & obteſtationibus urgerent omnino, ut acciperet Xenia, juſſit ea inter Helotes diſtribui, (id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus.) Ejus facti cauſam ſciſcitantibus repoſuit, non decere, qui virtutis, fortitudinisque ſtudio tenerentur, iſtiuſmodi delicias cupediasque recipere; ſapienter oſtendens, nihil eſſe ſervilius, abjectiusque, quàm gulæ ventrisque cupiditatibus obnoxium vivere.

P. Riſſe l. c.

V. Socrates ſemper jucundè edebat & bibebat, quia neutrum faciebat, niſi eſuriens, ac ſitiens, dicere ſolitus: optimum condimentum eſſe famem, quod & optimè edulcaret omnia, & nullius eſſet impendii. Quod ſapit, nutrit, Medicorum maxima eſt. At enim nunquam cibus ſapidior eſt, quàm cùm modicè in poſtrema refectione admiſſus eſt.

Idem ex Apoph.

VI. Regina Carum Addas illud habebat in more, ut aſſiduò mitteret Alexandro obſonia, bellariaque per ſimilium rerum Architectos, coquosque magna arte parata. Alexander verò dixit: ſe ipſum habere meliores obſoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam verò tenue prandium.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Auguſt. conflict. vit.

I. Sicut æger Medicinas accipit, non quia voluptas, ſed neceſſitas id requirit; ita de cibis non, quantum appetitus exigit, ſed quantum neceſſitas ſuadet, capiendum eſt.

S. Chryſ. ho. 1. de pœn.

II. Sicut hi, qui Medicinali remedio potare diſponunt, ſi non fuerint diligenti abſtinentia præparati, fructum remedii ſentire non poſſunt: ita & hi, qui poſt crapulam ad jejunium veniunt remedium non agnoſcunt.

S. Aug. c. 10 de docum.

III. Sicut equis frena ſunt imponenda, ne alioqui per præcipitia ducant; ita anima, ne ad inferni præcipitia delabatur, corpus per jejunium & abſtinentiam frenare debet.

Utilitas.

S. Baſil. ho. 1. de laude jejun.

IV. Sicut vermes, qui in puerorum inteſtinis germinant, pharmacis quibuſdam vehementer acribus & amaris excutiuntur; ita peccatum in intimis ſenſibus habitans extinguit, enecatque, ſimul atque in eam jejunium ſupervenerit.

Vita P. P. l. 5. libell. 4. n. 19.

V. Sicut Rex aliquis volens civitatem occupare, ante omnia, ſi poteſt, alimentorum & aquæ ſubtractionem procurat; ita, qui vult corpus animo ſubjicere, non citiùs id, quàm per jejunium & abſtinentiam obtinebit.

S. Chryſ. hom. 1. in Gen.

VI. Sicut leviores naves maria faciliùs transeunt, contra multis oneribus gravatæ ſubmerguntur; ita jejunium leviorem reddens mentem efficit, ut faciliùs hujus vitæ pelagus tranſmittat, & in cœlum, ac ea, quæ in cœlis ſunt, reſpiciat, & nihili faciat præſentia, ſed ut umbras diffugere cenſeat.

Idem hom. de reſurr.

VII. Sicut miles, ſi geſtârit arma gravantia, non eſt terrori hoſtibus, qui ſciunt, armaturæ gravitatem pedum velocitati, & bellandi uſui obeſſe; ſi verò levia acceperit, & tractabilia, ſicut avis aliqua obvium ſe feret hoſtibus; ita & qui carnem non ebrietate, neque indulgentia, neque deliciis incraſſârit, ſed jejuniis & precibus diuturnaque afflictionum ſuſtinentia leviorem & tenuiorem effecerit, ſicut avis aliqua ſupernè devolans, ita valido impetu in phalanges Dæmonum irruit, & occurrentes virtutes facilè invadit, ſibique ſubjicit.

S. Clim. grad. 26.

VIII. Sicut oleum mare invitum etiam tranquillum facit; ita jejunium nolentia quoque & reluctantia incentiva corporis extinguit.

Ibid. c. 48.

IX. Sicut terra, ſi moderatè ſit irrigata, ſemen ſparſum, quod excipit, cum multa fertilitate effundit; multis verò imbribus madefacta ſpinas tantùm & tribulos fert; ſic terra cordis, ſi moderato utamur victu, ſemina ſibi innata ac inſita pura edit, & illa, quæ ſunt à Spiritu Sancto ſeminata, cum multa viriditate & ubertate fructuum profert; ſin verò potu madeat, ex omnibus cogitationibus ſuis ſpinas & tribulos procreat.

§. VIII.

MOTIVA.

I. Quia *divinam miſericordiam nobis conciliat*; Sic Ninivitæ jejunio ſuo DEI iram averterunt.

II. Quia *orationem noſtram DEO gratiorem facit*; bona eſt enim oratio cum jejunio.

III. Quia per jejunium *Dæmonem vincimus*; hoc enim genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi oratione & jejunio.

IV. Quia per jejunium *carnis tentationes effugimus*; in luto enim exſiccato non facilè volutantur ſues.

V. Quia jejunium *ſimiles nos Angelis facit*; utpote qui ab omni corporali cibo abſtinent.

VI. Quia qui abſtinens eſt & jejunat; *adjiciet vitam*, corporis, animæ, gratiæ, gloriæ.

VII.

S. *Chrys. hom.* 1. *de jejun.*

VII. Jejuna, quia *peccâsti*: jejuna, *ut non pecces*: jejuna, *ut accipias*: jejuna, *ut permaneant, quæ accepisti.*

§. IX.

MEDIA.

I. *CHRISTI & Sanctorum Exempla frequenter ob oculos ponere*, dicereque cum S. Augustino sibi ipsi: potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

II. Spiritualibus rebus magnâ cum diligentiâ vacare: gustato enim spiritu desipit omnis caro, & quidquid ullo modo ad carnales voluptates conducit, ut sunt cibus & potus.

III. Sæpe *Considerare* quàm vilis, brevis, noxia sit voluptas, quæ ex cibo & potu hauritur.

IV. Quotidie sibi parùm de cibo potuque *detrahere*, donec ad certam corporique convenientem mensuram perveniatur.

V. *Exercitatio corporis & animi assidua:* ut S. Bernardus suasit dicens: Surge, præcinge te, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercita te in aliquo, & statim senties sola te appetere, quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet enim sapores cibis exercitium, quos tulit inertia. Multa, quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desidiosus.

S. *Leo. s.* 1. *de jejun. 7. mens.*

VI. *Considerare utilitates*, quæ ex jejunio, publico maximè, hauriuntur, de quibus præclare S. Leo sic loquitur: Divinarum reverentia Sanctionum inter quælibet spontaneæ observantiæ studia habet semper privilegium suum, ut sacratius sit, quod publica lege celebratur, quàm quod privata institutione deperditur; exercitatio enim obedientiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis; jejunium verò, quod universa Ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione sejungit; & tunc fit potentissimus DEI populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt, & in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte est præparatio, & eadem est ubique munitio.

§. X.

ASCETICA.

I. UT Asceta huic virtuti majori cum fervore studeat, sequentia bene observet: Primò certò sibi persuadeat, nunquam se in perfectione insignem aliquem profectum facturum, nisi in abstinentia priùs excellere studeat, uti S. Climacus rectè advertit, dum dixit: *Nunquam à Pharaone liberaberis, neque supremum Pascha celebrabis, nisi amaritudines comederis; amaritudines sunt jejunii violentia & afflictio, azyma verò sensus minimè inflatus.*

S. *Clim. grad.* 9.

S. *Greg. l.* 30. *mor.*

II. Pari modo sibi persuadeat, non esse adeò facilè, ad perfectionem hujus virtutis pervenire, sicut primo aspectu apparet: nam, ut bene S. Gregorius notat, *sic plerumque voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit; voluptas expleri desiderium suggerit, & tanto gula securius in præceps ruit; quanto sub honesto nomine necessitatis explenda se contegit;* quod S. Augustinus confessus est dicens: *Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantùm extra metas necessitatis? quisquis ille est, magnus profectò est, magnificet nomen tuum? ego autem non sum, quia homo peccator sum.*

S. *Aug. in confess.*

III. Non tantùm efficax, sed etiam necessarium pro hac virtute obtinenda medium credat, orationem esse; nam, teste S. Bernardo, oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium meretur gratiam orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium. Hinc S. Augustinus iterum de se fatetur: *His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dextram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat; nemo enim potest esse continens, nisi tu des.*

S. *Bern. s.* 30.

S. *Aug. in confess.*

IV. Quia verò DEUS etiam cooperationem nostram requirit, ideo magnifaciat, & speciali cura observet Ascета Regulas pro temperando victu à S. Ignatio Lojola traditas, quæ ferè in sequentibus consistunt. 1. Quòd à pane minùs sit abstinendum, quàm à reliquis alimentis, eò quòd is nec gulam adeò irritet, nec tentationi adeò obnoxium hominem reddat. 2. Quòd circa potum magis sit abstinentia servanda, quàm cibum, eò quòd gravior excessus in illo. quàm in hoc committi possit. 3. Quòd circa edulia & pulmenta potissimum abstinentia servari debeat, utpote per quæ & appetitui ad peccandum, & Diabolo ad tentandum major occasio subministratur; unde gemina industria adhibenda, ut scilicet vel grossioribus cibis quis vescatur, vel parcè delicatis utatur. 4. Quòd ad mensuram justam cibi ac potûs inveniendam, paulatim sibi aliquid detrahere debeat, quousq; deprehendat, quantùm sufficit, ut functiones suas ordinarias commodè obire possit. 5. Quòd inter comestionem expediat, vel Christum cum Discipulis comedentem imaginari, vel aliis piis cogitationibus animum, suaviter tamen & absque violentia occupare, ut hac ratione occupatus abstrahatur à suavitate ciborum percipienda, minusque super illos affectus effundatur. 6. Quòd ad intemperantiam cavendam non parùm conducat, si antè, quàm cibus vel potus sumatur, ac nulla esuries sentitur, determinetur, quantùm quis sumere velit, & ab hac mensura nec à propria aviditate, nec ab instigatione inimici abduci se permittat. 7. Quòd præcipuè cavendum sit, ne super sumendos cibos animus quasi totus effundatur; aut cum nimia aviditate & festinatione comedatur.

S. *Ign. in lib. Exerc.*

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. POtest in initio Quadragesimæ afferri exemplum Estheris, quæ, cùm irati Asveri furorum placare, latamque mortis sententiam à Populo suo avertere vellet, confugit ad Dominum,

Dominum, dein cùm depoſuiſſet veſtes regias, fletibus ac luctui apta indumenta ſuſcepit, cinere implevit caput, corpus ſuum humiliavit jejuniis, & deprecabatur Dominum DEUM Iſraël. Dici proinde poteſt, id ipſum Eccleſiam hoc tempore Quadrageſimæ facere, ut iram DEI ſedet, & ſententiam mortis ob peccata in Bacchanalibus perpetrata latam avertat. Oſtendatur itaque cujuslibet horum mediorum aptitudo ad DEUM placandum. Qua de materia videri poteſt Nilus Myſticus P. Philippi Kiſſelii p. 1. conc. 14.

II. Poteſt inſtitui pulchra comparatio piſcium, quos in Quadrageſima comedere loco carnium jubemur, cum piſce, qui juniorem Tobiam devorare voluit, oſtendique, quòd ſicut *Tob. 6.* Tobias auxilio S. Raphaëlis animatus illum invaſit, & tres fructus ex illo capto reportavit, ſcilicet extricationem Dæmoniorum, ſanationem oculorum Patris, & ſuſtentationem; ita Chriſtiani quoque hæc tria commoda reportent per jejunium, nempe extricationem Dæmonis & carnis, quæ eſt alter dæmon, ſanationem corporis & animi, ſuſtentationem, quatenus victum tribuit, & vitam prolongat. Quæ ſingula fuſiùs explicata videri poſſunt apud Fabrum in Fer. 2. Cinerum conc. 1.

Mich. c. 6. III. Poteſt dici haud dubiè multos peccatorum ſuorum conſcios deſideraturos aliquod medium, per quod iram DEI placare poſſint; neque tamen diu eſſe quærendum, cùm per Micheam Prophetam offeratur dicentem: Indicabo tibi, ô Homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere judicium (caſtigando te per jejunium) & diligere miſericordiam (dando eleëmoſynam) & ſollicitum ambulare cum DEO tuo (per orationem) & hunc eſſe funiculum triplicem, qui difficulter rumpitur, & per quem conſtringuntur irati DEI manus, ne punire nos queant, quod de quolibet ſpeciatim erit oſtendendum. Videatur Faber. p. 3. Fer. 2. Rog. conc. 3.

IV. Poteſt Jejunium commendari ab illis quatuor effectibus, quos Eccleſia in Præfatione quadrageſimali indicat, dum ait: Qui corporali jejunio vitia comprimis (vide Aloë l. 1. c. 29. & 12.) mentem elevas (vide ibid c. 8. & 10.) virtutem largiris (vide c. 13.) & præmia (vide c. 13. & 11.)

V. Poteſt oſtendi, quàm verum ſit, quod Eccl. 37. dicitur: Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam, idque probari per quadruplicem vitam. 1. Corporis (vide Drexelium in Aloë l. 1. c. 4. 17. & l. 2. c. 10.) 2. Animæ (vide ibid. c. 8. & 9.) 3. Gratiæ (vide c. 13.) 4. Gloriæ (vide l. 1. c. 1. & l. 2. c. 11.)

VI. Poteſt dici, quòd tempore jejuniorum multi varia condimenta conquirant, quibus ſapidos cibos efficiant, ſed nullum melius eſſe, quàm ipſum jejunium, idque duplici modo oſtendi poteſt, 1. Per ipſam naturam jejunii (vide Drex. in Aloë l. 1. c. 6.) 2. Per gratiæ divinæ efficaciam & dulcedinem, quæ comparari poteſt illi ſucco, quem olim Rabaudus Monachus plebeios cibos faſtidiens vidit à S. Petro & Honorato Abbate oleri imponi, & quovis melle dulcius effeciſſe; hoc enim eſſe, quod DEUS in Apocalypſi promiſit dicens: Vincenti dabo manna abſconditum. *Apoc. 2.*

VII. Poteſt oſtendi, cur jejunia diverſis temporibus inſtituta ſint, nimirum 1. Feria Sexta & Sabbato. 2. In Quatuor anni temporibus. 3. In vigiliis Feſtivitatum. 4. In Quadrageſima, ubi eſt maximè inhærendum. Vide Fabrum Dom. 1. Quadr. conc 7.

VIII. Poteſt oſtendi varietas jejuniorum, bonorum ſcilicet, 1 Naturale; & hoc commendari poteſt pro Sacræ Euchariſtiæ ſuſceptione. 2. Philoſophicum; & ex hoc ſumi poteſt argumentum ad jejunii noſtri ſuavitatem demonſtrandum, objiciendo illud S Auguſtini: Potuerunt iſti, & iſtæ, & tu non poteris; 3 Eccleſiaſticum, cujus excellentia & utilitas multiplex demonſtrari poteſt. (vide Drex. Aloë l. 1. c. 1. & 3. & l. 2. c. 5.)

IX. Poteſt oſtendi varietas jejuniorum vitioſorum, nempe 1, Guloſum, ſeu eorum, qui jejunant, ut plùs comedere poſſint, de quo vide Drex. in Aloë l. . c. 2 §. 2. & c. 7. §. 1. 2. Avarum, ſeu eorum, qui jejunant, ut pecuniis parcant. Vide ibid. c. 2. §. 1. & c. 7. §. 1. 3. Phariſaicum ſeu eorum, qui propter vanam gloriam jejunant. Vide ibid. c. 2. §. 2. 4. Melancholicum & coactum jejunium. Vide l. 2. c. 7. §. 3. & c. 8. §. 1. 5. Superſtitioſum, de quo vide c. 8. §. 2. 6. Mortuum jejunium, de quo vide ibid. c. ult. & Staplet. Dom. 1. Quadrag.

X. Poteſt occaſione illius ſententiæ Eze- *Ezech. 4.* chielis: Cibus tuus erit in pondere & menſura: *v. 10.* oſtendi 1. Qualis requiratur menſura ad jejunandum, de quo vide Aloën l. 2. c. 2. 3. 4. 2. Quomodo etiam DEUS præmium in menſura & pondere ipſi correſpondente ſit largiturus, de quo vide ibid. c. 6.

XI. Poteſt ex illa ſententia Eccleſiaſtæ: Beata gens, cujus Principes comedunt in tempore *Eccleſ. 10. v. 17.* & c. oſtendi, quàm rectè arguatur, Chriſtianos verè à DEO electam gentem eſſe, ut quæ carnem crucifigat cum concupiſcentiis ſuis. Unde poteſt hîc de inſtitutione Quadrageſimæ agi, & quanti facienda ſit, indicari. Vide Drexel. in Aloë l. 2. c. 9.

XII. Poteſt dici, Proverbium illud S. Auguſtini: DEUM non tam verba, quàm adverbia amare ac præmiare; in jejunio vel maximè etiam locum habere, atque adeò oſtendi poteſt, quòd jejunium 1. Verè, & non fictè. 2. Hilariter. 3. Piè, ſeu cum bona intentione. 4. Amanter, id eſt, cum munda conſcientia. 5. Liberaliter, id eſt, varia bona opera addendo ſit tranſigendum. Vide Fabrum Fer. Ciner. conc. 2.

XIII. Poteſt oſtendi, quomodo jejunantes excitare ſe poſſint ad alacriter ſuſcipiendum je- *S. Chryſ. tom. 1. in cap. 1. Gen. hom. 1.* junium. *Exemplo Chriſti*, de quo S. Chryſoſtomus pulchram hanc ſententiam protulit: Ne attendas ad laborem ſolum, ſed ad fructum. Labor quidem nobis eſt in jejunando, at nondum pro Domino JESU crucifixi ſumus. Majora ipſe tulit, parva nos reddimus. Crucifixus eſt propter te, & ſitit, & bibit acetum cum felle propter te, quid tu propter ipſum? Stas in labore, nondum pependiſti in cruce. Ne ſis ingratus in Dominum JESUM; qui non compatitur JESU, ignorat JESUM.

§. XII.

§. XII.

ALII CONCEPTUS PRO CONCIONIBUS SERVIENTES.

Qualitas.

Nyſſenus ſerm. 2. in die Cin. §. 3.

I. NOn probat Dominus qualiacunque illa jejunia, quia ſi totâ Quadrageſimâ ab illicitis eduliis abſtineas, interim verò in malo ſtatu perſeveres, non eſt hoc bonum jejunium, quod famelicam relinquit animam. S. Baſilius Magnus Hom. 2. de jejunio, quod ſit legitimum jejunium ſic deſcribit: Verum jejunium eſt à vitiis immunem eſſe, continentia linguæ, iræ cohibitio, obtrectationis, mendacii, perjurii, ab his abſtinere, verum jejunium eſt. Non eſt aurum, quidquid lucet; neque jejunant omnes, qui non comedunt. Temperare animo à pravis cupiditatibus, manibus à malefactis, oculis à petulantibus obtutibus, linguæ à ſuſurro, obtrectatione, contumeliis, blaſphemiis, ventri à gula ſimul & Venere, id verum jejunium ex S. Baſilio. Quantâ verborum gratiâ hoc expreſſit Leo, ille omnium, quotquot Eccleſia habuit, manſuetiſſimus: Superfluum eſt, inquit, Magnus Pontifex ſer. 8. de jejunio decimi menſis, ſuſcipere eſuriem, & iniquam non deponere voluntatem, reſciſſo affligi cibo, & à concepto non deſiſtere peccato. Carnale eſt, non ſpirituale jejunium, ubi ſoli corpori non parcitur, & in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora ſunt, permanere.

Ibidem.

II. Quis neſcit, quàm perditis quondam moribus Ninivitarum urbs magna fuerit? Deſtinavit ad eam Deus Jonam Prophetam, qui in viam, & ad vitæ ſanioris ſtudia eam revocaret. Ivit Propheta, fecit, quod juſſus, & quoniam quadraginta dierum inducias, quibus ſcelera ſua pœnitentiâ damnare, & errata emendare poſſent, addixit, Rex omnibus jejunium, ſaccos, cilicia, cineres & ſupplicia, quæ de ſe quisque ſumeret, publico edicto imperans, ita decrevit: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, Jonæ 3. v. 7. Primus legem ſubiit, qui tulit, & mox poſt illum ceteri, nec enim magnes tam facilè ferrum ad ſe allicit & trahit, quàm propensè ad omnem boni operis uſum ſubditos exemplum Principis adducit. Poſtquàm devotè obtemperârunt Regi, & pœnitentiâ tam ſtrenuâ ſuos in ſe erratus mulctârunt, reſiliit à ſuperiore illo ſeviore propoſito Deus, qui novit retractare ſententiam, dum impius mutat mentem. Sed quam nobis Scriptura revocati à Domino fatalis decreti cauſam aſſignat? Et vidit Deus opera eorum, inquit, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Operæ pretium eſt hîc figere pedem, & penſiculare id, quod dicitur Deus vidiſſe opera eorum. Quare unum non commemorat jejunium jejuniorum omnium, quæcunque nobis hiſtoriæ produnt, prodigioſiſſimum? Quod jejunârint homines, quos ratio in rerum ſublimiorum notitiam adduxit, viſum id ſæpè, fitque hodie, ut communem abſtinentiam ſervent plurimi: Sed parvulos, & pecudes obſervantes jejunii quis vidit? Cur ergo tam inauditi jejunii non fit mentio, vel ut inde intelligeremus, placuiſſe etiam illud Numini? Theophylactus prætermiſſi jejunii cauſam adfert cauſæ noſtræ plurimùm opportunam: Reſpexit autem Dominus, ait ille, opera ipſorum, videlicet bona, quæ fecerant, jejunium ipſorum non aſpexit, proinde jejunium non fuit per ſe ſufficiens, ut Deum redderet propitium, ut eum placaret, niſi & mores correxiſſent, & bona opera exhibuiſſent. Si victum tantùm à ſe abdicâſſent Ninivitæ, non vitium, nihil obtinuiſſent, jejunium, quod ſolum Deo probatur, eſt à vitiis immunem eſſe.

Ibidem.

III. Gravis quidam & acutus Author ſubtilem habuit de re aliqua cogitationem, dignam, quam expendatis, & obſervetis. Quid myſterii ſubſit, ajebat, quòd vix dum unus militum, Longinus quidam, lanceâ latus Chriſti aperuit, quando continuò exivit ſanguis, non ille ſolus, ſed comitatus aquâ? Latet ſub hoc ſanguinis & aquæ pari effluxu non Sacramentum tantùm, ſed inſigne quoque documentum. Quale porrò documentum? Reſpondet, eo myſterio cum ſanguine aquam concurriſſe, ut hinc inſtrueremur, id à nobis in omnibus noſtris mortificationibus, afflictationibus, jejuniis agi oportere, ut ſanguinis comes ſemper ſit aqua, ut qui in carnem ſuam flagris animadvertit, donec ſanguinem vertat, qui jejuniis corpus emaciat, debilitatque, is hæc taliaque opera non ſinat eſſe fletibus orba, ſed cruori lachrymas adjungat, Deumque offendiſſe doleat, nam fundere ſine aqua ſanguinem, infructuoſus labor eſt: jejunare, nec meliorem ſimul vitam vivere, inanis fatigatio eſt; abdicare à ſe cibos, non flagitia, eſt operam ludere, & oleum præterea perdere.

Ibidem.

IV. Evangelicus Propheta eandem nobis doctrinam egregiè tradit. Prævidebat ille ſtupendas mortificationes, & aſperitates, quibus ſe afflicturi erant viri, qui in lege gratiæ futuri ſancti erant, atque ne ſe infructuoſo labore fruſtra conficerent, verùm debito modo ea opera perficerent, his eos verbis ex ſenſu allegorico appellat: Egredietur virga de radice Jeſſe Iſa. 11. v. 1. Et talibus docemur, quem ſervare in jejuniis, cæteriſque afflictionibus, modum debeamus? imò verò. Mox nempè ſubjicit: Et flos de radice ejus aſcendet. Quis horum ſenſus, aut quomodo ea accipiam, ut in rem præſentem conveniant? Virga Judiciariæ poteſtatis, à qua ſupplicia decernuntur, & inferuntur, pœnitentiæ ſymbolum eſt, quâ de nobis ipſis pœnas repetimus. Unde hæc pœnitentia oriri debet? de radice. Dicat, dicat hoc amplioribus, & illuſtrioribus verbis Albertus magnus: Non ſolùm ex ſummitate virgæ, ſed ex radice aſcendet flos, quia non tantùm ex afflictione corporis, ſed ex humilitate mentis aſcendit flos, id eſt, ſpes æternæ beatitudinis. Hæc ille ſerm. 56. Non efflorescet Chriſtianus, nec quicquam proficiet, niſi virga, afflictatio, jejunium ſuam ab humili radice originem ducant, & cum animi demiſſione, pœni-

pœnitudine, ac vero dolore sint conjuncta; quod verò cum his conjunctum, idem bonum est jejunium.

Ibidem. V. Id genus jejunium, & pœnitentia obsonant Angelos, & lautas epulas ad voluptatem beatis illis Spiritibus ministrant. S. Athanasius, cùm verbis amplificare laudes jejunii vellet, non invenit commodiora, quàm si diceret: *jejunium Angelorum cibus est*, Lib. de Virgin. in tantam sublimitatem assurgit, qui ritè jejunat, ut Angelis mensam opulentam, opiaramque instruat: sed ne simplex quidem, & promiscuum jejunium putes; ita post ista monet D. Athanasius: non enim qui à scibis jejunat solummodò, probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo, hoc enim jejunium censetur. Qui sic ventrem cibis vacuat, & ex animo simul vitia exhaurit, & abstinentiam escarum abstinentiâ condit offensarum, seu culparum, is ex voto, & ad gustum Angelorum jejunat, & epulum illis dat tam gratum, quàm splendidum. At si tale jejunium est Angelorum epulum, quisquis jejunat, & non ad modum, quem dixi, hoc facit, idem, quantum in ipso est, Angelos, Cœlitesque reliquos fame conficit, & necat: è contra verò dæmones pascit, inferisque convivium celebrat, quibus enim operibus offensionem adfert Angelis, iisdem voluptatem conciliat dæmonibus.

Filius prodigus id testatum dabit. Reliquit ille patrias ædes, prodegitque extemplo facultates omnes cum meretricibus. Hinc in tantam incidit egestatem, ut famulatui se addicere opus habuerit Domini, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, Luc. 15. Porrò qui porcos ad pastum ducebat, ipse impastus, atque inesus dies totos transmittebat, cupiebatque saturari de siliquis, & nemo illi dabat. Itaque qui suibus suum victum procurabat, ipse arctissimè jejunabat. Quos porcos dicas à prodigo filio pastos? pascebat porcos, id est, dæmones, ajunt S. Augustinus & Hugo Cardinalis. Cibos ergo dæmonibus inferebat copiosos, ipse ex jejunio famelicus. Sic quisquis perperam jejunat, quisquis vitiis pascitur, dum à victu abstinet, idem dæmones pascit, Cœlites fame necat. Pascebat dæmones, cibus & alimentum ipse erat; talis est unusquisque peccator; dæmonem ex se pascit. Quid facit alimentum in corpore ejus, quem nutrit? in substantiam comedentis transit, non aliter, quàm mansuetudo ovis in feritatem simul & cibum leonis vertitur. Ergo qui jejunat, & interim peccat, uti filius prodigus fecit, si est cibus & nutrimentum dæmonis, in dæmonem vertitur, non transformatione naturæ, sed imitatione morum & vitæ. Prorsum hoc piissima veritas habet, qui jejunat, simulque peccat, dæmon est, diabolus est, inferorum verna est. S. Eligius & Isidorus id his paribus verbis affirmant: Qui à cibis abstinent, & pravè agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper est.

Utilitas.

Ibid. part. 1. l. 6. Polit. c. 2. VI. De jejunio Sanctus Julianus Archi-Episcopus Toletanus in suis Commentariis in Nahum sic ait: Jejunium est mors vitiorum, vita virtutum; est jejunium pars corporis; decus membrorum, ornamentum vitæ, castitatis murus, civitas Sanctitatis. Omnia hæc sacri jejunii elogia vehementer probo, unum tamen est, in quo nonnihil difficultatis invenio, quòd dicitur jejunium pars corporis, & decus membrorum. Quòd abstinentia sit internecio scelerum, gladius flagitiorum, sanctitatis vigor, & hospitatio, murus castitatis adamantinus, arx pietatis invicta, id facile est intellectu: verùm quòd sit pars corporis, partium illius ornamentum, quomodo persuaderi queat, nescio, præsertim cùm magis videatur imminuere, extenuare; & tanquam lima deterere corpus, & consumere, & membra ejus squalore obducere, & marcida efficere. At erras, mi homo, inquit S. Julianus, pusillanimitasque tua, & vana imprudentis rationis apprehensio à vero te abducit, jejunium enim non debilitat, sed roborat, & pœnitentia non est gladius interimens, sed panis confirmans, & vitam in eis repertis, in quibus invenire mortem putabas, cùm econtra sæpè morbos, mortemque incurras ex ciborum luxu, & deliciarum intemperante usu, ex quibus & constantiorem incolumnitatem, & vitam perdurabiliorem expectabas. Videte tale quidpiam in tribus pueris, Sancti Prophetæ Danielis sociis, qui cùm leguminibus tantùm vescerentur, & stata jejunia observarent, tam decentem formam, liberalemque, & elegantem speciem eis tenuis ille victus, & diuturnior inedia attulit, ut de eis sacer Textus Dan. c. 1. v. 19. ita pronunciet: Non sunt inventi tales de universis, ex omnibus adolescentibus, qui ad hoc nutriebantur, ut Regi ab intimis cubiculis essent, non fuit aliquorum tam grata Nabuchodonosoris oculis, quàm Danielis, asseclarumque ejus venustas. Ex quo arbitrari licet, quòd jejunium non enecet, non mactet abstinentia, sed ornet potiùs corpus, membraque illius honestet: Est jejunium pars corporis, decus membrorum. Majorque ex illo pulchritudo nascitur, quod fœdissimam turpitudinem allaturum videbatur.

VII. Quanta autem sit jejunii efficacitas, non *Idem l. 6.* parùm ex eo eluceret, quòd Regi virtutum, & *c. 7.* omnis potentiæ Domino in supremo illius, & pœnali cum acerba morte conflictu accidit. Blasphemias in illum plurimas, & atrocissimas hostes ipsius capitales omnes jactabant, quod ipse ex sententia S. Augustini multò antè præviderat, & per os Prophetæ Regii prædixerat, quando Psalmo 68. vers. 5. sic ajebat: multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injustè; & cùm sitim meam, quâ intolerantissimè laborabam, illis significarem, dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto; ibid. v. 22. Satis manifestè hic videre licet, inquit egregius Doctor, quàm accuratè ad ipsum literæ sensum expletum hoc fuerit in mitissimi Agni acerbissima passione. Cùm enim videret, quòd omnia jam tormenta exantlâsset, solusque reliquus esset ex aceto degustando cruciatus, vix ardentem, sævamque sitim suam aperuerat, quando Judæi, ut illius dolores exasperarent magis, auctoresque

que redderent, mordax acetum ei propinârunt. Verùm Evangeliſta monet, quod cùm guſtâſſet, noluit bibere. Matth. 27. v. 34. Dicit nunc Auguſtinus: Quidnam inter hos tam acres, & acerbos conflictus, tantasque amaritudines patientiſſimus Dominus agit? Id, quod Propheta cum Evangeliſta congruens affirmat: Operui in jejunio animam meam. ibid. v. 11. In quæ Auguſtinus: Jejunare elegit; impotus manere maluit, quàm bibere. Cumque hac jejunii loricâ ſe texiſſet, conſummatum eſt, inquit apud S. Joannem c. 19. 30. velut dixiſſet: Ad umbilicum deductum eſt negotium, & certa victoria. Qui enim ſorti hac, inſignique loricâ communitus eſt, non habet, quòd metuat, hoſtiumque profligationem, & indubitatum ſibi promittere poteſt triumphum. Irrugiant itaque inimici, furiant hoſtes, ac perbacchentur, armentur blaſphemiis; jactent convitia, vomant probra, quidquid libitum eſt, id faciant, & dicant, totus contra me orcus conjuret, ſed hoc ſibi perſuaſum habeat, quòd inanis à me redibit, nam in me non habet quidquam, Joan. 14. 30. hoc eſt, non inveniet, quâ parte me invadere queat, ut ferè exponit S. Gregorius. Cur iſtud? Quoniam operui in jejunio animam meam, jejunio contectus, jejunii ſcuto munitus, & à ſummo vertice usque ad extremas calces ſum obarmatus. Quis ſub his armis timeat? quis tali clypeo ſcutatus tremat? Tanta nimirum vis eſt jejunii, ut Deus ipſe illâ uti videatur adversùs omnes ſuos viſibiles, & inviſibiles hoſtes, tanquam non haberet nativum robur ſuum, & defendendi ſe, ac protegendi potentiam immenſam. Quòd autem jejunii præſidium ſibi adhibere voluit magnus Dominus, hoc ad illius ſingularem commendationem fecit, ut, quanta ſit illius virtus, & poteſtas, nobis innoteſceret, quod ſcilicet ſolum tueri illum, cùm tam multis in locis, tam rabioſis ab hoſtibus oppugnaretur, potuiſſet, tametſi vires, quibus ſeipſum defenderet, alias nullas habuiſſet.

Philipp. Harttung fol. 274.

VIII. Levitici 14. Mandat Deus duos paſſeres ſacrificari, quorum alter occidendus erat, alter permittendus evolare; ut unus evolet, alteri moriendum eſt. Quid hoc indicat? Sacrificium, quod à nobis Deus exigit. Duo paſſeres ſunt corpus & anima. Utrumque teneris offerre. Quomodo? accipe cultrum, & guttur alteri ſcinde, cultrum jejunii; ſic evolabit alter. Ita Orig. in Pſal. 37. homil. 1. ita opere ipſo Paulus Actorum c. 9. v. 9. Erat tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit. Corpus illius quaſi paſſerculus jacebat in terra mortificatum, & ecce anima quomodo evolavit? usque ad tertium cœlum, & raptus eſt in Paradyſum; jejunium illum elevavit, ut ſuſè Hieronymus l. 2. contra Jovinianum.

Ibidem.

IX. Elias & Moyſes, quorum hic conjugatorum, ille Virginum & Religioſorum exemplar à Chriſto aſſumpti ſunt, ut conſtet, utrumque ſtatum obligari ad jejunium. Eliam & Moyſen iterum expendite, cujus utriusque corpus, vel non habetur, vel non videtur, quia jejunium ſic corpus extenuat, ut videri non poſſit, ut rapi ad Paradyſum, & transfigurari cum Chriſto mereatur. At dum extenuatur corpus, impinguatur animus. David de ſe: In terra deſerta invia & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi. Pſal. 62. Hoc deſertum jejunium eſt, & à cibis temperantia, inquit S. Ambroſius, ſerm. 32. de Quadrageſima, à cibis temperare, eſt Deo in Sancto apparere; jejunium obſervare, eſt animo impingueſcere, additur enim mox v. 6. ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Semper virtuti cibus jejunium fuit, teſte S. Leone ſerm. de jejunio.

X. Eleganter S. Ambroſius homil. 37. in Quadrageſima explicans id Geneſ. 36. comedit, & aperti ſunt oculi amborum, cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos &c. Adam Evam non niſi intemperantiâ cognovit, quamdiu jejunavit ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis jejunavêre peccatis. Fames enim amica Virginitatis eſt, & inimica laſciviæ. Saturitas verò caſtitatem prodigit, nutrit illecebras. Nota, quòd David dicat: Operui in jejunio animam meam. At verò Adam violatô jejuniô vidit ſe nudum, quia nempe gula nudos facit, jejunio operuit. Bonum operimentum, quod animam tegit. Hæc iterum S. Ambroſius l. 1. de Elia.

Ibidem S. Ambroſ. hom. 30. in Gen.

XI. 1. Regum 7. contra Philiſthæos victores pugnaturi, ſub Samuele Iſraëlitæ, jejunaverunt in die illa, v. 6. & ita fregerunt hoſtes, ut nunquam redierint: Nec appoſuerunt ultrà, ut venirent in terminos Iſraël. Nec tantùm ante pugnam, ſed in ipſa die pugnæ jejunatum fuiſſe lego. 1. Regum 14. Saul cum decem millibus contra Philiſthæos iturus, adjuravit populum dicens, maledictus vir, qui comederit panem usque ad veſperam. Et quia Jonathas, qui ſolus paulò ante exercitum hoſtilem fregerat, ignarus juramenti, guſtavit modicum mellis, penè ſe & ſuos perdidiſſet. 1. Machab. 3. v. 48. Judas Machabæus cum ſuis jejunaverunt illâ die; quo fructu? die ſequenti cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta & gladios non habebant, contra Gorgiam, qui mille equites electos habebat, & quinque millia virorum ſelectiſſimorum (hi docti ad prælium) ad conflictum proceſſit, venit, vidit, vicit.

Harttung fol. 276.

XII. Satis de jejunio; addamus aliquid de modo jejunandi, qui ex modo edulium princeps hujus temporis, Salpam, inquam, parandi, deſumitur. Quò Salpa candidior, eò melior; & quò ſincerior eſt jejunantis intentio Deo placendi, & Majeſtatem ſupremam, exemplo JESU Chriſti, placandi, hoc jejunium perfectius, ſapidius, & acceptius divino eſt palato. Candor Phariſæis deſuit, hinc illud Chriſti Matth. 6. v. 16. Nolite fieri ſicut Hypocritæ. Maceratur in aquis Salpa, jejunium tuum aquis pœnitentiæ, & lachrymarum mergatur, nec deſint eleemoſynæ, quas aquis conferri, ex c. 3. v. 33. Eccleſiaſtici didicimus: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Salpa denique tunditur, ut molleſcat, & aromatis variis conditur, ut ſapiat.

Harttung fol. 277.

XIII. Jejunavit Salvator noſter, quando à dæmone tentandus, ut tali exemplo nos doceret, adverſus tentationes nulla eſſe jejunio validiora arma, non ſcutum, non loricam defenſioni commodiorem. Subnotavit hoc S. Baſilius

Nyſſenus Dom. 1. Quadrag. §. 3.

lius Magnus Homil. 1. de Jejunio, ubi sic habet: Dominus noster non priùs in carne, quam pro nobis assumpserat, Diaboli insultus, excepit, quàm eam jejunio communîsset. Itaque tam est potens armatura jejunium, ut securus inire bellum, & congredi cum hoste possit Christianus, quisquis illâ est instructus. Magna sanè exaggeratio est, quòd Christus non priùs in carne diaboli insultus excepit, quàm eam jejunio communîsset. Quid enim amplius, aut majus dici queat? Videtur enim jejunium tam forte esse scutum, ut illo satis esse tectus, ac tutus Christus potuerit, tametsi omni alio defensionis genere nudus.

Ibidem. XIV. Ajunt nonnulli, Samsonem fuisse gigantem. Si ita est, ut ii volunt, quis eum gigantem fecit, atque ita fascinavit, ut perpetuus ab hostibus victor rediret, quem si à viribus, & robore æstimes, magis ex ære fusum, quam ex carne & sanguine coagmentatum dicas? Quæ res fortissimum Samsonem fecit inexpugnabilem? Clamat Magnus Basilius Homil. 1. de jejunio. Respondetque: An non jejunium? cum jejunio in utero matris conceptus est, cum jejunio educatus est; Jejunio in virum adolevit; & quomodo non omnes superaret, ac vinceret.

Ibidem fol. 61. XV. Cui familiare est jejunium, is non hominum, sed Angelorum posthac catalogo est inserendus, de quo S. Athanasius Orat. de Virgin. Qui jejunio utitur, Angelici ordinis censendus est. Quid habet Angelus? illam unam inter plurimas excellentias, quòd nec benedictione, nec maledictione movetur. 2. Reg. 14. v. 17. cujus tam est inexpugnabilis fortitudo, ut nec adulationibus intumescat, nec dejiciatur probris. Talis est, qui jejunii observans, Angelici ordinis censendus est, vivit ut Angelus, atque ob id est insuperabilis. Quid verò si etiam Dei vitam vivat? de quo David ait: Non accedet ad te malum, Psal. 90. ipse namque ex sua essentia habet immunitatem, ac libertatem ab omni malo, damno, incommodo. Tali privilegio ex gratiæ dono gaudet, qui jejunat, nec enim alius illo viciniùs Deum accedit, quod S. Ambrosius enarrat: 1. in Jonam sic expressit: Aliter Deo proximi esse non possumus, nisi ad eum jejuniis propinquemus, Deus enim ipse jejunans, & Sanctus est. At si Dei vitam vivit, quisquis jejunat, quomodo non semper triumphet, donec in hoc mundo agit? Quæ illi pœna incommodabit? Quæ illum tentationes subigent? Quis hostis suppeditabit?

S. Chrys. serm. 1. de jejunio. XVI. Murus est Christiano jejunium, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit & captus est? quis sobrius mansit, & victus est? Temulentum aggreditur Diabolus, luxuriosum aggreditur inimicus. Ubi autem jejunium videtur, fugit, metuit, terretur, pertimescit; debilitatur inediâ, infirmitate posternitur. Posternitur, inquam, infirmitate, quia Christianorum infirmitas fortitudo est.

Drex. l. 2. c. 11. Aloe. XVII. Ne sis ingratus erga Dominum JESUM, ne deplora, quòd jejunas, sed plora, quòd non semper jejunas, (hoc obsecro, altè infige animo, non plora, quòd jejunas, sed plora, quòd non semper jejunas.) Qui non compatitur JESU, ignorat JESUM; qui repellit jejunium, ignorat crucem, quæ ut non est mala, ita nec tu eam, quasi malam suspiceris, ne sit fœdus servus, qui minister est Dei.

Ibidem. XVIII. Jejunium modestiæ principium, fructuosa naturæ violentia, malarum cogitationum fuga, gulæ victoria, insigne lumen animæ, interioris hominis refectio, orationis munditia, mentis custodia, meritorum schola, luxuriæ restinctio, noxarum abolitio, contritionis janua, intemperantiæ disciplina, Angelorum vita, quietis occasio, obedientiæ custos, tranquillitatis parens, robur animi, spiritûs vigor, radix gratiæ. Jejunium salutis alimentum, libidinis trophæum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, humilitatis augmentum, concupiscentiæ triumphus, imbecillitatis allevamentum, sanitatis asylum. Jejunium omnis esculenti condimentum, valetudinis summum præsidium, jejunium pœnitentiæ fundamentum, crapulæ antitodum, ægrotationis remedium, contractæ culpæ excidium, fidei vexillum, peregrinationis necessarium viaticum, reconciliationis acceptum sacrificium, omnis piæ actionis adjumentum maximum. Jejunium prorsus est Aloë saluberrimi, licet amarioris succi, jejunium verè pharmacum est pharmacorum omnium præstantissimum. Jejunium mors vitiorum, incrementum & vita virtutum, Paradisi ostium. Vides, ait Chrysostomus, quanta res sit jejunium; Angelos ex hominibus facit.

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. QUicunque fecerat votum in lege, & se volebat Domino consecrare, à vino, & omni eo, quod inebriare poterat, abstinere debebat. *Num. 6.*

II. Dicebat unus ex Patribus: Invenitur homo multùm comedens, & adhuc esuriens, ne satiatur; alter autem parùm comedit, & satiatur; ille autem majorem habet mercedem, quàm iste. *Vitæ PP. l. 3. n. 48.*

III. Rectè dicebat Schola Salernitana: Si dat oluscula mensa minuscula, pace referta, ne pete grandia, lautaque prandia, lite repleta. *Schola Salern.*

IV. Platonis convivia duo dicebantur habere commoda, jucundum & utilem discursum, & ut sequenti die alicui bene esset. *Langius in Poly.*

V. Epaminondas Thebanus à vicino ad cœnam invitatus cùm mensam deliciis affluentem reperisset, iratus discessit dicens: Ego te opinabar rei divinæ operam dare, non de contumelia cogitare. *Ibidem.*

VI. Socrates interrogatus, per quid differret ab aliis hominibus? respondit: alios vivere, ut comedant; se verò comedere, ut vivat *Ibidem.*

Utilitas.

VII. Lacedæmonii nullam disciplinam abstinentiâ potiorem habebant, ideoque adolescentes obesos inediâ macerabant. *Ibidem.*

VIII. Diogenes Juveni cuidam dicenti, se ad con- *Ibidem.*

ad convivium invitatum esse, dixit: Noli ire, deterior redibis.

S. Vincent. s. 2. Sabb. ante Reminisc. IX. S. Vincentius Ferrerius quærens, cur Christus in monte Thabor Moysen & Eliam secum adduxerit? respondet, id ideo contigisse, quia isti soli ex antiquis Patribus Quadragesimam jejunaverunt.

V. Beda in Ps. 193. X. De Christo Ven. Beda dixit: Carnem ipsius priùs oportuit elevari per Ascensionem, quàm Spiritus S. descenderet ut doceret, carnem priùs per jejunium alleviandam, ut ad Spiritum & Spiritualia animus resurgat.

2. Reg. 14. XI. Cùm Absalon exul à Patre sæpius requisivisset Joab Amicum suum, ut veniret ad ipsum, isque semper petitionem neglexisset, servos suos misit, omnesque segetes illius comburi jussit, sicque facilè obtinuit, ut veniret. Simili modo Anima peccatrix desiderans æterno Patri conciliari, sæpe quidem invitat corpus, ut & ipsum veniat ad Patrem, lacrymas fundendo, & pœnitentiæ opera peragendo pro ipso intercedat, sed hoc, quamdiu messis, id est, nutrimentum voluptatis adest, venire recusat; hac autem messe destructa per jejunium parebit.

Vita PP. l. 3. XII. Abbas Ypericius dicebat: Jejunium est frenum Monachi adversus peccatum. Qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio fœminæ rapitur. Et aliàs dixit: Siccatum jejunio corpus animam è profundo elevat, & siccat fistulas delectationum.

Iudic. 7. XIII. In trecentis viris, qui aquas lambebant, & moderatè bibebant, liberavit Dominus Israël de manu Madian.

S. Vincent. Sabb. ante Reminisc. XIV. Grues antè, quàm in remotas regiones volitent, nihil nisi arenam comedunt, ne pingueſcant, & in volatu retardentur; cur homo in cœlum volaturus non perinde per abstinentiam se præparet?

§. XIV.

AXIOMATA.

Schola Salern. I. QUò minùs ægrotes, non extra tempora potes.

Ibid. II. Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna.
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

III. Pone gulæ metas, ut sit tibi grandior ætas.

IV. Per raros pastus, carnales deprime fastus.

Tympius. V. Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant hæc tria: mens hilaris, requies moderata, diæta.

VI. Voller Kropff/ voller Kopff.

VII. Viel verzehrt/ Viel beschwehrt.

Gobat. in accusat. exam. VIII. Quò tibi potarum plùs est in ventre salutum,
Hoc minùs ex haustis hisce salutis habes.
Je mehr man fremde Gsundheit trinckt/
Je mehr die eigne Gsundheit hinckt.

IX. Nüchterkeit und Keuschheit/
Wohnen beysammen allezeit.

X. Viel Speiß und Tranck/
Macht matt und kranck.

XI. Est sanitatis mater abstinentia. *Drexel.*

XII. Ut tibi non malè sit, fuge, quidquid in arbore crescit. *Aloël. 11, c. 5. Ibid. c. 4.*
Servares vires, si rura frequenter obires,
Bacchus amet Glaucum, victum quoque fumito paucum.

XIII. Esurias, sitias, vigiles; sic rheumata cures. *Ibidem.*
Nam morbos multos fercula multa ferunt.
Abstinentiâ ac quiete morbos cures plurimos:

XIV. Vis sanus permanere? *Ibid. c. 5.*
Horis omnibus exercêre:
Cursum canis non æmulare:
Modico cibo utere.
Wilt du bleiben g'sund?
Üb' dich alle Stund:
Lauff nit/ wie ein Hund/
Wenig eß dein Mund.

XV. Liessen wir die Güß/
So liessen uns die Flüß.

XVI. Anima sicca sapientissima. *Heraclitus.*

§. XV.

AUTHORES.

I. Jeremias Drexelius in Aloë.
II. Franciscus Labata. Tit. Abstinentia.
III. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano p. 2. c. 24. §. 6.
IV. Petrus Canisius to. 4. c. 4.
V. Ludovicus de Ponte to. 3. tr. 2. c. 14.
VI. Petrus Sanchez in regno DEI p. 5. c. 7.
VII. P. Albertus Magnus in Paradiso animæ cap. 7.
VIII. Ludovicus Granatensis in Silva locorum comm. f. 538.
IX. Nicolaus Lancizius opusc. 2. c. 2. & 15.
X. Jacobus Alvarez to. 2. de adept. virt. l. 3. p. 2. c. 10. & 11.
XI. Franciscus Arrias to. 3. tr. 5. à c. 4. usque ad 21.
XII. Didacus Stella de contemptu Mundi l. 3. c. 18.
XIII. Bernardinus Rosignolius de discipl. Relig. perfect. l. 4. c. 34.
XIV. Matthias Faber Fer. Cin. conc. 1. & 2. Item Dom. 1. Quadr. conc. 4. 5. & 6.
XV. Thomas Stapletonus text. 2. in Dom. 1. Quadr. Item text. 6. in Dom. infra Nativ.
XVI. Josephus Mansi Bibl. moralis tr. 1.

TITULUS III.

ACCEPTIO PERSONARUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 3

IUxta S. Thomam est inæqualitas Justitiæ distributivæ, in quantum aliquid alicui attribuitur præter proportionem. Seu, ut fusiùs describit Alexander de Alexandris, est in-

Alex. Al. 2. 2. de accept. pers.

juria, quâ Persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito justitiæ alteri est conferendum, ratione alicujus conditionis transitoriæ, non congruentis ad ipsam rem, existentis circa Personam, puta divitiarum, potestatis terrenæ, vel cognationis carnalis, & non ob meritum ejus ad ipsam rem.

Actus.

26. q. 7. can. 6.

II. Octo assignantur in Jure Canonico. Primus est in *Pœnitentiæ impositione*, de qua sic loquitur Concilium Laodicense: Sacerdos pœnitentiam imploranti absque Personarum acceptione pœnitentiam secundùm leges injungat, negligentiores verò pœnitentes tardiùs reconcilientur.

3. q. 9. can. 20.

III. Secundus est in *Pœnitentiæ definitione:* de qua sic Nicolaus Papa: Necesse est secundùm Sacrarum Scripturarum documentum, ac secundùm justitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse, & unam partem, qualicunque prædita sit authoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

Dist. 96. c. 4.

IV. Tertius est in *Fidei prædicatione:* de qua idem Pontifex sic scripsit: ubinam legistis, Imperatores Antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.

S. Chrysost. in epist. ad Hebr.

V. Quartus est in *Hospitum receptione:* de qua S. Chrysostomus: Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. Si scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset; fortassis enim non putâsset Angelos, sed cum reliquis repelleret: sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos.

S. Hier. ad Paulin.

VI. Quintus est in *eleemosynarum largitione:* nam hæc, teste S. Hieronymo, indifferenter omnibus patet, juxta illud: Omni petenti tribue.

S. Chrysost. ho. 43. in c. 23. Mat.

VII. Sextus est in *dignitatum collatione:* quoniam, ut ait S. Chrysostomus, non, qui major fuerit in honore, inter homines, ille est justior, sed qui justior, ille major.

VIII. Septimus in *honoris exhibitione:* nam vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior, ut Symmachus Laurentio Mediolanensi Episcopo scripsit.

IX. Octavus in *judiciorum declaratione:* de qua Josaphat dixit ad constitutos à se Judices; Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Non enim est apud Dominum DEUM nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum. *Lib. 2. Paral. c. 19.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. NOn consideres Personam Pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica Proximo tuo. *Lev. 19. v. 15.*

II. Nulla erit distantia Personarum; ita parvum audies, ut magnum. *Deut. 1. v. 17.*

III. Fratres mei, nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU Christi gloriæ. Etenim si introieret in cœtum vestrum vir annulum aureum habens, in veste splendida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei: tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis Judices cogitationum iniquarum? Audite, Fratres mei dilectissimi, nonne DEUS elegit Pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit DEUS diligentibus se? *Jac. 2. v. 1.*

Damnum.

IV. Si legem perficitis regalem secundùm scripturas: Diliges Proximum tuum, sicut teipsum, bene facitis; si autem Personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. *Ib. v. 8.*

V. Est, qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti Persona perdet eam, Personæ autem acceptione perdet se. *Eccles. 20. v. 24.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. VOs non judicatis secundùm merita causarum, sed Personarum: non jura, sed munera: non quod ratio dictet, sed quod volun- *Innoc. l. 2. de condit. vil. hum.*

luntas affectet: non quod sentiat, sed quod mens cupiat: non quod liceat, sed quod libeat. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus lucidum sit: sed aliquid semper dimittitis fermenti, quo totam massam corrumpitis.

Ibid. II. Clamat pauper, & nemo exaudit: loquitur dives, & quilibet applaudit. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad urbem perducunt. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? & si offenderit, subvertent eum. Clamat vim patiens, & nullus exaudit: vociferatur, & non est, qui judicet. Diviti dicunt: tu sede hîc bene; pauperi verò: tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum.

S. Hieron. ad Pammach. III. Nec bonis Adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum: nec Amicorum sunt laudanda vitia, & unumquodque non Personarum, sed rerum pondere judicandum est.

S. Greg. in hom. 4. mor. IV. Personam Hominis accipere est, Hominem, non quia homo, sed propter aliquid, quod circa ipsum est, honorare.

Fuga.

S. Aug. in serm. V. Absit, Domine, ut in tabernaculo tuo præ Pauperibus accipiantur Personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potiùs infirma Mundi elegisti, ut confunderes fortia.

§. IV.

EXEMPLA.

I. ANno Christi 568. cùm Justinus Imper: videret, Subditos à suis Dominis gravissimè opprimi, nec monitis & rescriptis quidquam proficeret, convocatis aliquando in Curiam Potentibus eos hortatus est, ut vel deinceps à simili oppressione pauperum abstinerent, aut alium Imperatorem eligerent. Quo audito Procerum quidam assurgens, sic Imperatorem allocutus est: Constitue me coram omnibus Præfectum urbis, mandaque, ut cujusque rationem potiorem justitiâ non habeam, utque mihi de tuis rebus monituro aditus semper pateat, & incipio, me intra mensem effecturum, ne ulla ampliùs injuria illata audiatur. Quod cùm pergratum fuisset Imperatori, ideoque ipsum Præfectum constituisset, paulò post venit vidua, & à Magistratu suo omnibus facultatibus spoliatam se fuisse conquesta est. Unde statim Præfectus eum per hanc viduam primò, dein per aliquem ex Famulis citari jubet, cumque is non comparuisset, sed à Rege ad convivium invitatus fuisset, eò ipse quoque Præfectus se confert, aitque Imperatori: Si in eo perstitis, ô Imperator, quod mihi mandâsti, ne scilicet cuiquam eorum, qui pauperes opprimunt, parcam, scito, me quoque promissis satisfacturum. Sin eos tu, pœnitentiâ ductus, amicos potiùs habes, & conviviis adhibes, scito, me quoque detrectare ea, quæ in me recepi. Ad quod cùm Imperator responderet, ut seipsum solio detraheret, si sontem sciret, Præfectus illico Oppressorem abripi, in curiam abduci, & causâ examinatâ, verberibus mulctari, caput radi, nudumque asino impositum per urbem circumduci jubet, omnes verò opes illius Mulieri viduæ addicit. Quo facto omnes adeò conterruit Magistratus, ut nulla unquam injuria deinceps illata audiretur, ipse verò Præfectus patritiâ dignitate ornatus in officio confirmaretur. *Fab. conc. 8. in festo S. Magd.*

II. Canutus Wandalorum Rex, cùm plurimos in Latrocinio deprehensos ad mortem damnâsset, & unus ex illis clamaret, se de principis Canuti cognatione esse, respondit Rex: Ergo cognato nostro, ut honoratior sit locus, sublimius patibulam præparate. *Cranzius l. 3. Wand. c. 32. apud Fabr. co. 9. in Dom. 22. post Pent.*

§. V.

SIMILITUDINES.

I. QUemadmodum Sol tam egenis, quàm divitibus æquali modo ac mensura lumen dispensat; sic Principum est, sine ullo Personarum respectu, subditorum causas examinare, & æquali justitiæ temperatione judicare. *Carolus V. apud Fabr. l. c.*

II. Sicut Caprea æqualiter lac porrigit gemellis, etsi alter candidus, alter niger sit; ita æqualiter caritas dispensanda est Hominibus, etiamsi alius pauper, alius dives sit; unde de Sponsâ dicit Sponsus: Duo ubera tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli. *Cant. 4. v. 5.*

III. Sicut Verbum ad dexteram Patris sedens, quinque vulneribus suis trahit animas beatas ad se, tanquam ad objectum beatificum, & in terra alias ad se creaturas trahit vi meritorum, & tanquam objectum contemplationis; sic anima in memoriam revocans sibi vulnera Christi à Verbo relicta, trahit ad se quinque ictibus amoris omnes creaturas, desiderando ex caritate accendere omnes amore Verbi, & spargere ubique illum ignem, quem Verbum venit accendere in terra. *Vita S. Magd. de Paz. p. 3. §. 8.*

§. VI.

ASCETICA.

I. ETsi omnes Homines studiosè vitare debeant acceptionem Personarum, præcipuè tamen Asceta conari debet, ut omnes universali amore complectatur, nec ullum inter Personas ob naturale motivum, sine gravi ratione, faciat discrimen; cùm enim hic supponatur magis illuminatus à DEO, meritò ab eodem quoque requiritur, ut purioribus oculis Proximum suum consideret, & non tam externa corporis aut facultatum bona, sed internam animæ pulchritudinem attendat; id quod breviter & bene S. Bernardus indicavit, dum dixit: Sunt namque, qui pulchros, despectis deformibus, amant, & laudant, suspiciunt, & honorant; illi verò, qui sanos habent oculos, solam animi pulchritudinem in homine diligunt, & reverentur. Ut ergo hanc doctrinam tantò perfectiùs observare queat Asceta, tria præcipuè bene nôsse, & considerare debet. *S. Bern. de ord. vit.*

II. Primum est, ut sciat, quid in iis, cùm quibus agere solet, considerare debeat, nempe non exteriorem corporis (quod saccus stercorum, sterquilinium nive coopertum, sepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum ossibus est) formam, sed internum animæ decorem & dignitatem

tatem (quæ ex eo, quòd ſit imago & ſimilitudo SS. Trinitatis, vivum Spiritus S. templum, membrum Chriſti, ejusdem ſanguine pretioſiſſimo lotum, emptum, & redemptum, hæres regni cœleſtis &c. exurgit) attendat; hæc namque motiva cùm in omnibus æqualiter reperiantur, meritò ad æqualem quoque allicere debent amorem.

III. Secundum eſt, ut diligenter conſideret exempla, quæ in hoc genere Chriſtus, SS. Apoſtoli, aliique viri Sancti & Zeloſi reliquerunt. Et Chriſtus quidem perappoſitum nobis, teſte S. Ambroſio, ſpecimen dedit, dum ad curandum Reguli Filium, etſi coràm ab eo nec obiter rogatus, domum tamen illius pergere noluit, ne in illo curando videretur divitias & dignitatem reſpexiſſe. E contrario verò ad ſervum Centurionis, licet ipſe Centurio non rogaverit, ſanitati reſtituendum mox dixit: Veniam, & curabo eum: ne videretur in Famulo tali conditionem deſpexiſſe, & ut formam daret imitandæ humilitatis, quâ humilioribus juxtà ac ſuperioribus deferendum doceret. *Gal. 3.* Sed & S. Paulus hac in parte præclarum ſe Magiſtrum exhibuit, hinc tam ſollicitè monuit, ut non ſit ſervus, non maſculus, non fœmina, ſed omnes unum in Chriſto JESU, *1. Tim. 2. v. 4.* non ignarus videlicet, Chriſtum *omnes* homines *Ibid. v. 6.* velle ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis ve- *Dial. 146.* nire, ſed & dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Hinc & Pater cœleſtis aliquando S. Catharinæ Senenſi dixit: Rete deſiderii ſancti ſine dubio acceptat omnes, ex eo, quia anima famelica mei honoris non eſt contentá particulam habere, ſed omnes habere peroptat; bonos habere quærit, ut eam adjuvent in ſuo reti ponere piſces, & ut ſibimet quotidie conſervent & augeant perfectionem; imperfectos verò cordialiter affectuosè deſiderat, ut boni ſint: infideles quoque tenebroſos exoptat, ut veniant ad lumen Sancti Baptismatis. Omnes ergo peroptat habere, cujuscunque conditionis vel ſtatûs exiſtant, ut ex eo, quod omnes in me videt, à mea bonitate creatos, cum tam igniſera caritate, atque pretioſo ſanguine JESU Chriſti Filii mei redemptos.

IV. Tertium eſt, ut, quantùm eſt ex ſe, propenſiùs ad plebeios, humiles, & egenos, quàm opulentos ac honoratos excolendos, & juvan- *Matth. 11.* dos inclinet. 1. Quia ſic Chriſtus exemplo *v. 5.* ſuo docuit, qui & inter ſigna adventûs ſui nuntiari S. Joanni juſſit, quòd Pauperes evangelizentur. 2. Quia in Pauperibus magis elucet *1. Cor. 8.* imago Chriſti, qui, cùm eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, ut illius inopiâ nos divites eſſemus. 3. Quia ſecuriores hac ratione ſumus, nos purè DEUM, ejusque honorem in procuranda Proximi ſalute quærere. 4. Quia humilium, abjectorumque converſatio, humilitatis noſtræ conſervatio eſt. 5. Quia conſtat experientiâ, apud hos utiliùs quàm apud alios operam noſtram collocari, cùm ut plurimùm æquiore animo ſalutis monita, reprehenſiones, ac leges accipiant, quàm divites & honorati, apud quos multa ſæpe ex reſpectu ſupprimuntur, quæ poſtea ſuppreſſa fuiſſe, non modicè dolemus. 6. Quia cum magnis Dominis multum temporis, nullo aut certè perexiguo fructu conteritur, ex turba ſimplici plerumque plurimum lucri breviſſimo tempore reportatur; quia cum iſtis ſtatim ad rem veniri poteſt, quod cum magnatibus nonniſi per ambages obtinetur.

§. VII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. NOn malè hanc Acceptionem Perſonarum deſcripſit Ovidius, dum cecinit: Curia pauperibus clauſa eſt: dat cenſus honores: *Ovid. l. 1. amor.*

Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.

II. Nec ineptè Solon & Anacharſis leges Aranearum telis comparabant; ut enim hæ infirmiora animalia retinent, validiora transmittunt; ita à legibus humiles & pauperes conſtringuntur, divites & præpotentes liberi relinquuntur. *Laert. & Valer. Max. l. 7. tit. Sap. dicta.*

§. VIII.

AXIOMATA.

I. DAt veniam corvis, vexat cenſura columbas. *Iuven.*

II. Inſtar multorum eſt, quem Jupiter æquus amavit.

III. Ein krumm Holtz gibt ſo gute Hitz, als ein gerades. *Floril. polit.*

IV. Schwartze Trauben ſeyn ſo ſüſs, als die weiſſen.

V. Gleicher Faden, gleicher Zeug. *Ibid.*
Gleiche Brüder, gleiche Kappen.

VI. Neminem gravat, quod æquo quilibet facit modo.

Gleiche Bürd bricht niemand den Rücken.
An gleicher Bürd trægt ſich niemand müd.
Gleiche Theil machen keinen Krieg.

§. IX

AUTHORES.

I. Joſephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

II. Alphonſus Rodriquez. p. 3. tr. 1. c. 14.

III. Nicolaus Lancizius opuſc. 13. c. 8.

TITU-

TITULUS VI.

ACEDIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

ACedia est Tædium Spiritualis boni, quo quis negligit bona debita inchoare, aut cœpta perficere; ut S. Bernardus describit. S. Gregorius dicit eam esse languidam Dejectionem utriusque hominis de virtutum laudabili Exercitio. Sed & alii SS. Patres per eam communiter intelligunt tædium in exercendis actionibus piis ad salutem necessariis.

In Epist.

S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 1 Juxta S. Thomam Acedia est remissi animi languor ad bene operandum, præsertim verò tristitia est de re spirituali. Quæ has gignit

Ibid. a. 4. filias: Malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta necessaria, mentisque circa res illicitas evagationem. Juxta S. Damascenum verò acedia est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nil illi agere libeat, sicut ea, quæ sunt acida, frigida sunt: Et ideo acedia importat quoddam tædium operandi, ut patet per hoc, quòd dicitur in Glossa super illud psalmi: omnem escam abominata est anima eorum; & à quibusdam dicitur, quòd acedia est torpor mentis, bona negligentis inchoare. S. Bonaventura, S. Augustinum sectatus,

S. Bonav. p. 1. consil. c. 8. eam definit: Tædium interni boni. Denominatur à græca voce ἀκηδία seu tristitia, ac tædio, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili, &c. Desidia dicitur, quasi desistentia: negligentia verò magis respicit significationem propriam, scilicet omissionem circumstantiæ debitæ, quasi non diligentia: sunt autem comites negligentiæ, torpor, & pigritia, quæ, quamvis sint idem, tamen pigritia dicitur, eò quòd pigeat difficultas laboris: torpor verò aspicit appetitum quietis.

Divisio.

In Horto Pasi. Variè à variis dividitur. 1. Marchantius juxta definitionem S. Bernardi suprà traditam assignat duas species, quarum prior est, quâ bona opera cum tædio & tristitia aggredimur; posterior, inchoata bona ex tædio intermittuntur. 2. Jacobus Alvarez in Mortalem & Venialem dividit, quarum prior Morti Spirituali comparatur, de qua S. Paulus dixit: Surge, qui dormis,

l. 1. p. 2. c. 13. to. 2. Ephes. 5. v. 14. Eccl. 28. v. 27. Psal. 118. v. 28. & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et Siracides: Tabitudo, & mors imminet in Mandatis ejus. Posterior somnus Spiritualis vocatur, de quo S. David locutus est: Dormitavit Anima mea præ tædio.

Actus.

I. *In Exercitiis Spiritualibus remissè se gerere*; id est, meditari sine fructu: Orare sine devotione: Conscientiam suam cursim examinare: Legere, quæ delectent, non quæ movent: In confessione durum, in Communione lapidem & sine sensu existere: In Exhortationibus Spiritualibus sponte ad aliena distrahi, ita ut cum Israëlitis dicat: Anima mea nauseat *Num. 21. v. 5.* super cibo isto leviss imo.

II. *Nunquam se colligere*: Nam ut rectè Thomas Kempensis ait, si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille qui rarò aut minùs fixè aliquid proponit? *3. l. 6. 19. §. 2.*

III. *Proposita sua assiduò mutare*: nam, ut idem dixit, si pietatis causa, aut fraternæ utilitatis proposito quandoque consuetum omittitur *loc. cit. §. 3.* Exercitium, facilè postea poterit recuperari. Si autem tœdio Animi, aut negligentiâ facilè relinquitur, satis culpabile est, & nocivum sentietur.

IV. *Otium & carnalia desideria sectari*: nam, ut rectè S. Gregorius dixit, mens, quia se ad Superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferiùs per desideria expandit. Et dum Studiorum Sublimium vigore non constringitur; cupiditatis infimæ fame sauciatur, ut, quo se per disciplinam ligare dissimulat, eò se esuriens per voluptatum desideria spargat. Cui rectè per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non da- *prov. 20. v. 4.* bitur ei.

S. Greg. l. 3. Past. Joh. 16.

V. *Colloquia inutilia quærere & frequentare*: Nam, ut iterum pius Asceta ait, ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare.

l. 1. v. 10.

VI. *Ferventes, Homines aversari, & Patres Spirituales fugere*: de quo gradu sic loquitur S. Laurentius Justinianus: Instigante livore detractionibus linguæ habenas laxant (tepidi Fratres) & vitam proximorum murmuratio- *S. Laur. Just. de disc. Monast. c. 13.* nibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt, & mores illorum, quibus invident, semper dijudicant. Eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, eorum bonis operibus affliguntur. Facilè & pro minimo adversus eos, qui æmulantur, turbantur, nec Spiritu livoris agitati suum valent cohibere vel dissimulare furorem. Non possunt pacificè loqui, sed mox, ut verba protulerint, fervere intrinsecus inchoant, forisque contumelios a verba jaculantur. Bonum illorum malum dicunt, sed vel utinam malum bonum. Insanabilis prorsus istorum est languor: non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt. Quin potiùs, quemadmodum lignum accenditur additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutum.

Filiæ Acediæ.

II. S. Isidorus sequentes septem filias ei assignat, quæ sunt, otiositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, curiositas. *S. Isidor. l. 3. de summo bono. c. 37. ap. S. Th. tit. 6.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Necessitas.

Prov. 6. v. 6. I. VAde ad formicam, ô Piger, & considera vias ejus, & discè sapientiam: quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.

Prov. 13. v. 4. II. Vult, & non vult piger: arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

III. Habeo adversùm te pauca, quòd caritatem tuam primam dereliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, & age Pœnitentiam, & prima opera fac.

Eccl. 9. v. 10. IV. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio; nec Sapientia, nec Scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.

Hebr. 12. v. 12. V. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Ib. c. 26. v. 13. 14. 15. 16. VI. Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum eam converterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

Damnum.

Prov. 18. v. 8. VII. Pigrum dejicit timor: animæ autem effœminatorum esurient; qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Ib. c. 19. v. 16. VIII. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: Qui autem negligit viam suam, mortificabitur. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.

Ib. c. 21. v. 25. IX. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari: totâ die concupiscit & desiderat: qui autem justus est, tribuet, & non cessabit.

Ib. c. 28. v. 19. X. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

Psal. 72. v. 5. XI. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.

Jer. 48. v. 10. XII. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter; vel, ut septuaginta transtulerunt, negligenter.

Gal 3. v. 3. XIII. Sic stulti estis, ut, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?

Matth. 21. v. 19. XIV. Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in eâ, nisi folia tantùm: & ait illi: Namquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.

Luc. 13. v. 6. XV. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergò illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usquedum fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

Jo. 15. v. 1. XVI. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat.

Matth. 25. v. 26. XVII. Serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

Marc. 13. v. 33. 35. XIIX. Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit, &c. Vigilate ergò, (nescitis enim quando Dominus domûs veniat: serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè) ne, cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.

Eph. 5. v. 14. XIX. Surge, qui dormis, & exurge â mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodò cautè ambuletis, &c. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Apoc. 3. v. 2. XX. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram DEO meo. In mente ergò habe, qualiter acceperis & audieris: & serva, & pœnitentiam age. Si ergò non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te.

Matth. 11. v. 12. XXI. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Prov. 21. v. 5. & 25. XXII. Omnis Piger in egestate est. Desideria occidunt Pigrum, noluit enim quidquam operari.

Matth. 22. v. 13. XXIII. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.

Luc. 12. v. 47. XXIV. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.

Joan. 15. v. 2. XXV. Omnem Palmitem in me non ferentem fructum tollent eum. Si quis in me non manserit, mittetur foràs, sicut Palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittetur, & ardet.

Prov. 10. v. 4. XXVI. Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.

Prov. 15. v. 19. XXVII. Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via Justorum absque offendiculo.

Ibid. c. 24. v. 30. XXVIII. Per agrum Pigri Hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerant superficiem ejus Spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

Ibid. v. 32. XXIX. Usquequo Piger dormies? Usquequo de somno consurges? Parùm, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas? & veniet tibi quasi Cursor egestas, & mendicitas, quasi vir armatus.

XXX.

Prov. 10. v. 5. XXX. Qui congregat in messe, Filius Sapiens est: qui autem stertit in æstate, Filius confusionis.

Apoc. 3. v. 15. XXXI. Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

Matth. 3. v. 10. XXXII. Jam securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Bern. in serm. I. O Homo imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & tu sedere præsumis?

Beda sub. Prov. lib. 2. c. 13. II. Vult, & non vult piger. Pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum DEO, & non laborare pro DEO. Delectant præmia, cùm pollicentur: deterrent certamina, cùm jubentur.

S. Leo s. de apparit. III. Non dormientibus provenit Regnum Cœlorum, nec otio & desidiâ torpentibus Beatitudo Æternitatis repromittitur.

S. August. de conflictu vit. & virt. 9. IV. Torpor & Ignavia dicunt, si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris: si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis Vigiliis Psalmorum censum persolvis, insaniam capitis aquiris: si quotidiano labore te conficis, ad opus Spirituale quando consurgis?

S. Bern. serm. 68. V. Viro Sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia, nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet: Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta & sordida. Ubi vitis virtutis? Ubi Botrus boni operis? Ubi vinum lætitiæ Spiritualis? Per agrum hominis pigri transivi, inquit, & per vineam Viri stulti, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

S. August. in Ps. 69. VI. Nemo dicat; Sufficit mihi, justus sum: Qui dixerit, remanserit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Et rursum dicit: Qui se putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Unum autem, quæ retro sunt, oblitus, in ea, quæ ante sunt, extensus, secundum intentionem sequor ad palmam Supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille nondum dicit se perfectum, & tu jam de perfectione gloriaris? Confundantur, qui dicunt tibi: Euge, euge. Confundaris & tu inter illos, qui tibi dicis: Euge, Euge.

S. Bern. s. 6. de Asc. VII. Invenire est homines pusillanimes & remissos deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur?

VIII. Sunt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, sed ad hæc agenda nullâ alacritate moventur. Quod vitium propriè Acedia dicitur, & hoc quidem vitio Religiosi Homines maximè affliguntur, nam seculares admodum pauci; etsi hoc sit vitium, non animadvertunt; mundo enim alligati Spiritualis vitii vix possunt apprehendere nomen. S. Bern. tr. de Pass. Dom. c. 19.

IX. Acedia est remissio Animæ, resolutio mentis, Pusillanimitas Exercitationis, odium Professionis, detractrix DEI quasi invisceroti, & existentis sine benignitate Attonita in Psalmodia, infirma in oratione, in ministerio fœtea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. S. Climacus apud Marchan. tr. 7. lect. 1. Hort. Past.

X. Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo; delectant præmia, cùm pollicentur; deterrent certamina, cùm jubentur. S. Hier. in c. 13. prov.

XI. Vult & non vult; habet voluntatem optativam, non imperativam; Itaque vult finem, sed media ad finis adeptionem necessaria non vult amplecti; vult perfectionem & beatitudinem obtinere, sed non vult jejunare, in vigiliis, disciplinâ, & orationibus perdurare; cunctas vanitates & delectationes pravas derelinquere; injurias, persecutiones, & contemptus propter Deum gaudenter perferre. Dion. Carth. a. apud Manss. c. 53. disc. 1. n. 4.

XII. Noli fidem pensare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus in vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est, quia extremus licèt, plùs omnibus laboravit: subitus calor longum vincit teporem. Hugo Card. 16.

XIII. Tunc quis torpere dicitur, cùm ad bene operandum invenitur inefficax, sicut aqua tepere seu tepida esse dicitur, cùm non est efficacis caloris: Unde tibi in Apocalypsi dicitur, utinam esses calidus, aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, & talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quæ tanta esse poterit, quòd erit cum peccato mortali, ut cùm quis palatum animæ sic corruptum habet, quòd in nullo bono spirituali complacentiam invenit, & propter hoc, quicquid boni facit, tepidè & indevotè facit: Unde ex hoc ramo procedit negligentia, cùm quis negligit facere quod debet; vel si fortè illud facit, absque diligentia facit, & secundum hoc dupliciter potest habere rationem mortalis, uno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem. Alio modo, ut si fortè talia fiant, sic cùm contemptu fiant, quòd quoquo modo fiant, non curat omninò, & sic intelligitur illud: Qui negligit vitam suam, mortificatur. S. Bonav. spec. anim. c. 3.

Damnum.

XIV. Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc est, quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis, quia videlicet, qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. S. Gregor. 3. p. pastor. admonit. 15.

Hinc Sardis Ecclesiæ Episcopo ab Angelo dicitur : Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram DEO meo ; quia ergo plena coram DEO ejus opera inventa on fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erant gesta, prædicabat. Admonendi sunt etiam, ut perpendant, quod tolerabile esse potuisset, rectam viam non accipere, quam post arreptam post tergum redire, nisi enim retrò aspicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergò, quod scriptum est: Meliùs erit eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum convertí.

Idem hom. 9. in Evan. XV. Revertitur (pater familias) ut de talentis rationes ponat, quia si à bona actione torpescimus, de ipsis donis, quæ contulit, nos districtiùs judicat. Consideremus ergo, quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne, si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger enim servus, cum jam culpas Judex examinat, talentum de terra levat, quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desideriis vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem judicis ad æternum supplicium trahuntur.

S. Ephrem. de record. mort. XVI. Negligentia multorum malorum fit causa non vigilantibus, paulatim à spirituali consuetudine ac ratione vivendi abducens, & fidei ardorem deprædans, efficiensque, ut voluptatibus tanquam dominis serviamus, non enim sinit cogitatione complecti, quæ post hanc vitam erunt retributiones.

S. Albert. M. l. 3. comp. c. 18. XVII. Locum diabolo præparat (Acedia): in ollam tepidam libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet, unde legitur in collationibus Patrum, quòd monachum operantem dæmon unus pulsat, otiosum verò innumeri; Est enim homo acediosus quasi urbs absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam. Præterea acediosus receptaculum sordium se facit.

S. Bonav. dict. tit. 1. c. 7. XIIX. Facilius Diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos; nam immundus spiritus cùm invenit domum vacantem, scilicet per acediam, assumit alios septem spiritus nequiores se, id est, universa vitia, & ingressi habitant ibi, ut dicitur Lucæ 11.

S. Bern. S. 3. de Ascens. XIX. Tepidi, si diu permanserint sub onere tepiditatis, aut opprimuntur, aut succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, nec unquam respicient in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritûs, quæ sola facit jugum suave, & onus leve. Rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Non spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare.

Id. S. 5. de Ascens. XX. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortia, quia cibo fortium minimè sustentantur, socii planè tribulationis, sed non consolationis? Exsurgamus obsecro, quicunque ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes pernicioſam tepiditatem, & si non, quia periculosa est, & Deo solet (quod interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare, certè, quia molestissima, plena miseriæ, & doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis purè censetur.

XXI. Simplicem gehennam, in sæculo viventes, sibi comparassent; duplicis gehennæ supplicio, in monasteriis negligenter viventes, se reos faciunt. *S. Ephrem. S. de vit. relig.*

XXII. Væ animæ illi, quæ in tepiditate sua secura consistit, se justificando, de qua Dominus in Apocalypsi in persona talis animæ ait: Sedeo, ut Regina, vidua non sum, luctum non video. Et subdit: propterea una die venient plagæ ejus. *S. Bernardin. p. 3. S. 7.*

XXIII. Admonendi sunt, ut perpendant, quòd tolerabilius esse potuisset rectam viam non arripere, quàm post arreptam post tergum redire, nisi enim retrò respicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergo, quod scriptum est: Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Audiant quod scriptum est, utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo: Calidus quippe est, qui bona studia & arripit, & consummat; Frigidus verò est, qui consummanda nec inchoat. Et sicut à frigore per teporem transitur ad calorem, ita à calore quoque per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato, exardescit, ut ferveat, procul dubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut post teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccato est, conversionis fiduciam non amittit: qui verò post conversionem tepuit, & spem, quæ esse potuit, de peccatore subtraxit. Aut calidus ergo quisque, aut frigidus esse quæritur, ne tepidus evomatur, ut videlicet, aut nedum conversus adhuc, de se spem conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus, qui à calore, quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit. *S. Gregor. l. 8 past. admon. 35.*

XXIV. Qui Domini talentum, nullo de ipso facto lucro, in terra absconderit, timeat, ne quasi indignus à sponsi convivio amoveatur. Est quidem disciplina cælestis velut mare, in eo nihil, nisi vivat, perseverare potest; omne enim morticinum & immundum ad litora projicit. Hinc est, quod in Apocalypsi dicitur: utinam frigidus &c. væ! qui evomitur, quoniam Regno Dei ineptus judicatur. *S. Laurent. Just. c. 7. de cast. connub.*

XXV. Secundum morum informationem spiritualiter notandum, quòd arbor infructuosa succiditur, maximè, quæ per triennium fructum non facit, in quo intelligitur rectè, homo negligens ad opera virtutis: & quidem rectè per ficum infructuosam negligentia humana arguitur. Primò, quia ficus habet folia magna & multa, & in illo potissimè arguitur negligentia *S. Bonav. in c. 13. Luc.*

gentia illius, qui magna habet verba, ut in Ecclesiastico: Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis. Secundò quia folia ficûs sunt manui similia, & in illo potissimùm reprehenditur negligentia ejus, qui alios ad operandum invitat, cùm ipse nihil operetur. Tertiò, quia fructus ficus est suavis, ideo meritò ipsius carentia negligentiam designat, & præsentia ipsius designat opus virtutis, quod est suave & delectabile.

Dion. Carth. in 6. 6. prov.

XXVI. Pigri in divinis in præsenti & in futuro sustinent detrimentum, quia id ipsum boni, quod agunt, faciunt cum labore & tædio, & sine consolatione, & gustu. Propter quod & parùm, aut nihil merentur: ferventes verò & agiles serviunt Deo cum gaudio, & delectabile est eis exercere divina, ideoque in præmio crescunt præcipuè, & sunt Deo chari & complacentes. Pigritia ex charitatis defectu, & in consideratione Divinæ Majestatis, ac noviſſimorum procedit.

S. Bern. ſ. 65. in Cant.

XXVII. Hoc frigus, si semel invaserit Animam, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, Spiritus extinguitur, deferveſcit Novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur Lex, abdicatur Jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in Sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clausto in seculum, de Paradiso in Infernum.

S. Bern. ſ. contra vit. ingrat.

XXVIII. Neque existimandum est, cum ruinæ alicujus cernuntur, tum incipere damnum; Sed quia comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Ob eam causam nos Spiritus S. admonet: In pigritiis humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perstillabit domus.

S. Greg. 3. Past. l. 35.

XXIX. Admonendi sunt, qui inchoata bona minimè consummant, ut tanta circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam, quæ fuerant cœpta, convellunt. Si enim, quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam, quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo Anima quasi more Navis est contra ictum fluminis condescendentis, quæ uno loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc; quod operatum est, pugnat. Hinc enim est, quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit. Frater est sua opera dissipantis.

S. Chryſ. l. de lapſu.

XXX. Radix desperationis est ignavia, & non solùm radix, sed & Nutrix ejus & Mater. Nam sicut vestimentum & tineam generat, & nutrit, ita Ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed alit, & fovet.

S. Chryſoſt. Ep. 7. ad Olymp.

XXXI. Tristitia Animarum crudele tormentum est, & dolor inexplicabilis, & Judicium omni Judicio & vindicta deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solum carnem, sed & animam ipsam petimens: & tinea non solum ad ossa, sed etiam ad corda pertingens: & perpetuus quidam Carnifex, non corpus dilanians, sed vires Animæ consumens.

Fugâ.

Thomaſ. Vill. ap. Manſi diſc. 5. n. 1.

XXXII. Quia vitam expendimus in vanitatibus, ex hoc provenit illud, quod valde timendum, quòd multi vocati, pauci electi. O quam timenda sententia, & quàm expaveſcenda, quis hoc dicit, nisi ille procurator, cui commissum est præmiare operarios? credite mihi, fratres, credite, quòd sæpius admonui, sæpius clamavi; nisi viriliter laboraveritis, non recipietis præmium.

S. Ephrem. S. de vit. Relig.

XXXIII. Ne dulcescat nobis hîc negligentia, ut non postea nobis amaresçat æternus ignis, & vermis nunquam dormiens.

S. Gregor. p. 3. paſt. admon. 16.

XXXIV. Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites: illi namque suadendi sunt, ne agenda bona, dum differunt, amittant; isti verò admonendi sunt, ne, dum bonorum tempus incautè festinando præveniunt, eorum merita immutent; Pigris itaque intimandum est, quòd sæpè, dum opportunè agere, quæ possumus, nolumus, paulò post, cùm volumus, non valemus, ipsa quippe mentis desidia, dum congruo fervore non attenditur, à bonorum desiderio funditus convalescente furtim torpore mactatur.

S. Bern. Ep. 253.

XXXV. Vidit Jacob scalam, & in scala Angelos: ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur universi; quatenus daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit, & spiritu aut proficere semper, aut deficere.

Caſſian. Collat. 6. c. 7.

XXXVI. Lapsus quispiam, nequaquam subitâ ruinâ corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis increbrescentibus, casu mirabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit incuria, & ante ruinam mala cogitatio: Quemadmodum domus nunquam ad ruinam subitaneo procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longâ inhabitantium desidiâ, stillicidiis primùm pauciſſimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in majorem modum patefactis, atque collapsis, paulatim post hæc influit pluviarum imbriumque tempestas. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum perstillabit domus; & Salomon aliis verbis: stillicidia ejiciunt hominem in die hyemali de domo sua.

Eccl. 10. 18

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 1. c. 18. §. 6. O Tepor & negligentia Status noſtri, quòd tam citò declinemus à priſtino fervore, & jam tædet vivere præ laſſitudine & tepore. Utinam in te penitus non dormiret Profectus Virtutum, qui multa ſæpius exempla vidiſti Devotorum.

l. 1. c. 22. §. 7. II. Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepeſcimus tam manè? Væ nobis, ſi ſic volumus declinare ad Quietem, quaſi jam Pax ſit, & ſecuritas, cùm necdum appareat veſtigium veræ Sanctitatis in converſatione noſtra.

l. 1. c. 25. §. 5. III. Quàm jucundum eſt & dulce, videre fervidos & devotos Fratres, bene morigeratos & diſciplinatos. Quàm triſte eſt & grave, videre inordinatè ambulantes, qui ea, ad quæ vocati ſunt, non exercent.

Ibid. §. 7. IV. Religioſus ſervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jùbentur. Religioſus negligens & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam, quia interiori conſolatione caret, & exteriorem capere prohibetur.

Ibid. §. 11. V. Si incipis tepeſcere, incipies malè habere. Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & ſenties leviorem laborem propter DEI Gratiam, & Virtutis amorem. Homo fervidus & diligens ad omnia eſt paratus. Major labor eſt reſiſtere vitiis & paſſionibus, quàm corporalibus inſudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores.

§. V.

EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga Acediæ.

Pſ. 87. v. 16. I. CHriſtus tantopere hoc vitium & otium fugit, ut de ſeipſo per Davidem dixerit: Pauper ſum ego, & in laboribus à Juventute mea.

Marulus l. 3. c. 9. II. B. Virgo adhuc in templo exiſtens à ſummo manè usque ad tertiam Orationi inſiſtebat, & tum labori manuali usque ad nonam vacabat, ſicque totam diem hac viciſſitudine conſumens, otium ſtudioſiſſime fugit.

Spec. Ex. d. 2. ex. 54. III. D. Antonius cùm aliquando Animum illius tædium & cogitationum confuſio invaderet, atque ideo à DEO auxilium peteret, vidit foras quendam tanquam ſeipſum ſedentem & operantem, deinde ſurgentem ab opere, & orantem, & iterum ſedentem, plectamque de Palmis facientem, atque inde rurſus ad Orationem ſurgentem, poſt quæ audivit vocem dicentem ſibi: Sic fac, & ſalvus eris.

Caſſian. l. 10. c. 24. IV. Abbas Paulus probatiſſimus Patrum quotidie certum ex collectis Palmarum foliis penſum à ſe exigebat; eumque opere totius anni antrum fuiſſet impletum, nec vendere poſſet, id quod ſollicitâ curâ laboraverat, ſingulis annis ſuppoſitò igne concremabat.

V. Abbas Pambo cùm eſſet moriturus, aſtantibus dixit: Ex quo veni in hunc locum, nullus fuit dies, quo non operis aliquid fecerim manibus meis: nec memini me ab aliquo gratis panem datum comediſſe. *Pallad. c. 10.*

VI. Frater quidam perrexit ad Abbatem Alexandrum, ipſius Monaſterii Abbatis Geraſmi Antiſtitem, & ait illi: Abba, volo ex loco, ubi habito, diſcedere: valde enim acediâ, & tædio animi laboro, reſpondit ei Abbas Alexander: iſtud, fili, ſignum eſt, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes: nam ſi iſta ſollicitâ intentione cogitares, nullam in cella tua acediam ſentires. *Sophron. prat. ſpir. c. 142.*

VII. Erat ſenex quidam in Scithi captus oculis in Monaſterio Abbatis Siſci. Diſtabat autem cella ipſius à puteo ferè mille paſſibus, & nunquam paſſus eſt, ut ſibi alius afferret aquam, ſed facto fune, unum ipſius caput ad puteum ligavit, & alterum in cella ſua, jacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat ſibi haurire aquam, ſupra funem ambulabat; hoc autem faciebat ſenex, ut inveniret puteum, cùm autem arena propter ventum operuiſſet funem, tenebat ipſum manu, & excutiebat, & rurſus illum in terra ponebat, & ſuper eum ambulabat. Frater autem quidam rogobat ſenem, ut ſe permitteret illi afferre aquam, cui reſpondit ſenex: fili, viginti jam & duo ſunt anni, ex quo mihi ſemper ita hauſi aquam, & laborem meum tu modò auferre vis? *Idem c. 169.*

VIII. Abbas Athanaſius illud frequenter in ore habebat: olim Patres noſtri conati ſunt vitare Spiritus diſtractionis, omnemque temporis jacturam ſtudioſè cavere; nunc autem negligentia, acediaque, duo hoſtes capitaliſſimi, in eorum locum ſucceſſerunt. Idem cogitans aliquando, quidnam inter eos, qui dæmoni pigritiam offerenti reſiſterent, quique ei obſequerentur, intereſſet, raptus eſt in amœnum locum; ſocio verò roganti, ut ad eam legitimam Societatem, quam videre ſibi videbatur (quamque ſolus audiebat) admitteretur, reſponſum eſt: neminem pigrum, oſcitabundum, & negligentem eò pertingere, aut pervadere poſſe. *Manſi diſc. 5. num. 3.*

IX. Quidam frater volens diſcedere in ſolitudinem, à matre propriâ prohibebatur: ille verò dicebat matri ſuæ: permitte me, mater, ſalvare enim volo animam meam; cùm autem non poſſet retinere eum mater, dimiſit eum. Ille verò veniens in ſolitudinem, per negligentiam omnem vitam ſuam conſumebat: contigit autem, ut moreretur mater ejus, & poſt tempus aliquod factus eſt & ipſe ægrotus, & raptus in ecſtaſi ad judicium, invenit matrem cum his, qui judicabantur: illa autem cùm vidiſſet eum, obſtupuit dicens: quid eſt hoc, fili? & tu in hunc locum deductus es condemnandus? & ubi ſunt illa verba, quæ ſolebas dicere, quoniam ſalvare volo animam meam? Erubeſcens ergo ille in verbis, quæ audiebat, ſtabat, nihil habens, quòd reſponderet; Et ecce voce factâ, ut hic revocaretur, tanquam altero juſſo, ex cœnobio fratrum tranſire, reverſus ad ſe, omnia quæ cognoverat, quæque audierat, aſtantibus referebat. Ad confirmationem ſanè verborum ſuorum rogavit, *Vita PP. l. 3. n. 216.*

gavit, ut aliquis ex astantibus iret ad monasterium, ut videret, si transisset frater ejusdem nominis, de quo audierat: qui profectus invenit ita, ipse verò postquam sanus effectus est, reclusit se, & sedit cogitans de salute suâ, pœnitens, & lachrymans super his, quæ fecerat prius in negligentia: Tanta autem erat ei compunctio, ut cùm multi eum rogarent paululum requiescere, ne forsitan noxium aliquid pateretur per incessantem fletum, ille noluit, dicens: si matris meæ improperium non portavi, quemadmodum præsente Christo & Angelis ejus in die judicii, aut improperia aut tormenta portabo?

Damnum.

Dauroult. t.6.tit.22. ex.12. X. In vita sanctæ Brigidæ virginis ex Scotia oriundæ legitur, quòd, cùm aliam quandam virginem ad mensam suam invitâsset, notârit juxta latus ejus constitutum spiritum quendam malignum, quem cum ipsa etiam videre cuperet, Brigida sancta eidem, ut oculos suos Crucis signo muniret, præcepit; quo facto, vidit satanam teterrimâ specie, immani & vasto capite, & per foramina & rimas omnes capitis flammam fumumque erumpentem. Tunc Brigida, loquere, ait, nobis dæmon. At ille, non possum, inquit, tibi loqui, Sancta virgo, nec tamen tua jussa contemnere, quandoquidem tu præcepta DEI non contemnis. Cur verò, ait sancta Brigida, huc accessisti? Apud virginem hanc, inquit, demorandi mihi & spatium & opportunitatem præstat ejus desidia & torpor. Conversa ad Virginem sancta Brigida, vide nunc, inquit, quem tam multis annis apud te foveris: atque ex illa die liberata est virgo ab illo nequam spiritu.

Delrio L.2. disquisit. mag. q.26. sect. 5. XI. Franciscus Picus Comes Mirandulanus in vita Joannis Pici patrui scribit, non longo post obitum Joannis Pici tempore, spectrum Joannis apparuisse Hieronymo Savonarolæ, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatoriis, eò quod non satis diligenter & fœcundè talentum sibi à Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicasset, & quia non, quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationesque, quæ adhortabantur, honestos labores, quos inchoavit, non abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, & omnium precibus Picum commendavit.

Cantip. L.2. apum. c.9. p.2. XII. Vidi Juvenem, inquit Thomas Cantipratanus, cujus amarissima relatione memini, quod subjungo: hic piorum fratrum suorum labore manuum vivebat: ipse verò segnis otio vacabat & tædio, & factum est animadversione divinâ, ut eo cum patre & fratribus ad mensam sedente, cibi (sicut ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cùm per aliquot dies continuaretur in pejus, tandem mutato vitæ proposito liberatus est, & sanatus.

Sophron. 44. prat. XIII. Senex quidam narravit nobis, cùm Thebaidem venissemus, quòd senex unus morabatur extra Civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella sua egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus unus erat valde negligens sui, senex ergo sæpius illum corripiebat, & hortabatur dicens: frater, sollicitudinem gere pro anima tua: habes enim mori, & nisi te emendaveris, in supplicium tendes: Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur; contristatus verò senior super illo valde (sciebat enim, quod in magna desidia, & negligentia de sæculo exiisset) cœpit orare ac dicere: Domine JESU CHRISTE, verax DEUS noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum; tunc ait illi senior nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? respondit frater, & ait seni, gratias agò Deo, Pater, quòd vel caput meum requiem habet, per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.

Cæsarius L.4. c.38. XIV. Cæsarius factum quoddam memorabile, refert, quod Religioso cuidam somnolento accidit: ita enim scribit: vix sunt duo menses elapsi, quod Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valdè; nocte enim quadam, cùm ex more dormiret, aliis psallentibus, crucifixus de Altari venit, dormientem excitavit, & cum tanto nisu maxillam ejus percussit, ut insta tertium diem moreretur.

Ibidem c.39. XV. Paulo ante idem Cæsarius aliud quoddam retulerat exemplum, licèt non æquè terribile, aptum tamen ad acedioso ex desidiæ lethargo excitandos. Cùm enim Monachus quidam post matutinum, eo tempore, quod orationi destinatum est, sedem quandam ad dormiendum occupâsset, Christus ei ostendere volens, somnum hunc nec tali horæ, nec tali loco convenire, eidem in cruce quidem apparuit, sed obverso ei dorso, ut dicere videretur: quia tepidus es, & acedioſus, non es dignus faciem meam intueri.

1. Reg. c.11 XVI. David, quia tempore, quo solebant Reges ad bella procedere, domi remansit, & otio vacavit, in grave Adulterium & Homicidium incidit.

4 Reg. c.11 XVII. Salomon, quamdiu in ædificatione templi occupatus fuit, luxuriæ stimulos non sensit: hoc verò completo, otio vacans, femina instigante, defecit ad Idola, & vitulum aureum adoravit.

Sur. 1. Febr. XVIII. S. Brigitta Virginem quandam ad se invitatam à Spiritu Acediæ liberavit, dum ei Dæmonem horribili specie assidentem ostendit, &, cùm rogaretur, cur ad hanc Virginem accessisset; dicentem: Apud Virginem hanc demorandi spatium & opportunitatem ejus torpor & ignavia præstat.

Salustius in Spec. p.1. c.17. XIX. Quidam Patrum cùm Dæmonem in Fratris cujusdam cella modò ingredientem, modò egredientem videret, & ex Fratre quæsisset,

fuisset, quid ageret, deprehendit tum ingressum esse Dæmonem, quando Frater otiosus erat, & tum exiisse, quando occupatus erat.

Sur. 2. Maji. XX. S. Antonius transiens prope domum quandam, Angelosque tecto insidentes videns, cùm intrâsset, Viduam cum tribus Filiabus, nudis pedibus, lacero vestitu colum trahentem vidit; Quibus cùm largam Stipem obtulisset, alio tempore propè eandem domum incedens Dæmones tecto insidentes vidit, iterumque ingressus, &, quid cum Vidua & Filiabus ageretur, percontatus, advertit eas depositò colu otio, & comendo Corpori vacare solitas.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga.

Turs. l. 3. c. 16. vit. I. S. Franciscus Xaverius sæpè dicebat, erubescere se & indignari, Mercatores vilium suarum Mercium vendendarum gratiâ tam maturè in Japoniam penetrâsse, se verò tam serò cum thesauris & divitiis cœlestibus eòdem pervenisse.

Vita p. 2. f. 125. II. Joannes Berchmannus ne quid temporis difflueret, perpetuò secum libellum aliquem sacrum aut studiis utilem habebat, eamque si quo loco diutius commorandum erat, statim explicabt, legebatque.

Annus 1650. Prov. Med. Coll. Tauriñensis num. 23. III. Joannes Baptista Gentilis otium adeò execratus est, ut non modò sibi imperatos labores peraccuratè compleret, sed alios etiam studiosissimè juvaret, ideoque pes & manus omnium diceretur. Et videbatur labore perpetuo perpetuam alere pietatem, & hanc adminiculum habere laboris.

Annus 1612. f. 34. IV. Joannes de Mendoza licet honestissimis ortus Natalibus, Marthæ semet Ministerio adscribi voluit, in quo tam sedulum & laboriosum se exhibuit, ut etiam, cùm Phthisi debilitatus vix se sustentaret, labores continuaret, ne mors, ut dicere solebat, cessantem & imparatum occuparet.

Rho. l. 7. c. 12. n. 1. V. Ego inter rara omnis ævi exempla eorum, qui ardentissimo animo ad discendum incubuerunt, Ignatium jure optimo censeo reponendum. Quum enim inter admiranda Philosophiæ abdicatas ejus gratiâ voluptates, etiam quibus vita modestissimè assuevit, libenter audiamus prædicari; longè major profectò ejus erit laus, qui litterarum causâ ea sibi dempserit solatia, quæ ipsum animum liquidissimè, atque innocentissimè oblectant. Mitto triginta annos natum hominem militarem, atque ingenii præfervidi, & cum extremâ rerum necessariarum egestate luctantem inter pueros Grammaticæ addiscendæ militâsse. Dissimulo repetitam Parisiis studiorum omnium rationem, quam Compluti, & Salamanticæ ipsa festinatio audiendi conturbâsset. Quid, rogo, fuit liquidissimis, quibus quàm maximè jam tum abundabat, animi sensibus abstinuisse? quid fraudes dæmonis, qui vel ad leviissimas amoris voculas voluptates eas eventilabat, perque illarum illecebras avocabat à litterarum commentatione, fraudes, inquam, agnovisse? atque constantiâ & demissione discussisse? Ostendit Ignatius, si quos divinus amor litteris mancipavit, eos totius amoris invitamento esse anteferendas.

VI. Nec segniter à summis viris litteris opera data est, ut auxiliares veluti copias promptas haberent. Et Lainii quidem, nisi res in clarissimâ Concilii Tridentini luce peracta scribatur, vix fidem inveniat portentosa studendi contentio. De gravissimâ controversia Pontificis Theologus dicturus Lainius, quo dictis plus ponderis inesset, nullum à se laudatum iri auctorem, quem à capite ad calcem diligenter perlectum non excussisset, aut etiam in Breviaria non redegisset, vir minimè gloriosus propalam professus edixit, mox continenti trium horarum oratione supra triginta Patrum testimonia in medium attulit, in iisque, ut antiquos dissimulemus, Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis, cujus ingentia volumina vitam eximunt legenti: trigesimum quartum duntaxat annum agebat Lainius, quum in ea Synodo tunc disputavit, quorum bonam partem ex Ignatii disciplinâ Apostolicè fuerat peregrinatus. Sed solidum hominis ingenium librorum pariter, ac laborum vasto caput tolerantissimum, & legendis, & retinendis sufficiebat, ut de hoc viro dixerit olim Salmeron, tantum sibi præstare Lainium, quantum ipse illiteratis hominibus antecelleret. *Ibid. n. 2.*

VII. Nemo eruditorum est, qui Francisci Turriani nomen non audierit, clarâ inter Principes sui ævi Theologos fama, quæ tum viva differentis voce in clarissima totius Christiani orbis luce Tridenti collecta, tum deinde immortalis eruditionis libris consignata non abolebitur. Huic quàm acris fuerit adnotandi scribendique contentio, docuêre dexteræ articuli, in modum habitumque scribentis ita contracti, ut facilè non possent explicari; sed plures thesauros orbi dedit contracta Francisci manus, quàm Regum extenta. Huic viro parem unum habuit antiquitas, Chrysantium Sardianum, quem infelicis laboris reum habita cum desertore Juliano peragit consuetudo. *Ibidem num. 3.*

VIII. Inter præclara ingenia, quæ doctissimis ævumque laturis monumentis Reipublicæ profuerunt, ingens Delrii nomen fama habet, vel uno Magicarum Disquisitionum opere, supra invidiam elata. Incredibilem illam rerum, ac linguarum cognitionem ut sibi compararet, summo ingenio, acerrimum studendi laborem sibi addendum putavit. Ergo ne cursandi per Bibliothecam necessitas commentationem interrumperet, curulem sellam subditis rotis ita librariis pluteis illigaverat, ut pede pulsa, quam liberet in partem progrederetur, itaque quum novis libris opus esset, eo se, nihil aliorum intermissâ lectione, moliebatur, ubi repositos esse sciebat: Egregia enim verò parsimonia temporis, quæ famæ immortalitate compensetur. *Ibid. n. 4.*

IX. Vivit etiamnum Possevini memoria, quamvis monumenta eam viventis non habeant celebritatem, quam egregia vel à prima ado- *Ibid. n. 5.*

adoleſcentia litterarum omnium ac principum linguarum cognitione eſt conſecutus. Quia enim antelucanas horas ſomno æquè, atque commentationi aptiſſimas eſſe non ignorabat, ne illas molliſſimè adlabens redormiendi amor ſtudio litterarum adimeret, alterum fidiculis pedem ad lectuli, & conopæi fulcrum cubitum iturus alligabat, ut ſi primo, ac legitimo exhauſto ſomno, matutinam, & minùs neceſſariam ad quietem ſe convertiſſet in latus, adductis illicò fidiculis excitaretur.

Ibidem num. 6. X. Vidimus ingentium voluminum, & ſpiſſo admodùm opere ſcriptorum auctorem Joannem Lorinum, hominem verè Calcenterium in contentione ſtudendi. Nullâ illè die ab opere ceſſabat, horasque minimùm ſeptenas in Bibliotheca ſtans in ſtudium divinarum litterarum incumbebat, tanta capaciſſimæ mentis contentione, ut quamvis evocatus à peregrinis, qui hominis aut videndi, aut conſulendi causâ confluebant, illos humaniſſimè ad oſtium exciperet, ubi ſe Bibliothecæ reddiderat, ſcriptionem illicò continuaret, nulla dubitantis animi litura, ut non tam commentari, quàm olim compoſita memoriæ causâ ſcripto conſignare videretur.

Ibidem num. 7. XI. Alterum in divinis litteris exponendis lumen Cornelium à Lapide habuit Collegium Romanum, hominem, qui perpuſillo corporis modulo ingentem animum, & nullis ſtudiorum laboribus fractum claudebat. Hic exiguâ ac propè nullâ cum ſociis conſuetudine, quamquam ſuaviſſimis ac ſanctiſſimis eſſet moribus, adeò ſcribendo ac meditando erat addictus, ut abalienato quaſi ab hujus mortalitatis curis animo uteretur. Somnus ipſe, qui quatuor non ampliùs horis definiebatur, recurrentibus diurnis curis, atque illuſtriorum cogitationum imaginibus ſeſe objicientibus, levis erat, ac ſuſpenſus, & non ſui juris, ſed vigiliarum. Huic tantæ contentioni, quamquàm tenui ſemper valetudine ab adoleſcentia, usque ad duo de ſeptuageſimum quum ſuffeciſſet, ad extremum relictis immortalibus monumentis inter carmina ſcripturarum, quibus inſueverat, extinctus eſt.

Ibid. n. 8. XII. Inimitabili propemodum temporis parſimoniâ fuiſſe oportet, ac ſtudendi ſciendique avidiſſimum Thomam Sanctium. Quî enim aliter poterat decem quotidiè horas litterario negotio conſtanter habere ſepoſitas, qui multus eſſet divinis in precibus, ac myſteriis, ſedulasque aures animos confeſſione expiantibus daret? ſed qui nugis procul vitam deſtinatò vivunt, illis tempus, ut vanis nunquam ſuperſit, ſeriis ſemper abundat.

Ibid. n. 9. XIII. Magnum utriusque nomen Franciſci Suarii, & Mendozæ, inter ſæculi principes litterarum viros, ſive acutè diſputare de divinis, ſive divina oracula incredibili eruditione opus ſit interpretari. Et Suario quidem fracto leviter die perennis erat commentandi, docendi, dictandive labor, ut etiam in Italica peregrinatione ſtatim ac lectica, quâ debilitatis viribus vehebatur, fuiſſet depoſita, in meritoriis hoſpitiis avito librario, quæ tacitus ſecum fuerat meditatus, divinæ arcana ſapientiæ, & cedro digna monumenta dictaret. Mendozam nos ipſi Genuæ olim vidimus, & incredibilem hominis diligentiam, ac temporis parſimoniam ſatis mirari nequivimus. Quamquam enim tantùm non mutatis ad celeritatem equis in urbem properaret, ac famâ nominis omnibus expetitus effuſiſſimâ humanitate fuiſſet exceptus, illicò tamen poſt religioſi moris amplexus, breveſque ſalutationes in cubiculum aliquid ſcripturus, ſe recepit, & quamlibet parvam temporis moram, quam neceſſaria jumentorum mutatio attulerat, in ærarium intulit ſapientiæ. Niſi nos quotidianis caſibus ad mortis injurias occalluiſſemus, indignari promptum erat, homines immortalitate digniſſimos, & Reipublicæ maximè utiles ac frugiferos in ipſa laborum contentione abripi, ne deſtinata perficiant. Sed admonendi fuimus, ne tempus per injuriam aliud, aut etiam nihil agentes prodigamus, quum inſtantibus ac ſtudioſiſſime utentibus abrumpatur.

§. VII.
EXEMPLA PROFANA.

I. ÆGyptii lege lata, mortis pœnâ animadvertebant in eos, qui Artem, quâ alerentur, exhibere non poſſent. *Diod. Sicul.*

II. Solon inter alias leges etiam hanc poſuerat, ut Filius Patrem alere non teneretur, qui nullam Artem ipſum docuiſſet, aut doceri curâſſet. *Plutarch. in Solon.*

III. Athenienſes, ſi quis de crimine quodam accuſabatur, & deſes etiam ac otioſus probabatur, non aliam ad alterum crimen probationem requirebant. *Laert. l. 5. c. 2.*

IV. Seneca de ſeipſo ſcripſit: Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium Studiis vendico. Non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentesque in opere detineo. *Epiſt. 8.*

V. Brachmannæ Philoſophi Pueros ſuos impranſos foras extrudebant, ſi quando nihil utilis operæ vel Parentibus, vel ſuis rebus neceſſariis dediſſent. *Langius in Polyanth. f. 6. 6.*

VI. Wenceslaus Romanorum Imperator tam ignavus fuit, ut propter pigritiam adminiſtrandi ab imperio dejectus ſit. *Textor. l. 5. c. 67.*

§. VIII.
SIMILITUDINES.

I. SIcut terra inculta aliud nihil, quàm ſpinas tribulosque ex ſe gignit, aut ſtagnans aqua buſones & ſerpentes; ſic & hominis deſidioſi animus nihil præter flagitia generat. *Pad. Chr. c. 7. p. 1. §. 8*

II. Sicut Aves non nidificant in alis molarum, nec in illis deſident, niſi dum à ſolito motu quieſcunt; ita diabolus neque locum, neque quietem in illis reperit, qui ſemper in motu & actione ſunt; ſed ſolùm in otioſis ſedem figit. *Engelgrav. Dom. Sept. p. 2. Luc. Evang.*

III. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo (id eſt, aliis ingredientibus & egredientibus ad res ſuas agendas, cardinibus ſuis inhæret) ita piger in lectulo ſuo quieſcit, dum alii ad labores ſurgunt. *Prov. 26. v. 14.*

Cassianus l. 10. de Instit. Monach. IV. Sicut Febris quædam tempore præstituto ardentissimos calores & æstus ciet; ita Acedia certis temporibus, & tum maximè, quando orationi vacandum esset, infestat.

S. Chrysost. l. de lapsu. V. Sicut vestimentum tineam generat & nutrit; ita ignavia non solùm gignit ex se desperationem, sed alit & fovet.

Stapleton. Them. 5. in Sept. VI. Sicut Pueri, dum in Casulis luteis componendis occupantur, & in Arundine equitant, occupatissimi sibi videntur, cùm tamen prudentum judicio meras nugas otiosè tractent; sic omnes hominum occupationes: quæ ad DEI Gloriam, & nostram aut aliorum Salutem non tendunt, etsi seria & gravia negotia videantur, à DEO & Sanctis velut otium & nugæ ridentur.

Drexel. in Palæst p 3. c. 7. §. 1. VII. Sicut Homo contagiosus in nullum Domûs angulum admittitur; ita otium velut ipsissima Pestis ab omnibus vitæ nostræ horis proscribendum est.

S. Bern. S. de S. Andrea. VIII. Sicut per rimam Sentinæ aqua latenter intrat, & exrescit, donec Navis per Nautarum incuriam demergatur; ita ex otio ac ignavia cogitationes pravæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec Navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur.

S. Laurent. Justin. c. 5. de ligno Vitæ. IX. Sicut Aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit; ita & corpus otii tabe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.

Mansi dist. 4. n. 8. X. Sicut vas plenum, nullius alterius rei admittendæ capax est, ita & mens & cor nostrum, quando per fidelem nostram cum gratia cooperationem rebus repletur divinis, nullum dæmoniacis locum dabit suggestionibus, quin potiùs iis ingruentibus intrepidè respondebit, Apage hinc sis, siquidem possessio jam capta est, nec ulli ultrà aditus patet: siquidem intus existens prohibet extraneum,

Senec. l. 4. nat. qq. c. 2. XI. Sicut Crocodilus est animal fugax audaci, audacissimum timido; ita & crocodilus infernalis heroica opera aggredientes horret, & expavescit, timidis verò gloriosè insultat. Talem aliquando se præbuit Basilius Magnus, quando à Modesto, Imperatoris Valentis præfecto, per minas ad Arianorum sectam amplexandam sollicitatus, cum incredibili animositate in hæc respondit verba: Modeste, Basilio Magno jubes? Formica es, rugias licèt ut leo. Invincibilem hanc Basilii fortitudinem S. Hieronymus adumbrâsse videtur, quando illum explicans Amos textum (Qui dormitis in lectis eburneis) ita discurrit: Qui athleta est Domini, & exercetur ad luctam, & præparat se contra adversarias potestates, dormit in nuda humo, imitans Jacob, & ponit sibi lapidem ad caput, quem reprobaverant ædificantes, & factus est in caput anguli. Qui verò deliciis vacant, atque luxuriæ, & omnia causâ ventris faciunt, dormiunt in lectis eburneis, mortui animalis, & immundis hærent ossibus; & quia pulchra videntur vitia, & præsenti nitore delectant, requiescunt in eorum lectulis, & sopore gravissimo deprimuntur. S. Ephrem modum tentationis acediæ à nobis repellendi his verbis tradit: si obveniente acediâ resisteret frater operando, & se exercendo, tunc acediæ spiritus divinæ gratiæ auxilio repelleret. Quod S. Hieronymus confirmat, dum Rusticum salubriter his verbis monet: semper aliquid boni, fac, facito, ut te diabolus non inveniat otiosum.

S. Ephrem. param. 18. XII. Sicut athleta corpus suum studiosè exercet, ut illud ad certaminis artificium aptum, compositumque reddat, ita & pietatis pugil seipsum ad omne opus bonum exercere debet, cùm dicat Apostolus, 1. Timoth. 4. 7. Te ipsum verò ad pietatem exerce; Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

S. Greg. l. 1. past. c. 35. XIII. Sicut, si quis in medio cursu rapidi, & præcipitis cujusdam torrentis constitutus firmare se vellet, nec ulteriùs progredi, in evidenti esset periculo, ne ab impetu aquarum dejectus periret: eodem modo in vita spirituali accidit, utpote quæ naturæ nostræ depravatæ opponitur: nam passionum nostrarum impetus ad vitium, ad peccatum, ad torrentem mundi sequendum nos pertrahit, nisi nobismet ipsis faciamus violentiam, ut rapidum appetituum nostrorum torrentem securè transire valeamus, vincendo & mortificando ipsos; hoc enim si commiserimus, retrogrediemur, decidemusque à spiritu, nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

S. Bonav. diæt. tit. 1. c. 7. XIV. Sicut paralysis facit membra arida & impotentia, sic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, & membra omnia ad laborem pœnitentiæ sustinendum; unde de talibus dicitur in Psalmo: Manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt.

Mansi dise. 2. n. 2. XV. Sicut immensum Babyloniæ Colossum exile destruxit saxum, inque minutissimos redegit pulveres (abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, & comminuit, tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam) ita quoque vel unicum exile saxum, id est, una negligentia, seu pigritia, circa alicujus momenti materiam admissa sufficiens est, ut humi prosternat, inque ultimum conjiciat præcipitium animam quampiam, quæ priùs in virtute atque sanctitate eminenter excellebat.

Aresius ibid. n. 4. XVI. Sicut ignis rarefactus nullum caloris gradum amittit, sed tamen debilior fit, & quamvis in semetipso non minùs calidus sit, quàm antè, eosdem tamen, quos antè effectus producere non poterit, nec contrariis tam fortiter resistere. Ita quoque charitas, quæ cœlestis quidam ignis ist, per peccata venialia verè quidem non diminuitur, nec aliquem intensionis gradum amittit, attamen per illa rarefit, quia cor, quod illis subjectum est, ad diversas creaturas dilatatur, & extenditur; quia nunquam peccatum aliquod veniale committitur, quin sit aliquis ad objecta creata affectus; charitas autem tametsi tam extincta non sit, minorem tamen, quàm antea vim habet, nec est ad resistendum contra-

trariis idonea; Et ideo peccata venialia non imminuunt charitatem, sed ejus fervorem.

Vit. PP. l. 5. libell. 11. n. 73. XVII. Sicut lucerna oleo & lychno præparata lucet, si autem per negligentiam non acceperit oleum, paulatim extinguitur, atque ita invalescunt tenebræ adversus eam, sed & mus veniens ad eam, volensque myxum ejus comedere, priusquam perfectè extinguatur, non potest propter calorem ignis; si autem viderit, quòd nec lumen habet, nec calorem jam retinet ignis, tunc volens trahere myxum ejus, dejicit etiam ipsam lucernam in terram, quæ, si testea fuerit, minutatur; si ærea, à domino suo reparatur: Ita etiam, si neglexerit anima, paulatim recedit ab ea Spiritus S. donec perfectè extinguatur calor ejus, atque ita inimicus consumit, & devorat propositum animæ illius, sed & corpus nequitiæ exterminat. Si autem quis per affectum, quem habet in Deo, bonus fuerit, simpliciter autem ad negligentiam raptus fuerit, Deus, qui misericors est, excitat in eo mentem suam &c.

S. Chrysol. s. 106. XVIII. Sicut infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem, ac sic excidere istam, lucrum est, & istam commodum non habere. Sic homo utique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensuum, Judicium mentis, artis industriam, culturæ bonum per steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat; Sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis; ita homo deses, ignavus, non sibi fit noxius, sed multis.

Prov. c. 10. 26. XIX. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. Quasi diceret, sicut acetum valde est ingratum dentibus, & fumus oculis invisus est, ita quoque homo piger supra modum est abominabilis.

S. Ephrem. S. de vit. virg. XX. Sicut si quis manibus ac pedibus sanus sit, habeatque ante se escas plurimas appositas, & segnitie torpens noluerit ori suo eas admovere, iisque vesci, ut animam corpusque reficiat, talis sibi ipsi necis suæ author est; Ita quoque Monachus (seu quilibet alius piger & acedioſus) qui suavissimos divinæ gratiæ cibos expertus est, si neglexerit ipsam invocare, haudquaquam dulcedine ejus satiari, recrearique poterit, sed velut fame consumptus, auxilioque destitutus tabescet. Quis ergo illius miserabitur, qui cùm gratiæ cœlestis escam, si manus extenderet, gustare posset, sponte se illius suavitatis epulis per desidiam privat?

§. IX.
MOTIVA.

Mansi disc. 14. n. 2. I. Exemplum Dei: hinc S. Joannes Damascenus Spiritum Sanctum, non sine ingenti mysterio, Divinitati ignis nomen attribuisse notat, ut per hoc insinuet, quòd sicut elementum istud semper activum existit, ita quoque Deus in continua versetur operatione. Idem quoque Spiritus Sanctus, quando prima omnium vice se mundo manifestum fecit, operativum prorsus & activum se exhibuit; nam, ut Scriptura ait: Spiritus Domini ferebatur super aquas; De Verbo æterno S. Joannes pariter inquit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est; denique de Patre æterno in primis totius Bibliæ verbis dicitur: In principio creavit Deus cœlum & terram. Et ipse CHRISTUS de ipso dixit: Pater meus usque modo operatur. Ideo Bellovacensis rectè ait: cùm audis, Deum operatum fuisse sex diebus, & in septima quievisse, frustra speras requiem, nisi post laborem. Operatur enim DEUS continuè gubernando mundum, ordinando, providendo. Unde Joan. 5. Pater meus usque modò operatur. Neque prætereunda nobis est moralitas quædam, quam Oleaster his verbis adducit. Est, quod hîc advertas, scilicet non quiescendum esse, nisi priùs laboraveris; similiter pluribus diebus laborandum, paucioribus quiescendum. *Bellovac. Spec. Moral l. 3. p. 6. dist. 12.*

II. Exemplum CHRISTI, de quo sic discurrit Bellovacensis: Exemplum CHRISTI habemus, qui dicit: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Pius Dominus laborare non destitit, usque ad diem mortis suæ; diebus prædicando, discurrendo, corripiendo, miracula faciendo; noctibus in orationibus insistendo. Matth. Cap. 8. 16. dicitur: Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat: At verò quam ob rem CHRISTO dæmoniacos illos liberandos tam serò obtulerunt? quonam spectat ista tarditas? Albertus Magnus inquit, quia in die occupatus erat, Verbi DEI prædicatione, ex compassione ad ignorantiam populi, & in sero per miraculum confirmavit, quæ prædicaverat, & excitavit populum ad laudem DEI. Psal. 41. 9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Quæ omnia confirmans S. Bernardus, ipse, inquit, hominum sæculique author, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, nunquid stetit? & quidem teste Scriptura: Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gressu: sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultavit ut gigas, ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit: Et quid prodest, Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus ajebat: sic currite, ut comprehendatis. *Bellovac. Ibid.* *S. Bern. Ep. 253.*

III. Exemplum Angelorum, per quos Deus continuè & incessanter operatur; de quibus proinde vates regius ait: qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem urentem. S. Antoninus citat S. Bernardum in hæc verba scribentem: O impudens & imprudens! millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, scilicet ad operandum, quod eis congruit; & tu sedere præsumis, & otiari? Unde Seraphini circa thronum DEI ab Isaia sex alis instructi visi fuerunt: sex alæ uni, *S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 14. §. 1.*

& ſex alæ alteri; ubi Gloſſa ait: Propter velocem in omnibus diſcurſum, ſicut & venti alati dicuntur. Etenim cœleſtes illæ Intelligentiæ in continua ſunt activitate, volvendo ſemper primum Mobile, omnesque alias ſphæras ſupernas; ſuperintendendo tutelæ provinciarum atque regnorum, ſuamque circa ſingulos noſtrûm quotidie dies & noctes perficiendo ſollicitiſſimam cuſtodiam, nam Angelis ſuis Deus mandavit de te.

Manſi diſc. 15. n. 1. IV. Exemplum Mundanorum, quod ſic propoſuit Thomas Morus: Mundani, heu! laborant, & ſudant, ut eant ad infernum, cùm tamen, ſi longè minùs pro gloria Dei, & animæ propriæ ſalute facerent, ſublimiſſimos ſibi gloriæ gradus in cœlo comparaturi fuiſſent; Et ideo, licet mundani in temporalibus negotiis ſagaciores & aſtutiores ſint, viris ſpirituali & veræ Chriſtianæ vitæ deditis, attamen in rebus ad futuram vitam ſpectantibus, ab his longè ſuperantur; Et ideo Lyranus ly prudentiores, interpretatur; aſtuti & fervidi in temporalibus negotiis. Lucas Burgenſis pariter finem à Chriſto in hac parabola intentum declarans, inquit: Verba ſunt Chriſti, occaſione laudatæ prudentiæ iniqui hujus villici, exprobrantis filiis Dei miſericordiam ſuam. Euſebius Emiſſenus inquit: Prudentiores ſunt illi in malo, quàm iſti in bono; vix enim inveniuntur alii qui Sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem iſti habent in acquirendis bonis temporalibus: pro eis enim nocte dieque vigilant, laborant, anguſtiantur. Quod confirmans Stobæus ſic loquitur: ut faciliùs & promptiùs labores illos ſuſtineamus, quos virtutis & honeſtatis gratiâ ſubituri ſumus, hæc animo reputare ſecum, utile fuerit; videlicet, quàm multa tolerent aliqui propter malas cupiditates, ut qui amat luxuriosè; & quantùm ſufferant alii lucrandi causâ. Item quanta patiantur nonnulli, dum gloriam venantur. An non igitur iniquum foret, illos quidem hujusmodi pro nulla re honeſta ſuſtinere, nos verò honeſtatis gratiâ, & declinandæ causâ pigritiæ, (quæ planè peſtis eſt vitæ noſtræ) tum comparandæ virtutis (quæ nobis bonorum omnium dux eſt) non quosvis labores promptè ſubire; atqui verbis exprimi non poteſt, quantò præſtantius ſit, eniti, ut cupiditates propriæ caſtigentur, quàm laborare ad uxorem potiendum alienam; item frugalitatem exercere, quam in comparandis pecuniis laborioſum eſſe: Et operam dare, ne ſis ambitioſus, quàm gloriæ conquirendæ causâ multis negotiis moleſtari.

Stobæus S. 29.

S. Auguſt. S. 22. de verb. Apoſt. V. Exemplum avarorum; de quo S. Auguſtinus eleganter ſic diſcurrit: non eſt gravis avaritia? Quare ergo te de ſomno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non ſinit? Et fortaſſe habes cum illa alterum onus pigritiæ: & iſta duo nequiſſima onera, ſecumque pugnantia premunt te, & delaniant te; non enim paria imperant, non enim ſimilia jubent. Pigritia dicit: dormi; Avaritia dicit: ſurge. Pigritia dicit: noli pati frigidos dies; avaritia dicit: tolera in mari etiam tempeſtates. Illa dicit: requieſce: iſta non ſinit quieſcere; jubet, non ſolùm procede, ſed & naviga trans mare; quære terras, quas ignoras; merces in Indiam deportandæ ſunt. Non nôſti linguam Indorum, ſed intelligibilis videtur ſermo avaritiæ. Venies ignotus ad ignotum: das, accipis, emis, portas: periclitatus perveniſti; cum periculis redis, exclamans in mari exagitatus tempeſtate: Deus, libera me! non audis reſpondentem: quare? miſi te? avaritia tibi juſſit, ut acquireres, quod non habebas; Ego tibi juſſi, ut ſine labore ante oſtium tuum pauperi dares, quod habebas; Illa te ad Indos miſit ad reportandum aurum. Ego tibi ad oſtium Chriſtum poſui, à quo emeres Regnum Cœlorum. Tandemque hæc notatu digniſſima ſubdit verba: laboras in juſſione avaritiæ, in juſſione mea non laboras.

VI. Exemplum peccatorum, quod Bellovacenſis ſic proponit: vehementer & efficaciter nos excitare deberet, imò compellere labor, quem voluntariè ſumunt, & gaudenter ſuſtinent plures mundani omnibus diebus vitæ ſuæ, pro modico lucro vel commodo temporali. Denique ſi conſideremus, quantos labores, timores, & pericula, quantas ſollicitudines & anguſtias ſuſtinent miſeri peccatores pro flagitiis ſuis, & perverſis voluntatibus ſuis adimplendis, quibus non vitam, ſed mortem ſibi mercantur æternam. Auguſtinus in libro de patientia ait: Intuemur, quanta in laboribus, & doloribus ſuſtineant pro rebus, quas vitiosè diligunt, quanta pro falſis divitiis, & pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculoſiſſima & moleſtiſſima patientiſſimè tolerant. Pecuniæ, gloriæ, laſciviæ cupidos videmus, ut ad deſiderata perveniant, optatisque non careant. Soles, imbres, nives, glacies, fluctus & procelloſiſſimas tempeſtates, aſpera, & incerta bellorum immanium, ictus & vulnera, horrenda plagrum non inevitabili neceſſitate, ſed culpabili voluntate perferre, & pro apertis ſceleribus, non ut ea puniant, ſed perpetrent, homines multi graviſſima perferunt. Unde rectè Thomas Kemp. dixit: Plures mundum libentiùs audiunt, quàm Deum: faciliùs ſequuntur carnis ſuæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. Promittit Mundus temporalia & parva, & ſervitur ei aviditate magnâ: ego promitto ſumma & æterna, & torpeſcunt mortalium corda. Quis tantâ curâ mihi in omnibus ſervit & obedit, ſicut Mundo & Dominis ejus ſervitur? Erubeſce Sidon, ait mare; & ſi cauſam quæris, audi quare. Pro modica præbenda, longa via curritur: pro æterna vita, à multis vix pes ſemel à terra levatur. Vile pretium quæritur: pro uno numiſmate interdum turpiter litigatur: pro vana re & parva promiſſione, die noctuque fatigari non timetur. Sed, proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubeſce ergo, ſerve piger, & queruloſe, quòd illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi ampliùs ad vanitatem quàm tu ad veritatem.

Bellovac. L. 3. Spec. p. 6. diſt. 1.

Th. Kemp. de imit. Chr. l. 3. c. 3.

VII.

S. Chryſoſt. l. 1. de compunct.

VII. Exemplum ægrorum; nam, ut rectè notavit Sanctus Chryſoſtomus, ſi vel parùm aliquid in corpore morbi pulſaverit, ſtatim & Medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obſervantiâ, quæ competunt, gerimus, nec priùs ceſſatur, quàm quæ moleſta ſunt, mitigentur; anima verò cùm quotidie vulneretur, cùm per lingula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura ſollicitat.

S. Auguſt. l. 17. ad fratr.

VIII. Exemplum Creaturarum; quod ſanctus Auguſtinus ſequentibus verbis proponit: aperi oculos mentis, & corporis, videbisque ſingulas creaturas ad officia ſingula deputatas. Ecce enim ſol curſum anni perficit: luna etiam menſibus, ut viciſſitudinibus diſcurrit: & cæteræ ſtellæ. Omnia enim ſibi deputata officia ſine quiete exercent. Nunquid etiam animalia bruta ad ſuæ naturæ induſtriam otium fugiunt? nunquid etiam ſemper laborant, ut conſerventur in eſſe? nunquid in ſuis neceſſitatibus deficere & pigreſcere ea videmus? abſit; omnia enim ſub obedientia ſunt, omnia agunt, quod agere debent. Solus autem miſer homo acediâ ſuperatus, à ſuo officio frequenter recedit, & Dei imaginem in ſe deturpans, in acedia perſeverat. Erubeſce, ô Chriſtiane, & abſconde te à facie Salvatoris tui, quoniam inſipientior jumentis & formicis hodie factus eſſe comprobaris.

S. Baſil. hom. 9.

IX. Exemplum formicarum; nam: ut deſidem & pigrum exſuſcitet, ait ſanctus Cyrillus, formicam creavit Dominus; cùm enim aliquis inertem degit juventutem, tum ab animantibus rationis expertibus docetur, redarguitur à Scriptura Divina, quæ ait: vade ad formicam ô piger, & æmulare vias ejus. Unde rectè infert S. Baſilius: non tu tibi eandem homo diligentiam adhibebis? non tu tibi ipſi demum elaborabis? non hoc tempore præſenti fruges tibi recondes? Requiemque ad futurum, formicæ exemplo parabis? Formica temporis hyberni pabulum æſtate ſibi ſedulò condit, & non quòd hyemis incommoda nondum adſunt, otioſa tempus traducit, ſed inceſſabili quodam intentoque ſtudio legendi, ad ſemina tantiſper incumbit, dum ſufficiens alimentum in cellulis ſibi recondet. Neque id incuriâ facit, ſed ſapienti quadam providentiâ, ut quamplurimo tempore pabulum ſibi perſiſtere, conſervarique poſſit. Secat enim unguiculis fructus medios, arroſosque condit, ne rurſum in fruges exeant de terra, atque inutiles ſibi in uſum alimoniæ fiant. Cùm ſenſerit eos madefactos imbre, profert, & exſiccat, nec omni tempore id agit, ſed cùm præſenſerit aërem ſerenâ in ſtatione teneri, ſerenumque cœlum. Sed & Hugo Card. conſentiens: Mittit Salomon, inquit, ad formicam, quia in ejus natura ferè contra omnia vitia cautela reperitur, quia parvum animal eſt, ſic docet humilitatem. Item ſollicitum, ſic docet vitare otium. Item providum, ſic docet providentiam de futuro. Galat. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* S. Hieronymus ait: Cadentes ſub onere humeris ſuis ſublevabant. Item arcto calle incedit, ut Hugo Cardinalis obſervat, & ſic docet pœnitentiam Luc. 13. *Contendite intrare per anguſtam portam.* Item terram egerit de cavernis, ſic docet contemptum terrenorum. Item grano paſcitur, ſic docet honeſtatem vitæ.

Apud Manſi diſc. 13. n. 11.

§. X.

ALIA MOTIVA.

I. QUia DEO inviſos nos reddit; nam Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.

II. Quia Superioribus noſtris graves & moleſtos efficit, ſicut Equus aſſiduis ſtimulis ad inceſſum urgendus Equiti permoleſtus eſt.

III. Quia proximis noſtris odibiles nos facit, ſicut Mendicos robuſtos videmus omnibus deteſtabiles, & Fucos Apibus exoſos eſſe.

IV. Quia Corporis ſanitatem lædit; cùm juxta Hippocratem hæc duo ſanitatem tueantur, cibis non ſatiari, & impigrum eſſe ad labores. Hinc equi diu ſtando, aqua non labendo, ferrum non utendo corrumpitur: Agricolæ verò ſaniores plerumque ſunt otioſis & delicatis Hominibus. Epid. 6.

V. Quia nocet vehementer Animæ; dum velut omnium malorum & vitiorum origo eam ſceleribus replet, & in periculum ſalutis præcipitat. S. Chryſ. Hom. 15. in Gen.

VI. Quia ſibi ipſi moleſtus eſt Acedioſus Homo, teſte S. Chryſoſtomo dicente: Grave malum eſt otium, facitque, ut facilia omnia videantur difficilia; ſicut ſtudia & vigilantia etiam ardua & difficilia, facilia nobis ſunt.

VII. Quia tentationibus Dæmonis exponit; cùm juxta antiquos Patres apud Caſſianum; qui laborat, ab uno Dæmone, otioſus ab innumeris infeſtetur. Pſal. 87.

VIII. Quia Chriſtus in laboribus à Juventute fuit; non decet ergo ſervum otio marceſſere, quando ipſe Dominus, & tantus quidem inter labores ſudat.

IX. Quia Filii hujus ſæculi tantopere laborant, ut perituras & morituras divitias congregent; quantò magis pro lucro ſpirituali & æternum duraturo laborandum erit? Prov. 6. v. 6.

X. Quia ipſa bruta nos ad laborem incitant exemplo ſuo, hinc Salomon ait: Vade, piger, ad Formicam, & conſidera vias ejus, & diſce Sapientiam. Prov. 20. v. 4.

XI. Quia paupertatem adducit in temporalibus bonis; nam propter frigus piger arare noluit, inquit idem Salomon, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.

XII. Quia exitium ſempiternum affert: nam omnis Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3. v. 10.

§. XI.

MEDIA.

I. AMor Dei, nam qui fideliter diligit, ait Bellovacenſis, nec faciliter obliviſcitur dilectum, nec negligit implere beneplacitum voluntatis ejus: unde, ubi parvus eſt amor, ibi parùm invenitur de diligentia; ubi perfectus amor, ibi nulla negligentia. Deuter. 8. *Cave, ne obliviſcaris Domini DEI tui, & negligas mandata* Bellovac. ſpec. diſt. 10.

mandata ejus. Unde ergo in nobis tanta negligentia, nisi ex defectu amoris? Quod confirmans S. Bonaventura dixit: non potest frigere foris, qui intus calescit: neque ignis, & tepiditas in uno domicilio morantur, teste S. Bernardo; & ut S. Gregorius dixit: Amor Dei nunquam est otiosus; operatur enim magna, si est, si autem operari renuit, amor non est.

II. *Christi Exemplum ob oculos semper habere*; Si enim Solatium est Miseris Socios habere; Si Equus præcurrentis Equi exemplo ad cursum animatur; Si sua vulnera sentit miles, qui Ducis vulnera intuetur; quomodo non animabitur ad laborem, qui tanti Ducis labores considerat; hinc meritò Christus ad se invitat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis (tædio & difficultatis molestiâ) & ego reficiam vos (exemplo scilicet meo.)

S. Bern. serm. 22. III. *Sanctorum exempla præclara frequenter ponderare*, sibique ipsi ignaviam illis olim S. Augustino dictis verbis exprobrare: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

IV. *Auxilium divinum implorare*; Sic enim S. Bernardus suasit dicens: Cùm te torpore, Acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à Studio Spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans Sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriorque curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri; cùm dilatasti cor meum.

Ps. 118. v. 32.

V. *Severitatem judicii Divini studiosè perpendere*: si enim horribilem illam tubam: Surgite mortui: & venite ad Judicium: cum S. Hieronymo frequenter in auribus resonantem audiemus, haud dubie à desidiæ somno excitabimur.

VI. *Vocationem & Salutem suam seriò amare*: sic enim tepiditatem declinabimus, ne audire cogamur: Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

Apoc. 3. v. 16.

S. Basilius in reg. brev. interrog. 37. VII. Præsentia Dei cogitata, quam S. Basilius efficacissimum esse medium dixit adversus acediam. Postquam enim hanc præmisisset quæstionem: Qui piger est ad mandatum, quomodo is ita poterit excitari, ut gnavus sit? Mox respondet: Nempe si ei persuasum sit, ubique Dominum Deum adesse, & omnia cernere, & comminationem illam veram esse, quæ facta est adversus pigrum. Idem quoque remedium ex quibusdam S. Bernardi verbis deducitur, dicentis: quo modo negligens poterit fieri, qui intuentem Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus & exteriora omni horâ considerare non cessat, omnesque non solùm actus, sed ipsos subtilissimos motus animæ perscrutetur, atque diiudicet? In vita S. Ignatii de Laiola legitur, quòd, cùm quendam in tradito sibi munere valde remissum, atque oscitantem invenisset, quæsivit ex eo, cuinam in tali ministerio daret operam, Deóne, an hominibus? Cùm ille se Deo utique deservire dixisset; Plectêris igitur, inquit Ignatius, nam in rebus humanis minùs accuratè versanti jure forsan ignoverit quispiam, at immortali Deo ministrare negligenter, id verò nullo pacto ferendum est. Quisquis igitur assiduè Dei præsentiam in mente sua revolverit, huic impossibile erit, ut frigidus permaneat, aut in divino servitio otiosus, quia Deus ignis consumens est.

IIX. Continuum exercitium: sicut enim ignis modicus faciliter extinguitur, si quis illum per materiam combustibilem fovere & nutrire negligat: eodem modo de igne charitatis dicere possumus, quòd faciliter deficiat, si per negligentiam, & pigritiam nostram continuis virtutum actibus vivum conservare negligamus. S. Bernardus in sermone quodam de modo bene vivendi ita scribit: tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Una quæque sancta anima debet in se monstrare amorem Dei, & verbis sanctis, & actionibus; unde in Canticis Canticorum sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est sanctam animam ornat, dicens: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum.* In corde sunt cogitationes, & in brachiis operationes; ergo super cor & super brachium sponsæ Dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur, quia amor Dei nunquam est otiosus. Hinc, teste Cassiano, experientia probatum est, Acediæ vitium non declinando fugiendum, sed resistendo superandum. Et nos ipsi, si forte per somnum obdormierit, eum frequenter movendo, torporem excutere molimur.

S. Bern. l. 1. de modo bene viv.

IX. Non comparare se cum aliis &c. nam ut S. Isidorus Peluſiota dixit, plerique hominum (vereor enim dicere, omnes, quamvis istud Scriptura dicere non vereatur) non quòd amplectantur sanctitatem, sed quoniam iniquioribus se ipsos comparent; sub hac ad deteriora collatione imaginariam sibi arrogant sanctitatem, non ipsa per se divina præcepta ponderantes, atque vitam suam ad illorum regulam componentes, sed cum languidis & socordibus, vitæ statum, & rerum suarum tenorem commensurantes. Quod confirmans S. Bernardus: Hinc, ait, elevaris in superbiam, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis & deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris, sicque in tepiditatem incidis, & incipis remissiùs agere. Scimus autem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; &, quia maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit.

S. Isidor. l. 3. Epist. 237.

S. Bern. 3. exhor. ad frat.

X. Nunquam subsistere, uti S. Gregorius Naz. suasit dicens: Optimus esse contende, cave unquam in via virtutis subsistas, tibi enim, qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto, consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. Hinc & Salomon ait: Cùm consummaverit homo, tunc incipiet, id est, se inchoasse reputabit, ut Hugo Cardinalis ait: & quasi nihil egerit, agere illa incipiet. Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. In libello quodam apophtegmatum ex Arabico à Druso translato, inter

S. Gregor. Naz. in somniis.

Eccl. 18.

inter alias sententias hæc quoque recensetur: Homo sapiens est, quàm diu quærit sapientiam, ubi autem putat, se ad ejus culmen pervenisse, desipit. Sed & S. David, beatus vir, inquit: cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit; At verò quænam sint hæ ascensiones, quas servus Dei in corde suo disponit, per quas tandem beatus evadit, S. Hieronymus his verbis declarat: Ille disponit ascensiones in corde suo, quicunque quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviscitur.

Ps. 83.

S. Bern. S. 2. de altit. cord.

XI. Odium Dei adversus tepidos considerare, quod patheticè S. Bernardus sic proponit. Simplex natura simplicitatem cordis exquirit. Denique, & cum simplicibus sermocinatio ejus; vir duplex animo inconstans est. Non potest, quem quæritis, inveniri ab his, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Æternitas est, quæ, nisi perseveranter quæsita non invenitur. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! nemo enim duobus dominis servire potest. Ne hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo: indignum est enim ei, ut inveniendam se præbeat, nisi perfecto eam quæsieris corde. Cæterùm si odibilis est canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti, sed & ipsum quoque, quem invenerit tepidum, ex ore suo evomere incipit Deus; simulator, & proditor ubi parebunt? si maledictus, qui facit opus Dei negligenter, qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc duplicitatem, carissimi; & à fermento Pharisæorum omnimodi caveamus. Si non volumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter: ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur.

S. Laur. Just. c. 4. de disc.

XII. Dona collata considerare, nam ut sapienter S. Laurentius Just: advertit, divinum atque naturale Jus, nec non & humanæ leges clamant, ut, cui plus dilectionis & muneris elargitum est, tantò amplius exigatur ab eo, & tantò magis ingratitudinis vitio quisque sit reus, quantò contra honorem, voluntatem, & præcepta sui largitoris segnior, atque protervior extiterit. Propter hoc rationalis creatura, quæ præ cæteris nobilitate naturæ & gratuitis donis sublimata est, plus cunctis suo debet famulari Conditori, debet quippe ipse homo infatigabiliter exercere se, quatenus ad cognitionem beneficiorum Dei valeat pervenire.

Bellov. spec. l. 3. p. 6. disc. 4.

XIII. Præmium ob oculos ponere; uti Bellovacensis suasit his verbis: Fructus alliciens, scilicet spirituale præmium, & æternum præmium, quod modico tempore, & non multo labore potest acquiri, nam quasi pro nihilo lucrari potest homo plus, quàm valeant omnes divitiæ, & omnia Regna Mundi, scilicet gratiam & gloriam, de qua Psalmista ait: Gratiam & gloriam dabit Dominus. In libro Judicum cap. 18. legitur, eos, qui in Lais abierunt, post reditum suis dixisse compatriotis: Surgite, ascendamus, vidimus enim terram valde opulentam, & uberem, nolite negligere, nolite cessare, eamus & possideamus eam, nullus erit labor. Quando enim non jam spes præmii, sed illius aspectus nos allicit, nullus prorsus sentitur labor. Unde S. Augustinus ait: attendis, te habere laborem, sed attende, qualem ille requiem pollicetur: nunquid cogitare poteris? si illum posses cogitare, videres, te nihil laborare ad compensationem. Idem quoque S. Doctor alibi in Epistola quadam inquit, omne opus leve fieri solet, cùm ejus præmium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris.

§. XII.

ASCETICA.

I. CUm Vitium hoc, si ullum aliud, iis potissimum, qui Virtuti ac Perfectioni student, periculosum sit, meritò etiam Asceta in extirpationem illius totis viribus incumbere, &, quoniam *Tepiditatis* potissimùm nomine apud Viros DEO sacratos exprimitur, tria de illa specialiter advertere debet.

II. Primò itaque nosse debet, quid sit Tepiditas ista, & quæ sint indicia illius; nimirum quòd aliud nihil sit, quàm remissio fervoris in prima conversatione concepti: nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, tepescimus processu temporis fervore conversationis nostræ: Paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemus carne, qui Spiritu cœperamus: inde enim est, ut minùs ea sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Domini relinquimus, Religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi; faceti etiam Detractores & Murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet, quasi verò confestim sit etiam sine noxa.

S. Bern. serm. 3. de Annunc.

III. Secundò nosse debet, duplicem esse tepiditatem, de qua S. Antoninus sic loquitur: Op. 1. t. 1. c. 2. §. 5. mala tepiditas, quæ veræ spem conversionis abscindit, sed illam dico malam, quæ calorem sequitur, non autem, quæ præcedit, quæ ad remissionem tendit fervoris, non quæ ad fervorem disponit. Aqua enim, quæ debet calefieri, priùs tepet, quàm caleat, & ista tepiditas non est mala, quia tendit ad bonum; demum postquam est calida effecta aqua, si igni non adhæreat, iterum ad teporem descendit. Hæc tepiditas mala est, quæ tendit ad frigidum, & citiùs congelat in glaciem, quàm si calida nunquam antè fuisset, natura enim fortiùs agit, ubi majorem resistentiam sentit; qui enim aliquando fuit bonus, igni divino applicatus, & paulatim inde recedens, calorem illum non nutrit, sed remittit, & ad talem obstinationem descendit, quòd in stomacho divinæ digestionis, ubi separatur pretiosum à vili, bonum à malo, stare non potest. Hoc autem accidit omnibus spiritualibus, qui manum suam posuerunt ad aratrum, & postea se retrò verterunt, in inchoata pœnitentia vel religione non se conservantes.

S. Anton.

IV. Tertiò nosse debet gravitatem hujus morbi, ut ad ejus curationem suscipiendam tantò vehementiùs incitetur; Quam quidem gravitatem colligere potest ex eo, quòd juxta SS. Patres

tas tanta sit potentia & vis hujus tepiditatis, ut, quem semel absorbuit, semper ferè retineat.

S. Thomas 2. 2. q. 54. a. 3.

V. Quartò nosse debet, quomodo tepiditas peccatum mortale sit; id quod S. Thomas suo more clarè explicat sequentibus verbis: Potest dupliciter contingere, quòd negligentia sit peccatum mortale; uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte causæ, si enim voluntas in tantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, ut totaliter à DEI charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale; & hoc præcipuè contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu: Idem Angelicus Doctor in alio quodam articulo differentiam explicans, quæ est inter peccatum veniale & mortale in communi, ad acediam deveniens inquit: Motus acediæ in sola sensualitate, quandoque est per repugnantiam carnis ad spiritum, & tum est peccatum veniale; quandoque verò contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omninò prævalente, & tunc manifestum est, quòd acedia est peccatum mortale.

S. Antioch. ho. 26. de aced.

VI. Quintò nôsse debet, quo præcipuè tempore hæc Acedia oppugnet; id quod S. Antiochus sat clarè indicavit, dum dixit: Tali suggerit dæmon hic acediæ cogitationum intemperiem, nempe aliò ut emigret, & quia tempus omnia, & labor omnis vacua sibi erunt, & frugis bonæ inania, ni se ad alia conferat loca. Et paulò pòst subdit: Si quando dæmon hic ex adyto cellæ non quiverit extrudere, tunc horâ maximè Communionis ipsum adoritur, ut ejus mentem dissipet, & in diversa abripiat. Avocat à laudibus divinis, mentem reddit vacuam bonæ operationis, & ab omni fruge alienam; cuncta hæc quid aliud operatur, quàm mentis otium, & socordia animi lentescentis? Neque hic maligni spiritûs quiescit astutia, siquidem, ut religiosum in via DEI negligentem desidemque reddat, negotiorum temporalium curis ipsum illaqueat: unde idem subdit Author: Talem in posterum Mundi negotiis curat obstringendum, atque ita irretitum, velut offâ porrectâ sensim inescat, & decipit istis occupationibus, quousque tandem deturbet è fastigio Monasticæ professionis.

S. Bernar. to. 4. S. 7. p. 3.

VII. Sextò nôsse debet, cur tam difficulter curetur hic morbus; id quod S. Bernardinus his verbis indicavit: Reputant se (tepidi & acediosi) sanctos, & in peccatis non advertunt, dicentes: Quæ aut qualia peccata commisi ergo? Nunquam violavi virgines, non adulteravi, non succendi sacras ædes &c. Quid mali feci? Et sic isto modo se excusat tepidus, non videns, quòd tunc intricatus est, &c. Horum status est periculosior omnibus aliis, quia melius est esse facinorosum, quia sceleratus cognoscens se pessimum, tremit dicendo: Heu miser, quot mala feci! Essem mille mortibus dignus: & sic sæpe se humiliat Deo, flendo de peccatis suis. Tepidi sunt ad instar panni nigri, in quo non bene videntur maculæ, & in albo panno omnis macula quantumcunque parva discernitur. In progressu verò ejusdem sermonis inquit idem Bernardinus: Magna & reprehensibilis est ægritudo tepidorum, qui se justos putant, cùm sint peccatores, & si quid boni habent in se, non Deo, sed sibi attribuunt.

Manfi disc. 7. n. 4.

VIII. Septimò nôsse debet, cur tepidi magis, quàm frigidi, Deo sint exosi & abominabiles; cujus rationem Manfi sequenti discursu indicat: Mysteriis plena sunt illa Ecclesiastici verba: Melior est canis vivus leone mortuo: veruntamen licet ab omnium sapientissimo homine, quem Mundus habuit, hæc verba dicta fuerint; primâ tamen facie videtur, pellem leonis mortui incomparabiliter magis appretiandam esse, quàm canem vivum quemcunque. Hugo Cardinalis igitur textum illum in sensu mystico his verbis ad nostrum exponit propositum, inquiens: *Melior est canis vivus, id est, peccator pœnitens, leone mortuo, id est, quàm justus torpescens*; Cujus hæc potest esse ratio; quia anima, quæ vivit in gratia, si à vita spirituali remittat, & tepidè vivat, ab amicitia Dei decidendi periculum incurrit; Unde in Apocalypsi dicitur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Verumtamen videri non immeritò possit melioris conditionis esse eum, qui tepidus est, & non frigidus, quia frigus nullum prorsus caloris gradum participat, sicut tepiditas, similiter secundùm allusionem moralem satius est, animam quandam centum peccatis levioribus, quàm unico mortali esse obnoxiam. Veruntamen optimè dicitur, *utinam frigidus esses*: quia ex tepiditate pernicioſissima quædam nascitur consequentia, quando enim quis cum fervore Deo servivit, ac demum in ejus servitio relaxatur: & in medio spiritualis vitæ defatigatus, cœpta spiritualia exercitia intermittit, non solùm ut plurimum ad pristina redit peccata, verùm etiam aversionem quandam concipit à facienda pœnitentia; unde Apostolus ait: *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam.*

IX. Octavò nôsse debet legitimum per solida & efficacia remedia morbum hunc curandi modum; qui quidem modus in sequentibus industriis consistit. 1. Ante omnia conetur tollere radicem morbi, & quia plerumque hæc Tepiditas ex inordinato amore seu concupiscentia alicujus rei creatæ oritur, hanc efficaciter subtrahere studeat; alioqui enim frustra alia media adhibebit. Latè porrò radicem hanc indicavit Manfi sequenti discursu: Filii Ruben, & Gad defatigati, ulteriùs progredi nolentes, coram Moyse comparuerunt, rogantes, ut illos in loco, qui ad pascenda animalia copiosissimus erat, remanere permitteret: *Regio enim uberrima est ad pastum animalium, & nos servi tui habemus jumenta plurima.* Ecce tibi veram causam, ob quam homines in via DEI contepescunt, ob nimiam videlicet adhæsionem ad bona terrena. Unde S. Philippus Nerius dicere consueverat, quòd, quantùm de affectu suo homo

Manfi disc. 1. n. 6.

tribuit

tribuit creaturis, tantumdem de eodem affectu suo adimat Creatori. Acedioſi igitur & pigri cum Ruben & Gad pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, quia bonis terrenis intenti, cæleſtia bona nihil faciunt. 2. Medicorum more ſuaviora quædam illi remedia proponat, qualia ſunt imprimis Oratio ad DEUM, uti ſuaſit S. Auguſtinus dicens: Agnoſce te in illa tentatione tædii, cùm adeſt, & clama ad Dominum, ut de neceſſitatibus tuis etiam hîc liberet te. Et de hac tentatione liberatus cùm fueris, confiteantur illi miſerationes ejus. Deinde ſuadeat illi, ut ipſe quoque DEO cooperetur, & pro viribus reſiſtat Acediæ, honeſtis occupationibus ſe onerando. 3. Si hæc nihil proficiant, ſeveriora & magis amara remedia adhibeat, oſtendendo ei, in quàm malo ſtatu verſetur, & quanto periculo, ne evomatur ex ore DEI, & Vocatione ſua excidat. Jubeatur conſiderare, quid in vitæ termino de hoc ſuo vivendi modo ſit ſenſurus, revocenturque ei in memoriam illa S. Bernardi verba: Quis ille pavor erit, ô Anima mea, cùm dimiſſis omnibus, quorum tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpectus, cohabitatio ipſa tam familiaris, ſola ingrediens incognitam penitus regionem, occurſantia tibi catervatim ruere teterrima illa monſtra videbis? Quid tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam? Quis conſolabitur? Quis deducet? Imò moneatur, ut hanc ſuam miſeriam ex aliorum tepidorum vita cognoſcere ſtudeat, ſicut S. Gregorius ſuaſit his verbis: Scribitur in Job: Conſiderate ſemitas Theman, Auſtri, inquam, ſive teporis, quia quæ in nobis minùs dijudicanda credimus, quàm ſint turpia, in aliorum actibus cognoſcimus. Sicque fit, ut ad ſemetipſum mens redeat, & agere, quod reprehendit, erubeſcat: Quaſi enim à ſpeculo fœda facies diſplicet, cùm mens à vita ſimili, in ſeipſa, quod averſetur, videt. Denique ſi Tepiditas hæc nimis altas radices fixiſſe videtur, imitetur exemplum illorum Medicorum, qui in ſimili Caſu longiorem curam per acidulas vel alias Medicinas ſuadent, horteturque, ut in ſolitudinem Spiritualem ſecedens, Sacris Exercitationibus vacet, & tum ex peccatorum ſuorum, noviſſimorumque ſeria meditatione, tùm ex vita ac Paſſione Chriſti conſiderata, aliisque piis exercitiis in hoc ſeceſſu obiri ſolitis ignem & fervorem caritatis in ſe accendat, quo tam noxiam tepiditatem fuget.

S. Aug. in Pſal. 106.

S. Bern. ſerm. in 6. tribul.

S. Greg. in cit. loc.

§. XIII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Cùm autem dormirent Homines, venit Inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania*: Oſtendi poſſunt mali fructus Acediæ, & zizania, quæ interea in mente Hominis velut agro ſeminantur à Diabolo. Videlicet. 1. Malitia ſeu deteſtatio bonorum Spiritualium. 2. Rancor ſeu indignatio erga Perſonas inducentes ad bona Spiritualia. 3. Torpor circa præcepta neceſſaria. 4. Puſillanimitas ab arduis conſiliis. 5. Deſperatio ſeu receſſus ab ultimo fine. 6. Curioſitas & evagatio ad objecta illicita. 7. Verboſitas, dum per collocutiones vanas ſolatium quæritur. 8. Inſtabilitas in locis & propoſitis mutandis. 9. Triſtitia ex carentia veri ſolatii exorta. 10. Inquietudo mentis, dum ubique pacem & quietem quærit, & nusquam invenit. Excitentur proinde Auditores, ut ſomnum Acediæ excutientes vigilent, caveantque, ne inimicus ejusmodi Zizania ſuperſeminans triticum bonorum operum ſuffocet, & perdat. Alios effectus Acediæ adducit, & fuſiùs explicat Marchantius, nempe Teporem, Mollitiem, Somnolentiam, Otium, Dilationem, Tarditatem, Negligentiam, Inconſtantiam, quas vide loc. cit.

Matth. 13. v. 25.

Marchant. Hort. Paſt. tr. 7. tract. 4.

II. Ex occaſione thematis: *Domine, Puer meus jacet Paralyticus in domo, & malè torquetur*: Poteſt Acedia Paralyſi comparari. 1. Quia ut Paralyſis omnibus propè membris ſanitatem & virtutem movendi aufert, præcipuè verò Pedes à greſſu, Manus ab opere, Corpus à motu impedit. 2. Quia Acedioſus ut Paralyticus ab aliis, ſemper moveri & portari debet, valdeque moleſtus eſt DEO, SS. Angelis & Cælitibus, Superioribus; Æqualibus & Inferioribus, 3. Quia non minùs, quàm Paralyſis eſt malum valdè diuturnum, & propè incurabile. Unde meritò vocandus Chriſtus, ut curet. Vocabitur autem, ſi frequenter vel ut liberaliſſimus Præmiator bonorum operum & laborum; vel ut ſeveriſſimus Vindex Ignaviæ, aliorumque Peccatorum conſideretur; ſi enim de quovis verbo otioſo tam rigidè rationem ſe exacturum dixit, quantò ſtrictiorem de operibus non otioſis duntaxat, ſed etiam tam graviter malitioſis exacturus eſt.

Matt. v. 6.

III. Ex occaſione thematis: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Dici poteſt, Chriſtum, ſicut variis horis otioſos invitavit ad vineam, ita indicare voluiſſe, varios eſſe Hominum ſtatus, qui Acediæ ſunt ſubjecti. 1. Status eſt *Adoleſcentiæ*, quæ vel maximè fugere Acediam debet, & Formicæ more congregare, quod in ſeram ætatem conducere poſſit. 2. Eſt *Juventutis*, quæ, ſicut magis ob ætatis & corporis vigorem ad vitia inclinatur; ita magis quoque Acediam & otium velut omnium vitiorum radicem fugere debet. Hinc Salomon monet: Memento Creatoris tui in diebus Juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent. 3. Eſt *Virilis ætatis*: Qui, uti viribus maximè pollet (unde & nomen accepit) ita magis etiam labori vacare debet, quia, cui multum datum eſt, multum exigetur ab eo. 4. Eſt *Provectioris ætatis*: cui ſicut plerumque varia officia committuntur, ita major quoque incumbit obligatio laborandi pro Gloria Dei, & Subditorum bono: alioqui potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio. 5. Eſt *Senii*, cui, ſicut parùm reſtat temporis, ita vel maximè conari debet, ut optimè illud impendat, & ad rationem reddendam ſe præparet. Certè ſi axioma illud: *In fine velocior eſt motus*; alibi locum habet, in ſenio

Matth. 20. v. 6.

Eccleſ. 12. v. 1.

Luc. 12. v. 48.

ſenio habere debet. Excitentur proinde hi omnes Status, ut Chriſtum vocantem in vineam ſequantur, & promiſſo denario Beatitudinis æternæ dignos ſe efficiant.

Luc. 7. v. 14. Epheſ. 5. v. 14. IV. Ex occaſione thematis: *Adoleſcens, tibi dico ſurge:* Vel, *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis:* Dicere poteſt Concionator, ſe hodie Excitatoris munere functurum, & omnes qui ſomno Acediæ immerſi ſunt, illâ formulâ, quâ alicubi ſtudioſi excitari ſolent: Nimirum *Bonus dies, Domini ſtudioſi, ſurgite, tempus eſt:* excitaturum. Oſtendat ſubinde per ſententiam S. Bernardi ſupra jam cit. quale ſit tempus, videlicet 1. *ad agendam Pœnitentiam:* juxta illud S. *Matth. 3. v. 2.* Joannis Baptiſtæ monitum: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. 2. *Ad acquirendam Gratiam:* Juxta monitum Salo- *Eccleſ. 9. v. 10.* monis: Quodcunque poteſt facere manus tua inſtanter operare, &c. & Chriſti: Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: *Joan. 9. v. 4.* Venit nox, quando nemo poteſt operari. 3. *Ad gloriam promerendam:* Oſtendatur proinde *l. 3. delmit. c. 47.* ejus magnitudo, & inferatur illud pii Aſcetæ; Age, quod agis: fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria; digna eſt his omnibus, & majoribus præmiis vita æterna.

Prov. 24. v. 30. V. Ex occaſione thematis: *Per agrum pigri Hominis tranſivi, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ:* Dici poteſt, Diabolum, ut Homines in ſuam poteſtatem redigat, & in ea retineat, varias munitiones erigere, uti per ſingula vitia Capitalia oſtendi poteſt; unam autem erexiſſe in medio Agri; hanc intra terram habere cavernas pro militibus eam propugnantibus, undique cinctam eſſe ſpinis, ædificatum in eo templum Priapo, cui Aſinus Pigrorum Symbolum offerri conſuevit, propugnari autem à quatuor cohortibus ſeu ſpeciebus: nimirum ab Adoleſcentibus voluptati deditis: à Negotiatoribus lucro augendo, & divitiis cumulandis intentis: à tepidis Clericis & Religioſis, & à deſperatis Peccatoribus; hæ enim hominum claſſes potiſſimum Acediæ ſunt ſubjectæ. Explicentur poſtea ſingulæ hujus propugnaculi partes; dicaturque 1. in agro exſtructum, quia inter optimas merendi occaſiones committitur hæc Acedia. 2. In terra habere cavernas, quia homines Acedioſi plerumque toti ſunt terrenis cupiditatibus immerſi, ut qui cœleſtibus deliciis careant. 3. Spinis cinctam eſſe, id eſt, actionibus infructuoſis, & quotquot eos tangunt; maximè autem ipſos Authores pungentibus, eorumque conſcientiam vellicantibus, 4. Templum Priapo ædificatum, quia tales ſeipſos eidem tanquam pigrum Aſinum immolant, & pro Deo ipſum venerantur. 5. Propugnari à dictis quatuor hominum Generibus, quia cùm in iis præcipuè inveterata ſit Acedia, merito illi quoque eandem præ aliis propugnare dicuntur. Oſtendatur dein, quomodo hoc Propugnaculum expugnari debeat, ſcilicet Ignem fervoris applicando ſpinis, quibus cinctum eſt; hunc autem ignem de cœlo petendum, conſiderando præmii magnitudinem, quod fervori huic promiſſum eſt.

VI. Ex occaſione thematis: *Vade piger ad Formicam, & diſce Sapientiam:* Oſtendi poteſt, quomodo Acedioſi ſedulitatem à Formicis diſcere debeant. 1. Ut, ſicut Formicæ ſunt providæ de futuro tempore, ita & ipſi non ad præſentem duntaxat breviſſimam vitam, ſed etiam futuram oculos conjiciant, ſibique pro ea maturè & copioſè provideant. 2. Ut, ſicut Formica nunquam eſt otioſa, ſed onera etiam majora, quàm ipſa ſit, portat; ita etiam acedioſi ſeipſos vincant, & ſemper utili labore, licet importabilis videatur, ſe occupent. 3. Ut, ſicut Formica ſuos labores & grana ſollicitè conſervat, detruncando, ne germinent: tempore pluviæ abſcondendo, ne madefacta putrefiant: tempore ſereno ea ſoli exponendo; ita & ipſi opera ſua bona pari ſollicitudine cuſtodiant, eaque tum à pluvia vanæ gloriæ defendant; tum ſoli Juſtitiæ per legitimam intentionem exponant. 4. Ut, ſicut Formica tam conſtans eſt in labore, ut etiam in ſilice veſtigia relinquat, ita & ipſi perſeverent in laboribus usque ad finem, ut ſalutem conſequantur. 5. Ut, ſicut formica una alteri ſua grana communicat, ita & ipſi ſua bona ex charitate alii libenter largiantur.

VII. Ex occaſione thematis: *Omnem Mali-* *Eccl. 25.* *tiam docuit otioſitas:* Oſtendatur, quomodo *v. 29.* verè pigritia & otium omnia peccata doceat, diſcurrendo per reliqua ſex peccata Capitalia, & demonſtrando, quomodo 1. Superbiam doceat, dum pigri meliores ſe aliis æſtimant, ſibique ab aliis ſerviri cupiunt. 2. Avaritiam, dum hoc ipſo, quòd laborando propria bona acquirere nolint, aliena appetant. 3. Invidiam, dum de aliorum proſperitate laboribus ſuis parta triſtantur. 4. Gulam, dum Spiritualibus carentes ſolatiis, carnalibus inhiant voluptatibus, & tempus edendo & bibendo fallere conantur. 5. Luxuriam, dum caro ſicut equus otioſus & benepaſtus, laſcivire incipit. 6. Iram, dum graviter ſuccenſent, & indignantur illis, qui ipſos ad laborem & ſaniora conſilia incitare moliuntur, ut verè impleatur in illis, quod olim Chriſtus *Matth. 12.* de immundo Spiritu dixit, quod ſcilicet inveni- *v. 40.* ens domum vacantem aſſumat ſecum ſeptem alios Spiritus nequiores ſe.

§. XIV.

MISCELLANEA.

Fuga.

I. S. Chryſoſtomus reſponſionem conſiderat, *S. Chryſ.* quam Chriſtus duobus fratribus ſibi per- *ho. de pe-* quam dilectis tunc dedit, quando per matrem *tit. Fil. Zebed.* ſuam primas, in regno ſuo, ſedes poſtularunt; ajebat enim: *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quaſi diceret: laboribus coronas propono, & laboribus honores, & præmia ſudori. Hæc apud me commendatio valet maximè, quæ ab operum exhibitione promanat; videsne, non fruſtra dixiſſe, nec ipſius eſſe, nec Patris, ſed eorum, qui decertant, labores exantlant, & moleſtiis conflictantur? vides, fieri non poſſe, ut ex illis, qui otioſi ſunt, ac deſides, & ſupini jacent, ullus aliquando ſalvus fiat?

II. Conſiderandus eſt, inquit Joſephus *Manſi.* Manſi, textus ille ſponſæ, quando dixit: *Ego* *diſc. 7. n. 6.* *dormio;*

dormio; vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi, soror mea. Anima enim ista obdormierat, id est, negligenter & tepidè vivebat, quàm proindè sponsus cœlestis à socordiæ suæ somno excitare volens, fortiter inclamavit, suasque inspirationes immisit, animæ quoque fores, ut aperiret, pulsavit, ut iis apertis liberum ad cor aditum acciperet; Motiva verò aperiendi hæc adduxit: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* At verò quid inter se commune habent ros, & invitatio, qua sponsus dilectum suam à pigritiæ somno expergefacere satagit? Responderi quidem posset, Christum hisce verbis innuere voluisse, quòd ejus tepiditas totidem spinis suum transfigeret caput, quot erant transgressiones veniales, per guttas roris denotatæ, quia etiam hæ culpæ, quando sunt deliberatè & voluntariè commissæ, ei displicent. Aptiùs tamen ad præsens propositum nostrum respondemus, quòd scilicet per hunc rorem pigritia & acedia denotetur: quia sicut ros non nisi cœlo sereno, & sub aëre temperato, id est, non nimis calido, nec excessivè frigido stillare solet, ita ros tepiditatis non descendit in animam, nec in caloribus majoribus, id est, in fervore spiritûs, nec pariter tempore rigidissimi frigoris, scilicet quando est tribulata & tentata, sed tunc vel maximè stillat, quando se cœlo sereno gratiæ frui censet, & quasi securam se reputat: ex hac namque securitate præsumptionem quandam concipiens, fervore charitatis & devotionis relaxatur. Hic ros mysticus caput Christi, ut ita dicam, offendit, & ideò lamentatur, dicens: *Quia caput meum plenum est rore &c.* Imò hic dolor stomacho pariter communicari videtur, dum eidem vomitum causat, & nauseam, *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Ibid. disc. 11. n. 4. & 5.

III. Inter omnes alios antiqui Testamenti Heroës, duo fuerunt illustrissimi, atque adeò à Deo in cœlo & in terra, præ aliis sublimati; Ambo enim primi sunt in Genealogia unigeniti Filii sui: Liber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham. Ambo quoque fuerunt præ cunctis aliis generis humani accepti & privilegiati, eò quòd maximopere in ejus obsequio ferventes se probarunt. Vix enim Abraham à Deo vocatus fuerat, dicente: *Egredere de terra tua, & de cognatione tuâ, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi*, cùm ecce sine ulla dilatione egressus est, sicut præceperat ei Dominus. Quando in Mambre juxta limen tabernaculi sedebat, iners & otiosus videri potuisset, maximè cùm tempus meridianum esset, quo homines dormire solent; At verò ut S. Ambrosius bene observat, ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie, quando alii requiescebant, ipse hospitum explorabat adventum. Et paulò post subjungit: studium hospitalitatis studiosissimè requirebat. Non otiosus sedet, qui longè aspicit, nec aspexisse contentus, cucurrit obviam. Festinavit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures, quod facias. Festinanter manducare Pascha lex jubet; uberiores enim fructus habet celerata devotio. Disce, quam impiger esse debeas. Sed & David ardentissimum se Dei amatorem ostendendo, Dei sibi cor lucratus fuit, juxta illud: *Inveni hominem secundum cor meum.*

IV. Zacharias Propheta Dei, de adventu Filii Dei, Messiæ promissi, inquit: *Ecce ego adducam servum meum orientem.* Et in cap. 6. ejusdem Prophetiæ pariter inquit: *Ecce vir oriens nomen ejus.* At verò dic sodes, si nosti, cur Propheta Messiam venturum potius orientis quàm occidentis nomine appellat, maximè cùm eo fine venerit, ut Mundum moriendo redimat? Respondetur, Prophetam dicere velle, quòd Messias, tanquam verus sol justitiæ, in horizonte hujus vitæ mortalis, velut sol quidam, claráque lux promicaturus sit, quæ semper crescit, & adaugetur, usque ad meridiem: Quasi lux splendens procedit, & crescit, &c. Unde Christum, ad nostram doctrinam, videri debeat, quasi crescere in sapientia & ætate, & gratiâ, id est, ut S. Bernardus declarat, secundùm quod apparebat, intelligendum est (à principio enim perfectus, à principio plenus fuit spiritus sapientiæ) ad instructionem fidelium, qui in perfectione & spiritu semper crescere debent. S. Paulus Philippensibus sensum, quem de semetipso habuit, his verbis exponit: *Fratres, ego non arbitror, me comprehendisse. Unum autem, quæ retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis DEI in Christo JEsu.* Quincunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.

Idem disc. 12. n. 1.

V. Ecclesiasticus aptâ quadam similitudine distinctionem declarat, quæ est inter illum, qui semper in spiritu proficit, & inter alium, qui contentus est remanere in eo statu, in quo est, nec ulteriùs proficere desiderat; dicit igitur: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Sol autem, ut in principio diximus, quando ab oriente oritur, & exsurgit, semper altiùs & altiùs ascendit; suòsque luminosos radios diffundit; luna autem, quando luminosissima est, tunc declinat, & deficit. Et ideo Ecclesiasticus appellat illam *luminare, quod minuitur in consummatione.* Hæc autem est multorum spiritualium ingens stultitia, quod postquam ad eminentes virtutis gradus pervenerunt, jam se securos esse existiment, quod amplius non deficient, nec retrocedent, & ideo ibi sistunt, & in præcedentibus fervoribus intepescunt, donec omnimoda sequatur spiritualis vitæ nausea. Hi autem, qui tales sunt, insignem illam S. Bernardi in epistola quadam traditam ascultent doctrinam, dicentis; quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle perficere, deficere est, ubi ergò sunt, qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse meliores; quàm Patres nostri? O Monache, non vis proficere? Non vis ergo deficere? Nequaquàm. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. *Eccl. 2. 27.* *S. Bern. Ep. 253.*

Manſi diſc. 12. n. 11. VI. Inter alios antiquæ legis ritus, quibus Deus ab electo populo ſuo honorari, colique volebat, non infimus ille eſt, quo juſſit ſuper tabernaculi menſam duodecim perpetim aſſervari panes. Quos propoſitionis panes appellatos, calidos eſſe, omnique die renovari per duodecim alios pariter calidos ſubſtitutos præcepit. Meritò admiramini decretum; nunquid enim Deus ille, qui de ſe ipſo atteſtatur, inquiens: *Ego ſum panis vivus*, nunquid ille, inquam, hujusmodi indigebat alimento. Minimè quidem; ſed figurativè panes illi duodecim, totidem ſignificabant tribus populi Hebræi, qui inter omnes Mundi nationes unius veri Dei lumen poſſidebat, eique debitum præſtabat obſequium. Per illam igitur duodecim panes calidos habentem menſam denotabat Dominus, quòd populum Hebræum ſuo in cultu ferventem eſſe vellet, neutiquam frigidum aut pigrum; Hosque ipſos panes quotidie renovari voluit, ut ſcilicet indeſinenter bona nobis propoſita renovanda, noſque ipſos ad multiplicata virtutum & perfectionis exercitia absque ulla defatigatione, aut tepiditate excitandos eſſe doceremur, eam imitaturi amoris divini ſponſam, quæ animæ electæ figura, nunquam deſcendens, aut ſubſiſtens, ſed ſemper aſcendens exhibetur; de ea namque dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit &c. Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum, &c.* Quæ omnia verba profectûs, progreſſûs, & incrementi ſpiritualis ſunt expreſſiva. Inde eſsè eam ad exemplum noſtrum inſecutus eſt Apoſtolus, qui de ſe ipſo veraciter gloriabatur: *Sic curro, non quaſi in incertum.* Ideòque Auguſtinus hoc ſalutari nos omnes munit conſilio, dicens: Nemo dicat; ſufficit, juſtus ſum; Ubi dixerit; ſufficit, inhæſit. Attende Apoſtolum, cui non ſufficit. Ille currit, tu hæſiſti? Ille dicit, ſe nondum perfectum, tu de perfectione gloriaris? Id quod S. Bernardus in quadam epiſtola pariter nobis inculcare nititur, dum ita ſcribit: Nemo quippe perfectus, qui perfectior eſſe non appetit, & in eo quippe perfectiorem ſe probat, quòd ad majorem tendit perfectionem.

In theatro. vit. hum. 2. Ignavia. VII. Democritus aliquando interrogatus: Quâ re induſtrii ab inertibus differrent? reſpondit: Qua impii à piis, ſpe nimirum bonâ; laboribus quippe incumbens, ſuæ induſtriæ ſperat præmium ampliſſimum; ignavus autem deſperans, nullam habet bonorum futurorum ſpem, qua fulciatur. Homo etenim piger, & iners meritò timere debet, ne tanquam palea in æternum & inextinguibilem conjiciatur inferni ignem, juxta illud: *Paleas comburet igne inextinguibili.*

Bellov. diſc. 3. ſpec. VIII. Bellovacenſis factum quoddam refert curioſum, quod contigit cuidam, qui in ſuis agriculturæ laboribus ſocors & negligens, & conſequenter ad paupertatem redactus erat; Hic etenim ad vetulam quandam, quæ apud omnes venefica audiebat, acceſſit, ab eadem exploraturus, unde mala ejus ſors derivaretur, quæ quotidie de malo in pejus abibat, ab eâque aliquod ad conciliandam ſibi rerum ſuarum proſperitatem remedium popoſcit. Illa circumſpiciens eum, notavit illum multâ oppreſſum pigritiâ, & dixit: Quòd manè ſurgeret, & attenderet, quid primùm ei dicerent hirundines, aut cornices, cùm primò ſurgerent; ſimiliter hoc idem attenderet, cùm ſerò iret cubitum, & ad eam rediret, & dicta harum avium referret; quod cùm attendiſſet, rediens ait, quòd voces dictarum audierat, ſed non intellexerat, quid vellent ei dicere, vel quid garritus earum ſignificaret? Tunc illa ait: dixerunt tibi, ſi intellexiſſes: Cuba tardè, & ſurge citò, & diſcurre pro cibo, & habebis bladam in ſacco. Si non dixerunt hoc tibi verbo, dixerunt tamen exemplo ſuo, quia ejusmodi aves manè ſurgunt, & totâ die diſcurrunt, & per multum laborem ſibi neceſſaria acquirunt; unde & tu fac ſimiliter.

IX. Jeremias Propheta orbi fatalem ſtragem, calamitoſamque ruinam indè potiſſimùm illatam affirmat, quòd officii ſui obligationes obiter tantùm, ac perfunctorie aſpexit: levibusque paſſibus momenta ſuorum debitorum pertranſiit: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde:* ait ille c. 12. v. 11. Unum hoc totam in rudera detraxit terram, quòd non fuerit, qui fixis cogitationibus penſaret, quàm multis & magnis modis Deo ſervire obligati omnes eſſent. Notandum in his, quanto cum myſterio Propheta terræ appellatione donet hominem, qui non reddit fructum, quem debet Domino, cui tam magnum in modum eſt obnoxius; Quænam præcipua cauſa ſit, quòd terra non ſatis fructificat, neque reſpondet exſpectationi ejus, qui tritici ſemina illi credidit? Ea nempe, quòd nec aratro, quantùm par, ſubjicitur, nec vomere ſatis proſcinditur, ac perſtringitur, ut exſurgere in culmos grana, atque in ſpicas explicare ſeſe poſſint. Nam ut benè dicendi Magiſter Hiſpanus Quintilianus lib. 10, c. 3. ait, terra altè effoſſa generandis, alendiſque ſeminibus fœcundior eſt. Quæ verò leviter ſolùm, & ſecundùm ſuperficiem, tantùm tenuiter rumpitur, raditurque magis, quàm ſulcatur, ea ſeminis jacturam facit, & dominum ſuum ſuo labore defraudat, ſudoremque illius plerumque lædit, & laſſitudinem fruſtratur, ad hunc modum *vitio hominum fit*, inquit Jeremias: *quòd terra vaſtetur, quia nullus eſt, qui recogitet corde*, aratrum meditationis non penetrat terram pectoris, obligationum ſuarum momenta nemo ſatis expendit, nec quisquam eſt, qui animum, ut debet, advertat ad ſtatum, cui ſe conſecravit. Quid enim non à ſe obtineret homo, ſi altiùs ſeipſum ſcrutaretur? *Did. Nyſſ. p. 1. polit. c. 6.*

X. Propheta regius de Hebræis dixit: *Quemadmodum Patres eorum converſi ſunt in arcum pravum*, Pſal. 77. 57. hoc eſt, non degenerâ- runt improbi illi, & perfidi à majoribus ſuis, ſed pro eorum more & pravi arcûs ſolenni, ad malitiam ſunt converſi. Quid voluit iis verbis indicare Propheta? Sanctus Bruno ſit exponit illum verſum Davidicum: Arcus pravus, cùm priùs intenditur, aliquantulum ejicit, poſtea verò paulatim remittendo ex toto deficit. Sic *Idem in vit. Abrah. l. 1. c. 6.*

& ipsi priùs in præceptis Dei valde intensi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto defecerunt. Vitiosus arcus cùm jaculum unum, alterùmve ejecit, prorsum dissolvitur, ut nullus sit illius deinceps ad explosionem usus : sic & Hebræi olim, & hodie Christiani plurimi sunt, fueruntque arcus pravi, qui cùm initio essent firmi, & validi, postea fiunt laxi & ignavi, & oscitabundi ac remissi. Quantâ sæpe asperitate macerant aliqui carnes suas inter prima virtutis Rudimenta? quàm acriter mortificant suas passiones! quàm crebrò adeunt Sacramenta ! quàm sunt observantes silentii ! quàm amantes latebrarum, & recessûs ! at quàm citò hæc omnia intercidunt ! quàm facilè desistunt ! communis hæc multorum est infelicitas: priùs in præceptis Dei valde intensi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto deficiunt.

Damnum.

Manſi disc. 15. num. 7.

XI. Vita nostra stationi bellicæ assimilatur à Propheta dicente : *Militia est vita hominis super terram*; quæcunque autem vel minima negligentia, & oscitantia sufficiens est, quæ nos prædam constituat inimici, multásque ei conciliet victorias; ideoque Vegetius hanc fusiùs prosequens materiam, tale posteris reliquit documentum : Multa sunt discenda atque observanda pugnantibus, siquidem nulla sit negligentiæ venia, ubi de salute certatur. De æterna animæ nostræ salute negotiamur; ideoque qualiscunque etiam minima circa ejusdem assecurationem admissa negligentia, si denique in gravia peccata desinat, pœnis castigatur æternis.

S. Antonius Pad. S. infra oct. Nat.

XII. DEUS olim cùm Hebræorum populo omnium primogenitorum oblationem, tam de hominibus, quàm de animalibus faciendam præcepisset, ab hac oblatione solum Asini primogenitum excipit dicens : *Primogenitum asini mutabis ove.* Sed quonam id mysterio factum fuisse putas? certè non alio, quàm quia asinus pigerrimum est jumentum, ideoque tardum habens gressum, ad properandum non nisi sude & fuste adigitur. Audiamus hac de re S. Antonium de Padua in sermone quodam ita loquentem : *In asino semper reperitur torpor negligentiæ, quæ est sentina omnium vitiorum* ; Unde dicitur asinus, quasi alta sinens ; torpor enim negligentiæ non alta concedere, sed per plana semper vult ire ; unde Gen. 22. dixit Abraham ad pueros suos: *Exspectate hîc cum asino.* Pueri sunt pueriles & carnales affectus, qui exspectant cum asinino torpore & tarditate.

Manſi disc. 3. n. 8.

XIII. Nusquam constat, quòd Israëlitæ in Ægypto genua sua coram Idolis flexerint, vel murmurationibus & detractionibus suis justitiam Dei exasperaverint, præterquam in deserto ubi cum mulieribus Madianitarum inverecundè fornicati sunt, aliisque enormibus excessibus sese commaculârunt, in quorum condignum supplicium Deus illos per quadraginta annos velut vagabundos oberrare, & circuire justè voluit; at verò undenam ortum suum habuit hæc in Israëlitis tam notabilis diversitas & alteratio, maximè cùm potiùs in Ægypto omnem debuissent addidicisse impietatem, ubi nil nisi impia quotidie videbant exempla, juxta illud : *Cum perverso perverteris.* Pro resolutione observandum est, quòd paulò antè ex mente Psalmistæ diximus : *Operti sunt iniquitate & impietate suâ, quia in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*: Contrariorum enim est eadem disciplina. Cùm igitur in itinere ad terram promissionis, necquicquam laboraverint, sed inerti otio dediti fuerint, cujus in Ægypto contrarium faciebant, indè consecutum fuit, quòd se à tædio vinci permiserint. Locutus est contra Dominum & Moysen, cujus unica hæc causa fuit, quia tædere cœpit populum itineris & laboris. Mox enim ut hoc rerum divinarum fastidium, & nausea apud hominem locum habere incipit, lingua in murmurationes laxatur, & cor ad omnem concupiscentiam & effrænem appetitum sese pandit, nec ullum est vitium, quod non sectetur.

Idem disc. 4. n. 1.

XIV. Quis Mysticum Prophetæ Evangelici non obstupescat calamum, dum Luciferum potiùs in Aquilonis lateribus, quam in quacunque alia re repræsentat ? *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* ? ventus aquilonaris frigus geluque importat, ideoque pigritiæ & algoris in divino servitio prædominantis est symbolum ; hoc autem vitium Pulcherrimum Angelorum in naufragium & barathrum conjecit abyssi infernalis; sedere namque volebat acediosus, nec quidquam gratiis donisque cooperari Altissimi ; Ideo enim præsumptuosè dicebat: *Sedebo.*

Idem n. 2.

XV. Non sine mysterio spiritus infernales à Christo licentiam postulârunt ingrediendi Gerasenorum immundissimos porcos ; Porci enim hominum pigrorum & desidiosorum sunt symbolum, siquidem ad nihil aliud attendunt, quàm ad se per continuam voracitatem saginandos, absque eo, quòd ullum præstent laborem, & luto ac sordibus immersi gaudeant; Ita pariter spiritus immundi in hominibus acediosis, commoditatibus vitæ, otio, ac pigritiæ deditis, omne suum gaudium positum habent.

Ibidem.

XVI. S. Job infernalis hujus monstri, quod Behemoth vocat, cautè aliquando vestigia sectatus, ubinam delitesceret, suumque haberet diverticulum, se assecutum fuisse probat. Dum ait: *Sub umbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus, protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.* Quæ ultima verba admiratione non carent, potiùs enim credidissem, ipsum superbiâ suâ (per quam gloriatus fuerat, dicendo : *super astra conscendam, similis ero Altissimo*) exstimulatum, potiùs ambivisse circumdari cedris libani, vel palmis Cades, vel platanis, quæ sunt trans Jordanem, quàm salicibus torrentis; Hi enim genus quoddam sunt arborum sterilium & infructuosarum ; Cur igitur salicibus torrentis diabolus circumdatus esse dicitur ? Nimirum salices, arundines, & junci, qui in stagnantibus nascuntur paludibus, verum sunt pigrorum & negligentium symbolum, à quibus dæmon, tanquam ab obsequiosissimis servis suis cir-

circumdatur. Audiamus hac de re Dionysium Carthusianum ita scribentem: per quod insinuatur, quòd diabolus in hominibus otiosis, & voluptuosis mansionem sibi constituit in secretis concupiscentiarum latibulis, qui homines contra labores pœnitentiales, & æstus pugnarum, quibus adversus humanæ salutis hostes pugnatur, umbras carnalium deliciarum, & refrigeria pausationis accidiosæ optant, & amplectuntur, ita quòd umbra super umbram oritur eis, de quibus cantatur in Psalmo 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum &c.* Denique cùm sint arbores infructuosæ, per quas homines vitiosi à bonis operibus steriles designantur, omnes Diabolo se adjungunt, & eum quasi circumdant.

S. Anton. Pad. in Dem. 3. Quad.

XVII. Amalecitæ impetum fecerunt à parte Australi in Siceleg, & percusserunt, & incenderunt eam igni, & captivas duxerunt mulierculas ex ea, à minimo usque ad magnum 1. Reg. 30. Amalec interpretantur lingentem animarum, id est, compunctionem lachrymarum lingere & devorare cupiunt. Isti à parte Australi Siceleg invadunt. Auster est ventus tepidus, de quo Job. 6. *considerate semitas Theman, itinera Sabba.* Theman interpretatur Auster tepidus. Hæa est fluxa & otiosa conversatio vivendi, per quam tentat diabolus: nam cùm spiritus immundus domum invenerit remissam, & otio vacantem, intrat in eam. S. Ephrem inquit: *Si acciderit, fratrem aliquem ad monasticam ac solitariam vitam quacunque occasione venire, & non se vigilantem præbuerit, protinus & è vestigio devorabit eum diabolus.* Paulò pòst verò modum insinuat, quo diabolus accediæ venenum animæ infundit, dicit enim: Infert inimicus dæmon cogitationem accediæ: Hodie otiabor (ita intra se Religiosus loquitur) ut paululum me ipsum reficiam, & cras opus meum prosequar, faciamque duorum dierum opus. Interea in otio versatur. Postero die honestatis hostis dæmon vehementiorem fratri circumfundit accediam, quàm die præcedenti, in memoriam ipsi præteritum revocans diem atque præsentem.

Manse disc. 6. n. 4.

XVIII. Apud S. Lucam cap. 12. recensetur, quid diviti illi evenerit, qui abundantem collegerat messem, pro cujus custodia granaria amplicare coactus erat: Cogitabat intra se dicens: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Et dixit: *hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi.* Dum autem hæc diceret, ab Æternæ & Primæ veritatis ore emanantem terribilem hanc audivit vocem: *Stulte, hâc nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Circa quam parabolicam historiam quærendum venit, quanam in re miser & infelix hic homo deliquerit, siquidem non videtur ulla in ea culpa, quòd præcavere voluerit, ne perirent, aut marcescerent sub aperto aëre fructus, grana, vel aliæ similes segetes, quas Deus illi dederat, cur igitur non poterat nova erigere ædificia, quando illa non nisi propriis sumptibus fabricare intendebat? Sed ecce tibi errorem manifestum, ob quem merebatur, ut in ejus perniciem ira de cœlo descenderet, nimirum, determinaverat in corde suo vitam deinceps transigere otiosam, socordem, & desidem: Unde ait: *Quiesce, bibe, & epulare.*

Cajetanus inc. 19. Gen.

XIX. Compassione utique dignus est casus ille terribilis, qui ex dispositione DEI, qui omnia fecit, uxori Loth accidisse legitur. Etenim manserat hæc in Sodoma tot annis illæsa, vivens, & irreprehensibilis, Angelos hospitio exceperat, simulque cum Loth & filiabus suis infame ex decreto divino effugerat incendium, quando ecce gradientem ira oppressit divina, & versa est in statuam salis; quæ tanti tamque, severi supplicii causa? Respondebitis utique, ei cœlitùs inhibitum fuisse, ne retrò oculos convertens flammas aspiceret; quo spreto mandato, respiciens post se, versa est in statuam salis. Hujusmodi quidem legem etiam fuisse non nego, sed eam soli Loth intimatam astruo, conformiter ad sacrum textum inquientem: Locuti sunt ad eum dicentes: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum.* Et interim in eodem capitulo de Abrahamo traditur, quòd intuitus est Sodomam: Quare igitur infelix illa mulier, dum retrò respexit, talem in se concitavit vindictam divinam? Pigritiam segnitiemque præfigurabat animæ, quæ ex Sodomæ incendio, id est, è peccati, æternæque mortis periculis egressa est, ut ad perfectionis montem gradiatur, passus autem non modò promovet lentos, sed potiùs etiam retrocedit, nullo ad divinarum legum transgressionem habito respectu. Describitur mora uxoris Loth (inquit Cajetanus) non solùm tardando gressus ad sequendum Loth, sed etiam vertendo se ad respiciendum; remanebat siquidem post Loth senem, contra mandatum Angeli; sed &, si Josepho creditur, non semel, sed sæpe uxor Loth tardabat, vertendo se. Angelus quidem salutem, evasionemque sponderat, sed qua cum conditione, notetis velim: *Festina, & salvare*; ubi salutem sollicitudini & fervori conjungit, prohibens, ne in procedendo pigra sit, & lenta.

Abulens q. 16. in c. 25. Matth.

XX. Abulensis differentiam, quæ inter prudentes & stultas virgines intercedit, in hæc verba assignat: Verisimilius est, quòd prudentes dormitabant, & non dormiebant: Hoc enim pertinet ad prudentes, nam cùm tenerentur curâ exspectationis sponsi venturi, non poterant dormire profundè, quin cura eas excitaret, sed dormitabant, id est, paululùm & leviter rapiebantur sopore, & statim evigilabant; Fatuæ verò, licet essent in exspectatione sponsi venturi, quasi non esset eis aliqua cura, sine sollicitudine dormiebant, & ideo dormire, & non dormitare dicebantur.

S. Bonav. in diæt. tit. 1. c. 9.

XXI. Comparatur piger ferro, terræ, aquæ, vesti, Scholari negligenti, homini stanti, & non ambulanti. Ferrum, quod non tractatur, citò rubiginatur. Terra, quæ non colitur, malas herbas generat. Aqua, quæ non movetur, citò corrumpitur. Vestis, quæ non portatur, de facili à tinea corroditur. Scholaris negligens, qui non addiscit, de necessitate nihil scit: Homo

mo ſtans, qui non cavet, faciliùs cadit, quàm ille, qui ſemper incedit: ſic acedioſus, qui non exercet ſe in aliquo bono opere, ideo ſuccumbit vitiis, & vincitur.

§. XV.

MISCELLANEA.

Fuga Acediæ.

Nierenb. doctr. aſcet. l. c. 89.

I. CUm quædam Virgo aliquando peteret quid DEO gratiſſimum in Quadrageſima facere poſſet, & quomodo illud tempus ſanctè tranſigere deberet, contigit, ut, dum templum adit, eidem jam appropinquans, in Ecſtaſin rapta immobilis ſtaret videretque clariſſimum lucis globum ex Eccleſia prodire, directumque ad eam, medium ſcindi, luminoſis ad ejus cor radiis conjectis: tam ſubitò eo ipſo in templi angulo, quo ſolebat precari, elatam ſe cerneret, totumque illud jubar in SS. Sacramentum, quod patens aderat, reciperetur, ſimulque vocem Salvatoris illa audiret clariſſimè dicentem: Totus labor tibi, tota utilitas proximo, tota gloria mihi. Contigit hoc autem in domo Profeſſa Poletana.

Salvatoris.

Spec. Ex. d. 2. ex. 142.

II. Abbas Silvanus, cùm quidam Frater alios operantes videret, & diceret ſeni: Nolite operari cibum, qui perit, Maria optimam partem elegit: Illum cum aliis Fratribus neque ad menſam vocavit, cauſamque rogatus ab eo dixit: Tu Spiritualis es homo, & non indiges corporeo cibo. Cùm ergò ille errorem ſuum agnoſceret, dixit ei iterum ſenex: Puto, opus habet omnino Maria Marthâ, per Martham enim Maria laudatur.

Drexel. in Rhetor. l. 1. c. 4. §. 2.

III. Veteri Apologo fertur Ruſticus cum curru & Bobus in luto altiùs hæſiſſe. Ubi cùm gemeret, & Herculis opem imploraret, adfuit Hercules, & hominem increpans dixit: Abi, manus admove, boves urge, currum promove: ita Dii aderunt vocati, & juvabunt: pigros non juvant.

In prato ſpir. c. 130.

IV. Joannes Moſchus refert; quòd Abbas Athanaſius audierit Choros laudantium Deum, cumque ipſe etiam vellet ad eos ingredi, audierit: Nemo hoc ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitatem ſeculi.

Faber con. 2. in Sept. num. 1.

V. Alexander Magnus dicere ſolebat: Regium eſt laborare: Servile eſt otio & luxu vacare.

Ibidem.

VI. Alphonſus Rex reprehenſus ab aliquo, quòd manibus laboraret, dixit: Nunquid Deus & Natura Regibus fruſtra manus dedêre? Idem de quovis homine dici poteſt.

Ibid. n. 2.

VII. Septuaginta Interpretes ad Sententiam illam Salomonis Prov. 6. Vade ad Formicam, ô piger &c. etiam hanc addunt: Vade ad Apem, & diſce quomodo operaria eſt: Operationem quoque quàm venerabilem facit.

S. Hier. in 6. Galat.

VIII. Titus Veſpaſiani Filius cùm quâdam nocte recordaretur in cœna, ſe nihil boni eâ die feciſſe, ad Amicos converſus dixit: Hodie diem perdidi.

In Ep. ad Pollionem.

IX. M. Aurelius Imperator dicere ſolebat, ſolam illam Regionem felicem meritò dicendam eſſe, ubi ſinguli proprio labore fruuntur, & nemo de labore ac ſudore alieno vivit.

X. Demetrius interrogatus, quomodo otioſi à laborioſis differrent? Reſpondit, quo pacto impii à piis, ſpe nimirum bona. Sperant quippe qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia: deſides autem ſemper præſentem intuentur paupertatem.

Polyanth. v. Labor. f. 634.

XI. Idem conſpicatus Juvenem valde induſtrium dixit illi: Perge Adoleſcens, nam optimum ſenectuti condis obſonium.

Ibidem.

XII. Diogenes cuidam monenti, ut in ſenectute quieſceret, dixit: Quid? ſi in Stadio currerem, & metæ jam propè vicinus eſſem, num oporteret curſum remittere? & non magis intendere?

Laert. l. 6.

XIII. Ariſtoteles dicere ſolebat, Artium, & laborum radices quidem eſſe amaras, ſed fructus dulces.

Ibid. l. 5. c. 5.

XIV. Severus Imper. Militum Tribuno Symbolum dari juſſit: *Laboremus*; oſtendens hoc pacto, quantopere Acediam fugiendam judicaret.

Langius in Polyant. v. Labor in fine.

XV. Ruſticus quidam moriturus, ut filios ad laboris amorem, & fugam Acediæ incitaret, ad ſe convocatis dixit, ſe omnem, quam in eorum bonum comparſerat, pecuniam in vinea abſcondiſſe. Quare eo mortuo, Filii arbitrati, Theſaurum in vinea latere; hunc quidem non invenerunt, ſed uberem laboris fructum tulerunt.

Æſopus.

XVI. Rectè canit Claudianus:

In Nuptiis Honorii.

Non quisquam fruitur Veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos,
Armat ſpina roſas, mella legunt Apes,
Herculem duri celebrant labores.
Ite nunc fortes ubi celſa magni
Duxit Exempli via.

Damna Acediæ.

XVII. Quæritur Ægyſtus quare ſit factus Adulter?

Ovid. l. de remed. amor.

In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

XVIII. Pediculi cùm à Pulicibus invitati ad pinguis Hominis opiparas epulas, avidiùs prædulcem ſuccum exſugerent, ille hoc morſu concitatus inimicum inveſtagavit, & quia Pediculi tardiùs reptabant, necavit, pulices verò, quia ſaltu inſidias illius fruſtrati fuerant, ſalvos dimiſit. Sic nempe inertiâ Facultates, Exiſtimatio, ipſaque vita amittitur.

Æſop. fab. 382.

XIX. Otium & Reges ſimul, & beatas perdidit Urbes.

Catullus ad Caſſium.

XX. Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & ſine luce faces.

Ovid. de Amor.

XXI. Cernis ut ignavum corrumpat otia corpus?
Ut capiant vitium, nî moveantur aquæ?

Idem 1. Pont. 6.

XXII. Quo te cunque die nil ſancti egiſſe putabis,
Hunc tibi, vel penitus diſperiiſſe puta.
Ita nec in minimis ponas diſpendia damnis,
Ære poteſt nullo vel breve tempus emi.

Pictorius in Epigr.

XXIII. Si tibi perpetuæ, vigil eſt ô cura Salutis,
Otia perpetuo delicioſa cave.
Hoſtis apricantem quoties videt inferus hoſtem,
Semper victrici currit ad arma manu.
Sed timet implicitum manuumve, pedumve labore,
Aut mentis vigili ſollicitæ ſtudio.

Idem.

Pontan. p. 1. Attic. Bellar. XXIV. Uxor pigra cùm ob otium à viro graviter multata objiceret, se injuriâ verberari, cùm nihil fecerit; responsum accepit à Marito, hâc ipsa de causa verberari quod nihil fecisset.

Pontan. p. 2. Bellar. XXV. Nux, Asinus, Campana, Piger sine verbere cessant,
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet.
Sed simul ut ferri plagam sensêre, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

§. XVI.

ADAGIA.

Buchlerus V. Otium. Ib. V. Desidia. I. UT mala devites, aliquid fac, otia vites,
Otia dant vitia.
II. O mihi præteritos referat si Jupiter annos,
Seria nimis stultæ est cantio desidiæ.

Floril. p. 4. Ibidem. III. Faule Leut haben gern viel Feyertag.
IV. Faule Leut haben allzeit lange Tag.
V. Faul Fleisch vvæchst gern.
VI. Faulkeit aller Laster Sæugam und Mutter.
VII. Faulkeit lohnt mit Armuth.

§. XVII.

AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum, tr. 7. per novem lectiones.
II. Joannes Busæus in Panario. V. Acedia & Pigritia, & Tepiditas.
III. Philippus D Outreman in Pædagogo Christiano p. 1. c. 7. §. 8.
IV. Jacobus Alvarez tom. 2. l. 1. p. 2. c. 13.
V. Bernardinus Rosignolius l. 2. de disciplina Christ. c. 18.
VI. Cassianus l. 10. de Instit. renunc.
VII. Henricus Engelgrave p. 2. Lucis Evang. Dom. Septuag.
VIII. Matthias Faber Conc. 2. in Septuag.
IX. Petrus Canisius p. 3. §. 9. f. 147.
X. Thomas Stapletonus text. 5. in Dom. Sept.
XI. Josephus Mansi in Biblioth. morali tract.

TITULUS V.

ADULATIO.

I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

1.

S. Thom. 2. 2. q. 111. a. 1. S. Aug. sup. Psalm. EST, juxta S. Thomam Excessus in aliis delectandis, verbo vel facto commissus. Vel juxta S. Augustinum, est facta cum fallaci laude seductio.

Divisio.

II. Dividitur à S. Thoma in *mortalem* & *venialem*. Mortalis est, quando quis vel de peccato mortali laudat alterum; vel ut graviter ei noceat in corpore vel anima. Venialis est, cùm exceditur in laude alterius ex sola aviditate delectandi, vel boni alicujus consequendi, vel mali cujuspiam evitandi, idque sine alterius gravi detrimento contingit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Jer. 9. v. 8. I. IN ore suo pacem loquitur cum Amico suo, & occultè ponit ei insidias

Osea 7. v. 3. II. In malitia sua lætificaverunt Regem, & mendaciis suis Principes.

Prov. 11. v. 9. III. Simulator ore decipit Amicum suum.

Ibid. 29. v. 5. IV. Homo, qui fictis, blandisque sermonibus loquitur Amico suo, rete expandit gressibus ejus.

Ib. 17. v. 6. V. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.

Fuga.

Prov. 1. v. 10. VI. Fili mi, si te lactaverint Peccatores, ne acquiescas eis.

Ps. 140. v. 5. VII. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum.

Damnum.

Prov. 17. v. 15. VIII. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud DEUM.

Jer. 9. v. 8. IX. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locutum est, in ore suo pacem cum Amico loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea.

Prov. 24. v. 24. X. Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi.

Ezech. 13. v. 18. XI. Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Hieron. l. 1. cont. Pelag. I. PROprièHæreticorum est, adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones subvertunt corda innocentium. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio pulchreque apud Philosophos definitur blandus inimicus.

S. Chrys. ho. 2. de David & Saul. II. Collaudare delinquentes longè plus est, quod ad supplicii pertinet æstimationem, quàm delinquere, idque jure optimo, eò quòd hoc sus-

ſuffragium proficiſcatur ab animo planè corrupto, & inſanabili morbo laborante, ſiquidem is, qui, dum peccat, condemnat interim peccatum ſuum, poterit aliquando ad ſe redire; at qui laudat malitiam, is ſe privavit curatione, quam adfert pœnitentia.

S. Greg. l. 30. mor. c. 20. III. Adulatio omnibus applaudit, omnibus ſalve dicit, prodigos vocat liberales, avaros ait eſſe parcos, & ad rem attentos: Laſcivos appellat urbanos, & aulicos: obſtinatis & pervicacibus conſtantiæ titulum aſſignat.

S. Aug. comm. in Pſal. 140. IV. Falſa laus adulatio eſt, falſa laus Adulatoris, hoc eſt oleum Peccatoris. Propterea & Homines, cùm falsâ laude aliquem irriſerint, hoc etiam de illo dicunt: Unxi illi caput.

Idem in Pſal. 119. V. Tales mendacia diligunt, veritatis deſtructores, odiorum inventores, Satanæ Mediatores, Dei Perſecutores, Fratres Diaboli. Vos verò, Fratres, ſi verberamini à lingua doloſa, humili & tranquillo animo dicite: Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

S. Greg. l. 4. mor. c. 15. VI. Mortui mortuos ſepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim eſt aliud peccare, quàm occumbere? & ſepelire, quàm abſcondere? ſed qui peccantem laudibus proſequuntur, extinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondunt.

S. Greg. ſup. Ezech. hom. 11. VII. Quiſquis malè viventibus adulatur pulvillum ſub capite jacentis ponit, ut, qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fultus laude quieſcat.

S. Bern. ſup. Cant. VIII. Qui de amore non venit honor, non honor, ſed adulatio eſt.

Caſſian. ſup. pſalm. IX. Oleum peccatoris, eſt dilectio ſimulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis noſtras mentes (velut olei pinguedo) libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potiùs oſtentationis perducit.

Alan. de compunct. natur. X. Quid adulationis unctio, niſi donorum emunctio? quid commendationis alluſio, niſi Prælatorum deluſio? quid laudis arriſio, niſi eorundem deriſio?

Ibid. XI. Adulatores à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam, amplo diſſenſionis intervallo diffibulant. Plerumque enim exteriùs plauſibiliter applaudendo collaudant, quos interiùs contradictoria deluſione defraudant. Foris vultu applaudunt virgineo, intus ſcorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempeſtates.

Fuga.

S. Hieron. in Epiſt. ad Ruſt. XII. Ne credas tuis adulatoribus, qui, cum te adulationibus foverint, aſini auriculas poſt te agitant, aut ciconiarum colla curvant, aut æſtuantis canis protendunt linguam.

S. Chryſoſt. hom. 49. in Matth. XIII. Non retineas Amicos menſæ magis, quàm amicitiæ cupidos: qui enim tales ſunt, ſi delicias detraxeris, illi quoque amicitias diſſolvent.

S. Aug. in ep. 17. ad Demetr. XIV. Beata mens, quæ perfectè hoc vitium vincit, nec adulatur aliquando, nec adulatori credit, quæ nec decipit alterum, nec ipſa decipitur.

Damnum.

S. Bern. ſ. 63. in Cant XV. Peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minùs adulator blandus.

S. Chryſ. apud. Drex. p. 1. Phaeth. c. 3. §. 3. XVI. Hoc eſt cauſa omnium malorum, hoc eſt, quod virtutem maximè evertit, quod retardat, ac reprimit ſtudium multorum ad ea, quæ ſunt honeſta: quando non ſolùm non reprehendunt aliqui, ſed etiam una cum iis, qui peccant, ſe oblectant, eiſque gratulantur.

S. Auguſt. in ſentent. 137. XVII. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur.

Idem in Pſal. 59. XVIII. Duo ſunt genera Perſecutorum, ſcilicet vituperantium & laudantium; ſed plùs perſequitur lingua adulatoris, quàm manus perſequentis.

S. Hieron. ep. 14. XIX. In multis iſto maximè tempore regnat hoc vitium, quodque eſt graviſſimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur: eò fit, ut, qui adulari neſcit, aut invidus, aut ſuperbus putetur.

§. IV.
EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga.

S. Hieron. in Math. I. CHriſtus, teſte S. Hieronymo, etſi pauperrimus, nullo tamen adulari voluit, ideò in urbe hoſpitium reperire non potuit, foris illud quærere debuit apud pecudes.

Æneas Silvius l. 1. comm. II. Sigiſmundus Imperator unè Proceribus nimias laudes in ſe congerenti colaphum impegit, dixitque: cur me mordes adulator?

Drex p. 1. Phaeton. c. 1. §. 3. III. Sed & Ladislaus Rex Polonorum ſimili caſtigatione Adulatores caſtigavit, cauſamque rogatus reſpondit: Ego percutientes me repercutio.

Ibid. IV. Carolus Quintus Pariſiis publica oratione laudatus oratori reſpondit: Grata mihi eſt affinis Regis in me benevolentia, ſed laudes tuæ, non qualis ſim, ſed qualis eſſe debeam, me docent.

Damnum.

Joſeph. l. 9. ant. c. 8. V. Herodes Agrippa, cùm à Tyriis & Sidoniis apud quos perorârat, adulatoriè exclamatum audiviſſet: *Dei voces, & non hominis*; & hâc aſſentatione elatus, honorem Divinum admiſiſſet, ab Angelo Domini viſcerum dolore ac putrefactione percuſſus dixit: En ego ille veſtra appellatione Deus vitam relinquere jubeor, fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium, & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior.

Fab. conc. 1. in Dom. 22. poſt Pent. VI. Juſtinianus Imperator, alioqui ſagaciſſimus, quia Triboniano Juris conſulto cum aſſentatione dicenti, ipſum non moriturum, ſed corpore, animaque ad cœlos migraturum; credidit, & inde turgidior factus eſt, in hæreſin poſtea prolapſus miſerè periit.

Ibid. n. 20. VII. Pariſiis os cloacæ oſtenditur in quâ ſe peliri ſe juſſit quidam, quem ſerò pœnituit mali conſilii, & adulationis. Cùm enim Regem propter anguſtiam rei pecuniariæ triſtem & ſollicitum videns, ei ſuaſiſſet, ut ex minimis rebus à ruſtica turba in urbem importatis, unum, alterumve obulum per biennium duntaxat, exigeret, Regem autem felici ſucceſſu conſilii comperto,

perto, plures & graviores exactiones, atque in longius tempus facere adverteret, nec avertere ampliùs posset, præ tristitia & desperatione mortuus, in cloacam illam, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliri voluit, ut hâc ratione & de seipso pœnam inconsulti consilii & adulationis sumeret, & alios, ne in idem vitium inciderent, admoneret.

§. V.
EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Ib. n. 1. I. CLisophus tantus Philippi Regis Macedonum assentator fuit, ut cum eodem exoculato & ipse oculo fasciis obligato prodiret, & cum claudicante claudicare inciperet. Si quem acrem cibum Rex ori admoveret, etiam ipsum vultum contraheret, quasi pariter acrimoniam sentiret.

Ibid n. 2. II. Nicesias Alexandri Magni assentator, cum Rex à musca se compunctum quereretur, ideoq; velut sibi molestas alias quoque muscas abigeret, aliis, profectò muscis, ait, hæ longè præstantiores ac strenuiores futuræ sunt, ut quæ tam generosum sanguinem gustârint. Idem cum Alexandrum sumpto medicamento cruciari torminibus videret, quid, inquit, ô Rex, nobis fiet, quando vos Deos tormenta premunt?

Ibid. n. 6. III. Antiochus Rex Asiæ, cum mutatâ veste regiâ, cervum insecutus à via abertâsset, & in casam pauperum divertens, quærensque quid de Rege homines dicerent; audivisset, Regem quidem esse virum bonum, sed pravis Consiliariis stipatum, quique seria regni negotia ob insanum venandi studium postponeret: manè convolantibus iterum ad se Aulicis dixit, Heri demum veritatem se intellexisse, nec à quoquam illorum ab eo tempore, quo ipsi servirent, liberiorem vocem audivisse.

Fuga.

Ibid. IV. Alexander Magnus Philosophum quendam, quo antea familiariter utebatur, à suo consortio hâc unâ de causa removet, quod nunquam Regem objurgaret: si enim inquiebat, mala, quæ facio, non intelligit, insipiens est: si intelligit, & non arguit, est malevolus adulator, utrovis nomine dignus, qui à regia familiaritate planè arceatur.

Drex. in Phaet p. 1. c. 1. §. 3. V. Idem, cum Austobulus de rebus ejus gestis librum scripsisset, multaque supra fidem conficta, coram ipso in navigatione recitaret, è manibus ei librum rapuit, & in Hydaspem fluvium projecit dicens: Te sic mergere deberem, tu hoc balneo dignior esses.

Ibid. §. 4. VI. Cum Antipater è Phocione iniquum aliquid jure amicitiæ peteret, respondit Phocion: Non potes, ô Antipater, Phocionem & amicum habere, & adulatorem.

Ibid. VII. Cum Aristippus Diogenem olus in fonte lavantem videns dixisset: Si Diogenes vellet uti Regibus, ista non esset; respondit Diogenes: si tu ista comedere velles, Dionysio non adulareris, malleque homo esse, quàm regius canis.

Fab l c. n 3. VIII. Augustus Imperator ludos spectans, pronunciante Mimo: ô Dominum æquum & bonum! mox adulationem populi applaudentis manu vultuque suppressit, & sequenti die edicto vetuit, se Dominum appellari.

Ib. n. 10. IX. Agesilaus Lacedæmoniorum Princeps intelligens, Thasios sibi templa, divinosque honores decrevisse ob beneficia ipsis præstita, quæsivit è Legatis, an Civitas eorum posset homines in Deos convertere? cumque illi affirmarent, agite, inquit, vos ipsos primùm Deos facite, eo facto credam vobis, posse me quoque à vobis in Deum mutari.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Ib. exord. I. SIcut canicidæ dissimulantes & blandè incedentes, subdolè jaciunt laqueum, & collis canum induunt; ita Adulatores blando sermone sese insinuantes, incautos illaqueant homines.

Ib. n. 1. II. Sicut umbra, quidquid agis, imitatur; ita Adulator quocunque te vertas, sequitur.

Ibid. III. Sicut Heliotropium se cum Sole circumagit, noctu verò velut desiderio Solis contrahit florem; sic Gnathones se per omnia Principibus accommodant, ubi verò se eisdem displicere viderint, tristitiâ contabescunt.

Ibid. IV. Sicut Chamæleontes omnium rerum, quas coram vident, colores induunt, ac mutant cum iisdem, solum rubrum & candidum non assumentes; ita Adulatores se omnium moribus conformant, solum animi candorem ac sinceritatem, & rubrum colorem erubescentiæ respuentes, juxta illud Alciati: Et solùm mores imitatur Principis atros albi & pudici nescius.

Ibid. n 5. V. Sicut specula intuentium imagines repræsentant inverso ordine; quæ dextra sunt, sinistra: quæ orientem spectant, ad occidentem spectantia; ita Adulatores, quos voce commendant, corde vituperant: quos in faciem laudant, à tergo rident, præsentibus benevoli, absentibus infensi.

Ib. n. 5. VI. Sicut Meretriculæ bona omnia præter mentem Amatoribus suis imprecantur; ita Adulatores iis, quibuscum agunt.

Ib. n. 7. VII. Sicut Cervicalia & pulvilli videntur capitibus incumbentium reniti, & tamen cedunt potiùs, seque accommodant; sic Adulator, licet fucatam dicendi libertatem assumat, & quædam carpere videatur, revera tamen magis se insinuat, & reprehensionem in laudem vertit, quò fortiùs eum irretiat.

Ib. n. 10. VIII. Sicut pediculi corpora extincta deserunt statim, atque sanguis, quo alebantur, evanuit; & sicut vermes triticum nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint; sic Adulatores, quamdiu substantia illius, cui adhærent, salva est, manent; hâc perditâ ipsi quoque discedunt.

Drex. p 1. Phaet. c. 1. §. 2. IX. Sicut paupertini fidicines quærere solent, quod choreuma Dominis placeat; ita Adulatores omni horâ serviunt auribus.

Damnum.

Plin. l. 11. c. 19. X. Sicut oleo perunctæ muscæ aut formicæ moriuntur; ita Principes assentatione & obsequio Palponum in exitium trahuntur, & ipsi trahunt rempublicam.

XI. Si-

Drex. l.c. §. 3. XI. Sicut Lupi titillando & scalpendo Asinos, prædam sibi eos faciunt; sic Assentatores in perniciem intenti, blanditiis & mendaciis se insinuant, ut eam corrumpant.

Fab, l.c. n.4. XII. Sicut ancillæ infantibus servientes agitant cunas, & cantum adhibent, ut infantem sopiant; sic Adulatores maligno suo cantu in profundum peccati soporem præcipitant Peccatorem.

§. VII.
ASCETICA.

I. DUo sunt, quæ circa hoc vitium specialiter notare debet Asceta. Primum est, ut certò sibi persuadeat, nihil adeò adversari scopo, quem Asceta præfixum habere debet, quàm hoc vitium; cum enim præcipuus Ascetæ finis & studium eò duntaxat tendere debeat, ut DEO soli placeat, ejusque gratiam possideat, facilè apparet, quantopere ab hoc suo scopo aberraret si per adulationis vitium hominum sibi favorem, gratiamque conaretur conciliare. Hinc sapienter quidam Asceta dixit: Non decet subditum, ut Superiorum (quantò minùs aliorum?) favores ambiat. Qui enim ab his amari velit, debet etiam placere velle; quantæ autem hinc adulationes & simulationes sequentur? sin contraria incurras indicia, quis erit turbationum & offensionum modus? Universorum Domino placere, & ab eo diligi velle oportet, hominum de nobis sensa errabundè vagantur aliorum invidiam creant, ac plurimùm à spiritualis prospectûs libertate impediunt. Securè incedit, qui nunquam sibi amore digna adscribit.

S. Greg. l. 18. mor. c. 5. II. Alterum est, ut solidum sciat modum etiam se ab aliorum adulationibus innoxium conservandi; quem quidem solidè docuit S. Gregorius sic loquens: Inter verba laudantium sive vituperantium, ad mentem semper recurrendum est: & si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, & conscientia liberos nos demonstret? habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Job quoque dixit: Ecce in cœlo testis meus.

§. VIII.
MISCELLANEA.

Qualitas.

Sen. ep. 27. I. QUidam apud Senecam dicebat, Adulatores Dominorum suorum esse Arrisores, arrosores, & quod his duobus conjunctum est, derisores.

Drex. p. 11. Phaet. c. 1. §. 1. II. Cùm Alphonsi Regis in Siciliam navigantis Navem Gaviæ aves circumvolitarent, dicebat Rex ad suos: Sicut Aves istæ tam officiosæ non sunt, ut hunc nobis honorem deferant, sed ut aliquid escarum projiciamus, quâ obtentâ mox avolabunt; ita aliqui ex meis tamdiu mihi serviunt, quamdiu munera exspectant; his obtentis obsequio se subducunt.

Ibid. III. Alanus Adulatores, Palatinos canes vocabat, quos pulchrè describens Hugo Victorinus ait: Adulator est amicus in officio, hostis in animo: comptus in verbo, turpis in facto; lætus ad prospera, fragilis inter adversa: inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria: immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta.

Damnum.

IV. Pernicioſa adulatio perpetuum Regum malum est, quorum opes sæpius, quàm hostes evertit. *Curt. l. 8.*

V. Plato Adulatorem vocabat bestiam humano generi pestilentem, similem venefico, imò impuro dæmoni, qui animos incautos funestis epulis fovet, & sordibus noxiis inquinat. Item Præstigiatori, qui judicium & rationem aliis eripiat. *Apud Fab. conc. 1. in Dom. 22. post Pent.*

VI. Plutarchus Adulatores appellare solebat *Patriæ & Virtutis inimicos.* Epictetus *corvos*, ut qui perinde viventium animos excæcent, ac corvi mortuorum oculos effodiunt. Antisthenes *meretrices.* Anaxilaus *opum vermes.* Constantinus Magnus *tineas & sorices.* *Ibid.*

VII. Crates eos, qui cum Adulatoribus vivunt, ajebat, non aliter esse desertos, quàm vituli sunt inter lupos. Neque enim illos adesse, quos oportet; neque cum iis, qui adsunt, habere Societatem, cum sint insidiatores. *Laert. l 6. c. 5.*

VIII. Pastor quidam cani oves suas custodiendas dederat, ideoque optimis pascebat cibis. Quia tamen his non contentus canis, etiam oves devoravit; Pastor eum occidere voluit. Quod advertens canis dicebat ad illum; Quid me, qui unus ex domesticis tuis sum, perdere cupis, & non potius ovibus tuis constanter insidiantem lupum interimis? at respondit Pastor: Hâc ipsâ tu magis, quàm lupus morte dignus es, nam hic palàm se meum & ovium hostem profitetur; tu verò sub amicitiæ specie quotidie imminuis gregem. *Langius in Polyanth. V. eod.*

IX. Cum Leo quondam graviter febricitaret, ideoque eum in hara fœtida procumbentem reliquæ bestiæ visitarent, ex singulis quæsivit, num fœtoris quid persentiscerent? ad quam quæstionem, cum ursus veritatem dicere volens, respondisset, intolerabilem se fœtorem sentire, vix ungues Leonis indignantis evasit. Lupus verò hanc indignationem effugere volens, omnia fragrantius, quàm balsamum olere dixit, ideoque ut falsus Adulator à Leone discerptus est, unde vulpes priorum damno resipiscens respondit, se gravi catarrho laborare, atque adeò vim discernendi odores amisisse. Quo astu Leonis iram evasit. *Æsopus & Herodot. l. 3.*

X. Bias interrogatus, quod animal esset omnium ferociſſimum, & noxium? respondit: si de feris percunctaris, Tyrannus: si de mitibus, Adulator. *Tympius c. 1. mensæ conviv. q. 5.*

XI. Non malè cecinit Seneca: Omne sub regno graviore regnum est: quia licet omnes Reges & Principes Populis suis imperent, ipsi ab Adulatoribus viciſſim reguntur. *Ibid. q. 1.*

§. IX.
AUTHORES.

I. Matthias Faber conc. 1. in Dom. 22. post Pent.
II. Hieremias Drex. in Phaëthonte p. 1. c. 1. 2. & 3.
III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.
IV. Josephus Laugius in Polyanthæa. V. eodem.

TITULUS VI.

ADULTERIUM.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. *Thom.* 2. 2. *q.* 154. *a.* 8.

EST illicitus concubitus conjugati vel conjugatæ, juxta S. Thomam; vel juxta alios, alieni thori violatio. Et dicitur adulterium, quasi ad alienum thorum accessio, uti Gelasius Papa ait.

Q. 6. *q.* 1. *c. Lex illa.*

Divisio.

II. Dividitur in *Simplex*, cum scilicet alter ex concumbentibus est tantùm conjugatus; & *Duplex*, cum uterque illorum matrimonio illigatus est.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. 23. *v.* 32. I. SIc & omnis mulier relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio; primò enim incredibilis fuit in lege Altissimi: secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro Filios statuit sibi.

Osea 7. *v.* 4. II. Omnes adulteri, quasi clibanus succensus à coquente.

Prov. 6. *v.* 30. III. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam; deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domûs suæ tradet: qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.

Fuga.

Tob. 4. *v.* 13. IV. Attende tibi, Fili mi, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

Damnum.

1. *Cor.* 6. *v.* 9. V. Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt.

Prov. 22. *v.* 14. VI. Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.

Job. 31. *v.* 11. VII. Hoc nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

Prov. 6. *v.* 33. VIII. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

Sap. 3. *v.* 16. IX. Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Etsi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima Senectus illorum. Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem; nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Eccl. 23. *v.* 34. X. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in Filios ejus respicietur, non tradent Filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.

Gen. 26. *v.* 21. XI. Si quis tetigerit hominis uxorem, morte moriatur.

Heb. 13. *v.* 4. XII. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros judicabit Dominus.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

Clemens Pont. apud March. tr. 4. *lect.* 9. *prop.* 1. I. QUid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundum enim in pœnis tenèt locum, & in prohibitionibus quidem homicidio assimilatur adulterium.

Fuga.

S. Aug. tr. 48. *de verb. Domin.* II. Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas invenire, tales & ipsæ inveniant vos. Quis vivens est, qui non castam velit ducere uxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes.

Idem ac decem chordis. III. Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter uxorem tuam: tu autem exigis hoc ab uxore, & non vis reddere uxori? cum debeas in virtute præcedere uxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem esse, & tu victus jaces? & cùm tu caput uxoris sis, præcedit te ad Deum, cujus caput es, Vis tuam domum capite pendere deorsum? caput enim mulieris vir est; ubi autem meliùs vivit mulier, quàm vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, meliùs debet vivere, quàm mulier, & præcedere in omnibus factis uxorem suam.

S. Ambros. l. de Abrah. c. 2. IV. Nemo alienum affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, nec longiore Mariti absentiâ provocetur. Adest Præsul conjugii DEUS, quem nihil latet, nullus evadet. Nemo irrideat vicem absentis Mariti, servat excubias Deus, imò sine excubiis deprehendet reum, antequam faciat. In animis singulorum crimen agnoscit, & si Maritum fefelleris, eum non falles; si Maritum evaseris & Judicem, non evades Judicem totius Mundi. Ille graviùs ulciscitur injuriam inopis, contumeliam Mariti imprudentis; major est enim injuria Authorem, quàm Custodem thalami spreviſſe, & non considerâsse.

Damnum.

S. Chrys. in ps. 7. V. Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad umbram contremiscens, ad nullũ liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, & qui sciunt, & qui nesciunt, acutos videns gladios, impendentes

lictо-

lictores, judicia. In dolore ſemper eſt adulter, etiam in tenebris.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Gen. c. 39. I. JOſeph caſtiſſimus ſollicitatus ab uxore Potipharis ad adulterium, fugit, pallio in manibus ejus relicto.

Dan. 13. II. Suſanna maluit cum ſumma ignominia mortem oppetere abſque peccato, quàm adulterii crimen committendo cum ſenibus, nullius apud homines peccati inſimulari.

Marchant. tr. 4. in hort. Paſt. lect. 9. prop. 1. III. B. Genovefa Ducis Brabantiæ Filia, cùm diſcedente Siffrido Romani Imperii Palatino, Marito ſuo, commiſſa Goloni militi, & ab hoc nequicquam ad adulterium ſollicitata fuiſſet, apud redeuntem dein Maritum à Golone velut thori violati rea accuſata, & in fluvium cum infante præcipitari juſſa eſt. Sed à Famulis in ſilva deſerta, opeque B. Virginis, cui ſe ſpecialiter commendârat, ſex annis, totidemque menſibus ſervata tandem à Marito inter venationem inventa, agnita, magnoque gaudio in thalamum denuo recepta eſt.

Ibid. IV. Matrona quædam Chriſtiana, cùm Maxentius Tyrannus uxores Chriſtianas paſſim violaret, & ipſa quoque jam ad eundem abducenda eſſet, exiguum temporis ſpatium petiit, ut corpus decenti veſtitu ornaret. Et tum cubiculum ingreſſa gladio pectus transfodit, ſtatimque mortua concidit.

Baron. 998. & Laur. Betr. l. V. adult. f. 125. V. Comes Mutinenſis, cùm ab Othonis III. uxore Maria ad adulterium primò allectus, & dein, quia conſentire noluerat, de oppreſſione violenta etiam accuſatus, ac juſſu Imperatoris decollatus eſſet, uxor illius, Imperatorem in judicio ſedentem ſic allocuta eſt: Ecce caput Mariti mei innocenter occiſi, cum hoc ignem intrabo, & ſi quidem illud mecum illæſum manſerit, argumentum id innocentiæ Mariti mei erit; ſin verò combuſtum fuerit, debitam iterum ſceleris commiſſi pœnam ſubibit. Quo dicto ignem ingreſſa, iterumque incolumis egreſſa, Mariti quidem innocentiam, Imperatricis verò falſitatem & nequitiam probavit, effecitque, ut ipſa quoque in rogum conjecta, debitas ſuorum criminum pœnas lueret.

Ibid. fol. 124. VI. Balduinus Flandriæ Comes, qui & Imperator Bizantinus poſtea fuit, tantopere ab hoc crimine abhorruit, ut quotidie per Præconem edici juſſerit: Nemo in palatio meo pernocta-to, qui alienam conjugem tetigerit.

Damnum.

2. Reg. 12. VII. Davidi poſt adulterium cum Bethſabea commiſſum, juſſu DEI dixit Nathan Propheta: Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eò quòd deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut eſſet uxor tua. Sed & Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.

Jud. 19. & 20. VIII. Cùm in urbem Gabaa veniſſet Levita alienigena cum uxore ſua, & Gabaonitæ eâdem cum tanta inſolentia abuſi eſſent, ut mortua conciderit, Filii Iſraël tanti ſceleris enormitate concitati, arma ſumpſerunt adverſus Filios Benjamin, urbeque ſuccenſa, viginti quinque millia ex illis occiderunt.

March. tr. 4. lect. 9. prop. 2. ex S. Damian. IX. In Parmenſi oppido cùm vicinus quidam Maritum ſummo mane abiiſſe cognoſceret, ad uxoris illius lectum in tenebris acceſſit, ſeque Maritum ſimulans cum eadem congreſſus eſt. Quod ubi Maritus rediens cognovit, cum conjuge ſua, quæ & ipſa deluſam ſe videns graviter dolebat, templum ingreſſus, multis lacrymis ſuum & uxoris caſum enarravit, quod dum facit, author ſceleris dæmoniaco Spiritu correptus, pariterque Eccleſiam ingreſſus, tamdiu ſeipſum diſcerpſit, & modò ad terram, modò ad parietem alliſit, quouſque animam exhalavit.

Annua Prov. Peru. Colleg. Chuiquiſe. X. Chuiquiſacæ in agro Peruano vir conjugatus decem totos annos confeſſionis officium intermiſerat, pellici turpiter addictus. Cujus hominis ſtatum ſacerdos Soc. Jeſu cum reſciviſſet, eum ad confeſſionem invitavit, & hujus obeundæ diem dixit. At adulter promiſſi pœnitens tempus deſtinatum non obſervavit; quin tota urbe otioſus cùm ad defatigationem vagatus eſſet, domum rediit, cui occurrunt repentè ſex ſimii teterrimo aſpectu, ac minaci, quos ponè ſequens agebat ſqualliduſ homo, facie horrenda, oculis ardentibus, meram ſpirans crudelitatem. E veſtigio juſſit ſimios pallentem, ac pavore contabeſcentem hominem vinculis conſtringere, adſtrictoque acerba verbera infligere; quod liberalius etiam fecerunt, quàm juſſi eſſe videbantur, peſſimeque affectum pro deſperato reliquere. Fortè uxor domo abfuerat, quæ reverſa maritum humi jacentem, imò emorientem offendit, mox confeſſarium evocat: qui protinus advolans, defectum ſenſibus cum reperiſſet, exſpectavit, dum ſe via oſtenderet, quâ juvari poſſet miſer. Redit ſenſus, at linguæ vis loquendi defuit: oculis tantùm omnia tacitus arbitratur, atque attonito ſimilis, ubi eſſet ignarus, ac ſimiorum iterato aſpectu perculſus, quò ſe verteret infelix, non habebat. Conſilium erat beſtiarum infernalium, tantum terroris ac deſperationis incutere homini, ut eo ſtatu animam inquinatiſſimam rectà in Tartarum abripiendam emitteret. Quare ſi quando oculos in crucem attolleret, circumſtantia monſtra atrociſſima quæque miſero minitabantur. Sacerdos interim identidem luſtrali aquâ cubiculum aſperſit; & tandem cùm ſimii usque infeſtarent ægrum, depromptis S. Ignatii reliquiis ejus os ita attigit, ut linguam contigeret, poſtulantibus interim divi ſuffragium circumſtantibus. Secundum has preces flatum æger vehementem pectore emiſit, cujus graveolentia omni mephiti teterior omnes procul abegit. Spiritus hic fœtens ſecum eduxerat vim animum occupantis ſtygii Tyranni, ſed non univerſam: detumuerat lingua, vox redierat, rigebant tamen livida immodicis plagis brachia, ut nec erigi, nec colligi ad crucis ſignum efformandum poſſent. Verum ea iis admota S. Patris lipſana mox colorem ac dein vigorem omnem reſtituerunt. Agnovit adulter ſuæ impietatis, & petulantiæ magnitudinem, proin reſipiſcens,

ſcens, omnem flagitiorum ſentinam per confeſſionem ejecit, vitamque egit puriorem.

§. V.
EXEMPLA PROFANA.

Fuga.

Plutarch. in Regum & Imper. apophteg.

I. CUm ad Alexandrum Magnum quondam femella ducta fuiſſet, ut dormiret cum illo, & hæc interrogata, ubi tamdiu fuiſſet? reſpondiſſet, ſe exſpectâſſe, donec Maritus cubitum iviſſet, Rex Famulos acriter objurgavit dicens: Reducite eam: parùm enim abfuit, ut veſtrâ causâ adulter fierem.

Idem in Lacon.

II. Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes uxores pudicitia, ut, cùm Geradas Nobilis Spartanus rogaretur ab Hoſpite, quas pœnas apud eos adulter daret? reſponderit, nullas pro hoc leges à Lycurgo præſcriptas eſſe, quia nullus apud eos adulter daretur. Cùmque Hoſpes ulteriùs inſtaret: quid ſi autem exiſtat? ſubjecit iterum Geradas: Bovem tantum dabit, ut porrecto ultra Taygetum collo ex Eurota bibat. Dicente autem Hoſpite, id fieri non poſſe, Geradas quoque, quo pacto, ajebat, apud Spartanos adulteri eſſe poſſunt, ubi divitiæ, deliciæ, & corporis adſcititius cultus probro habetur: contra verecundia, modeſtia, ac obedientiæ Magiſtratibus debitæ obſervatio, decori, laudique dantur.

Beyrlinck in theatr. Vadult. p. 122.

III. In Inſula Patana Indiæ Orientalis, tam ſanctè ſervant conjugium, ut ſi quis adulterium commiſiſſe deprehendatur, ad Parentes per virum primarium deductus juguletur ab illis, conſors vero ſimiliter ab iiſdem pugione confodiatur.

Damnum.

Ibid.

IV. Aurelianus Imperator tantopere hoc vitium averſatus eſt, ut militem in adulterio deprehenſum duarum arborum ramis implecti, ſicque per eas diſcerpi voluerit.

March. tr. 4. de carit. lect. 9. prop. 2.

V. Saxones adhuc pagani, Adulteram ſe ſtrangulare cogebant, & ſuper buſtum illius incenſæ & concrematæ adulterum ſuſpendebant.

Ibid.

VI. Ægyptii Adulteris virgis mille ictus infligebant, adulteras verò ad perenne dedecus naſis truncabant.

Ibid.

VII. Cumani Adulteram in foro ridendam exponebant, deinde Aſino per totam urbem circumvehebant, ut tota vita eſſet infamis, nam propter hanc equitationem Onobatis vocabatur.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Fuga.

S. Aug. de thor. conjug.

I. SIcut ſatiùs eſt fame mori, quàm Idolothytis veſci; ita ſatiùs eſt defungi ſine liberis, quàm ex illicito concubitu ſtirpem quærere.

S. Chryſ. de verbis Dom. ho. 3.

II. Sicut Gubernator in portu naufragium faciens, haud quaquam impetraret veniam; ſic nec is, cui conjugium conceſſum eſt, quo lapſum effugiat, ſi aliena ſcrutetur matrimonia, aut quamcunque aliam feminam curioſis ſcrutetur oculis.

Qualitas.

S. Chryſ. ſ. de adult.

III. Sicut quiſque, ſive Regis violaverit uxorem, ſive pauperis, ſive ſervi, pari ratione adulter eſt, cùm peccatum non Perſonarum differentiâ, verùm ex voluntate improba id ſcelus admittentis judicetur; ita & hic, imò magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui ipſam Reginam violaverit; illic enim plurima irritamenta ſunt, puta opes, elegantia, forma, & ejuſmodi, quorum hîc nihil invenitur.

§. VII.
ASCETICA.

I. TRia ferè ſunt, quæ de hoc vitio bene advertere debet Aſceta. Primum eſt, ut gravitatem illius æſtimare diſcat, aliiſque ſimilem æſtimationem ingenerare ſtudeat, quam quidem ex triplici injuria, quam facit, concipere poterit; nam 1. grandem injuriam facit ipſi Sacramento Matrimonii, atque effectui illius, cùm enim hoc Sacramentum ideo inſtitutum ſit, ut ſint duo in carne una, ſicque inſeparabilis unio Chriſti cum Eccleſia ſignificetur; hanc utramque rationem, quantùm in ſe eſt, conatur tollere adulter. 2. Etiam Conjugi alteri gravem injuriam affert; cùm poteſtatem corporis ſui, quam non ipſe, ſed conſors conjugii habet, eidem auferat; unde Marchantius infert, hoc furtum quovis alio furto gravius eſſe; nam in illis aliquid à ſe diſtinctum, in hoc autem ſeipſum, qui factus eſt una caro cum conjuge, eripit. 3. Ipſi etiam juramento, quo publicè in Eccleſia fidem ſibi mutuò dederunt conjuges, injuriam facit; quæ quidem violatio tantò gravior cenſeri debet, quantò digniores ſunt, coram quibus editum eſt hoc juramentum, nempe Chriſtus in Ven. Sacramento exiſtens; Eccleſia, cujus authoritate & imperio, ac approbatione contrahitur: Sacerdos, à quo benedictio impertitur: Baptiſmus, ſuper quo juratur: Cælites, qui velut teſtes & vindices fidei datæ invocantur.

S. Hieron. contra Jovin. l. 1.

II. Secundum eſt, ut bene notet, conjugibusque inculcet memorabilem illam S. Hieronymi ſententiam, dum ait: Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, ex qua honeſta cauſa quis inſaniat. Unde Xiſtus Pythagoricus in ſuis ſententiis ait: Adulter eſt in ſuam uxorem ardentior amator. In aliena quippe uxore omnis amor turpis, in ſua nimius. Sapiens judicio debet amare conjugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum; nihil enim eſt fœdius, quàm uxorem amare ut adulteram. Certè qui dicunt, ſe causâ reipublicæ & generis humani uxoribus conjungi, & Filios procreare, imitentur ſaltem pecudes; & poſtquam venter uxoris intumuerit, non perdant Filios: nec Amatores ſe uxoribus præbeant, ſed Maritos.

III. Tertium eſt, ut ex gravitate Adulterii corporalis colligat ſpiritualis adulterii gravitatem;

tem; cum enim in hoc & Persona, cum qua contrahitur, scilicet ipse DEUS, sit infinities dignior; & ipsa conjunctio, utpote quæ voto firmatur, arctior existat; & causæ recedendi longè minores, cùm quid quid ex amore Creaturæ sperari potest, in Creatore infinities perfectiùs habeatur; facilè apparet, ex omnibus his circumstantiis magnoperè augeri illius gravitatem; atque adeò sicut innocens Conjunx jure separare se potest à thoro Adulteri, ita meritò timendum esse, ne DEUS quoque ejusmodi animam Adulteram deserat tandem auxiliis suis.

§. VIII.
MISCELLANEA.
Qualitas.

Stob. ser. 6. I. SOcrates dicebat, Adulteros perinde facere, ac si quis nolit ex aqua supernè effluente bibere, sed ex illa, quæ in fundo, & deterior est.

Franc. II. Adulteri maximam invidiam contrahunt, & non modò eos, quos lacessunt, in se ultores provocant, verùm Maritos penè omnes, qui eandem contumeliam & injuriam formidant. *Patric. l. 4. de regno.*

III. Optimum medium pro adulterio vitando præscripsit Plautus, dum cecinit: *Plautus in Sticho.*

Bonas mulieres æquum est facere, ut absentes viros
Perinde habeant, quasi præsentes sint.

§. IX.
AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum cr. 4. de Charitate.

II. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

III. Matthias Faber conc. 4. in Dom. 2. post Epiph.

IV. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eod.

V. Joannes Major in Magno Speculo exempl. V. eodem.

VI. Antonius Dauroltius in Catechismo historiali. c. 3. tit. 103.

TITULUS VII.
ÆTERNITAS.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.
Definitio.

I.

Boet. l. 5. de consol. pros. 6. EST juxta Boëtium, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Juxta Cornelium à Lapide, Circulus in se recurrens, cujus centrum *semper*; circumferentia *nusquam* est. Juxta Drexelium, *orbis* undique rotundus, in quo nec principium, nec finis est: *Rota*, quæ semper volvitur, & volvetur in omne volubilis ævum: *Annus* jugiter revolutus, qui, ubi moritur & occidit, ibi & renascitur, rursumque oritur: *Fons jugis*, in quo per mæandros aquæ ad suam semper refluunt originem, ut iterum fluant: *Labyrinthus* innumeris se gyris intorquens, qui ingressos perpetuò circumducit: Et *Anguis* orbiculatim in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit: Est *duratio* semper præsens, & unum perpetuum *hodie*, quod nunquam transit in præteritum aut futurum: Est *principium* sine principio, sine medio, sine fine. Est juxta S. Dionysium, *ævum ævorum*, quod non interit, sed eodem semper modo se habet.

Drexel. conf. 1. de ætern.

S. Dionys. c. 10. de div. nomin.

Divisio.

Matth. 25. v. 46. II. Dividitur in æternitatem *Beatorum*, & *Damnatorum*: de quibus Christus apud S. Matthæum dixit: & ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

§. II.
EX S. SCRIPTURA:
Veritas.

I. Ibit homo in domum æternitatis suæ; & circuibunt in platea plangentes. *Eccles. 12. v. 3.*

II. Ipsi gloria nunc, & in diem æternitatis. *2. Petr. 3. v. 18.*

Æternitas Beatorum.

III. Circumdabit te DEUS diploide justitiæ & imponet mitram capiti honoris æterni. *Baruch. 5. v. 2.*

IV. Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam æternam in cælis. *2. Cor. 5. v. 1.*

V. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan. 12. v. 3.*

VI. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. *Joan. 6. v. 40.*

VII. Quæ seminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. *Gal. 6. v. 8.*

Æternitas Damnatorum.

VIII. Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Matth. 25. v. 41.*

IX. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. *Deut. 32. v. 22.*

X. Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. *2. Thess. 1. v. 9.*

XI. An-

Jud. v. 6. XI. Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Utilitas
Æternitatis Conſideratæ.

S. Bern. ep. 3. I. Æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria.

S. Aug. apud Drex. conſid. 6. de atern. II. Melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus.

S. Chryſ. ho. 20. ad pop. III. Si quis intra centum annos unâ ſolùm nocte ſuave, lætumque ſomnium vidiſſet, & centenis ob id annis puniretur, an appetendum hoc ſomnium foret? quod autem eſt ſomnium ad centum annos, hoc eſt præſens vita ad futuram, imò multò minùs, & quod eſt gutta ad pelagus, hoc anni mille ſunt ad futuram æternitatem.

S. Aug. in pſ. 36. IV. Quid appendis cum infinito quantumque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, ſi dicendum eſt, millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparati non poſſunt.

Hugo in prov. 31. V. Digiti ejus apprehenderunt fuſum, hoc eſt, rectitudinem intentionis, per quam electi omnia opera, quaſi fila in orbem æternitatis retorquent.

Rich. de vict. de ſtat. inter. hom. VI. Quis tam inſenſatæ, tamque obſtinatæ mentis homo uſpiam poterit inveniri, qui non expaveſcat, & omnino abhorreat, tranſitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari? ſi diligenter aſpiciat, indeſinenterque attendat, quàm ſint modica, ſeu etiam momentanea omnia iſta carnis oblectamenta, quæ pertranſeunt: & quàm ſint immania & atrocia tormenta illa æterna, quæ finem non habent, nec habere poſſunt.

S. Hieron. apud Drex. conſid. 6. VII. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.

S. Gregor. l. 8. mor. c. 20. VIII. Viri ſancti præſentis vitæ dies nihil eſſe conſpiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in conſiderationem æternitatis defigunt.

Qualitas.

S. Aug. in Pſal. 145. IX. Nec putes, quia verbis finitis finitur æternitas. Æternitas in verbo quatuor ſyllabis conſtat, in ſe ſine fine eſt.

S. Greg. l. 27. mor. c. 26. X. Cùm homo de æternitate differit, cæcus de luce loquitur.

Nazian. orat. 38. in nativ. Chriſti. XI. Æternitas nec tempus, nec pars ulla temporis eſt.

S. Gregor. l. 11. XII. Vigilanti cura per cuncta opera intentio mentis noſtræ penſanda eſt, ut nihil temporale in his, quæ agit, affectet, ſed totam ſe in ſoliditatem æternitatis figat.

S. Bern. ſ. de SS. Petro & Paulo. XIII. Utinam ſaperent, ut æternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut præſentia moderemur, præterita per intelligentiam dijudicemus, noviſſima provideamus ad cautelam.

§. IV.
EXEMPLA CHRISTIANA.

S. David de ſeipſo fatetur. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. *Pſ. 76. v. 6.*

II. Fulco homo ad Mundi leges factus cùm quâdam nocte dormire non poſſet, cogitare ſecum cœpit: ſi hîc in molli lecto jacenti, abſque alio dolore, tamen tam moleſta eſt cubatio, quantopere cruciabor, ſi in lecto igneo æternùm jacere, & cruciari debebo: itaque per hanc cogitationem immutatus eſt, ut mox ſacræ Ciſtercienſium Congregationi nomen dederit. *Drexel. conſid. 5. de ætern.*

III. Juſtus Lipſius, cùm totis viribus ſe ad inſtantem mortis horam intrepido animo ſubeundam præparâſſet, tandem in hæc ſuſpiria erupit: O Mater DEI, adſis Famulo tuo cum tota æternitate decertanti, & non me deſeras in hac hora, à qua pendet animæ meæ ſalus æterna. *Ibid. conſid. 4.*

IV. S. Auguſtinus aſſiduè precari ſolebat: Domine, hîc ure, hîc ſeca, modò in æternùm parcas. *Idem con. ſid. 5.*

V. Olympius ſenex in Cœnobio Geraſimi quæſitus, quomodo in tam anguſta cavea, tanto æſtu, inter cyniphes & muſcarum examina durare poſſet? reſpondit: Fili, iſta tolero, ut cruciatus illos intolerabiles æternos evadam: cyniphes patior, ut vermem effugiam immortalem: hos æſtus facile eſt perferre ei, qui ignem metuit æternum. Hæc mea, etſi moleſta, tamen brevia ſunt & finem habebunt, illa nullum. *Ibid. conſid. 9.*

VI. Cùm Troilus Epiſcopus hortatu S. Joannis Eleemoſynarii, liberalem eleemoſynam in pauperes diſtribui juſſiſſet, deinde verò pœnitentiâ ductus à S. Joanne eandem pecuniam denuò accepiſſet, paulò pòſt in ſomnis ampliſſimas ædes vidit, & in earum fronte hunc titulum: Manſio æterna, & requies Troili Epiſcopi: quo titulo conſpecto dum vehementer gaudet, ſubitò videt quempiam advenientem, & ſociis dicentem: tollite hanc inſcriptionem, & iſtam ejus loco ſuffigite: Manſio æterna, & requies Joannis Epiſcopi Alexandrini empta libris triginta argenti. Quo ſomnio correctus Troilus, liberalior in pauperes eſſe cœpit. *Ibid. conſid. 1. §. 1.*

VII. Cùm Thomam Morum Aloyſia uxor in carcere viſitans rogaret, ne vitam & bona, quibus longo adhuc tempore frui poſſet, ſibi præcideret, quæſivit ex ea, quot annis putaret, ipſum adhuc vivere poſſe? cumque illa viginti reſponderet, ſubjecit ipſe: næ tu imperita es mercatrix, ô Aloyſia, & quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es, dum æternitatem viginti annis vis commutari. *Staplet. in vit.*

VIII. Alexander Pontifex militi flagitioſo omnem medelam reſpuenti annulum ſuum tradidit, eâ lege geſtandum, ut quoties aſpiceret, imminentis mortis, unde pendet æternitas, recordaretur. Vix paucis diebus geſtârat, & ſupplex ad Alexandri pedes ſe abjecit, atque omni veneno ejecto in novum hominem reformatus eſt. *Engelgr. emol. 1. §. 4. Luc. Evang.*

IX. S. Franciſcus Tirones ſuos identidem *Ibid.*

his

his verbis confirmare solebat: Fratres, magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. Modica hic voluptas, sed postea pœna immensa: modicus hîc labor, sed postea gloria æterna.

Lessl. 4. de perf. c. 4. X. P. Leonardus Lessius S. J. & ipse animo suo æternitatem assiduò volvebat, & alios ad idem faciendum hortabatur, dicere solitus, nullam sibi ad vincendas tentationes ac periculâ peccatorum cavenda efficaciorem cogitationem videri.

§. V.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Pædag. Christ. p. 1. c. 8. §. 9. I. QUidam percommodè æternitatis magnitudinem sic declaravit: Finge, inquiebat, totum cœlum empyreum membrana obductum & meris numeris novenariis inscriptum, quot annos putas his numeris contineri, cùm Clavius demonstret, unitatem cum quinquaginta duabus cifris, seu *nulla*, ut vocant, longè majorem numerum efficere, ac Mundus totus usque ad concavum firmamenti arenulis repletus grana contineret, licèt decem millia talium arenularum globulum grano papaveris æqualem duntaxat conficerent. Si verò cifræ 70. ponantur, numerum arenarum contineret, qui Mundum millies mille millionibus millionum nostro majorem impleret. Et tamen si post tot annos finitos unica arenula tolleretur, necdum quasi initium factum esset æternitati.

Psal. 76. v. 19. II. Rectè dixit Propheta; Etenim sagittæ tuæ (id est, calamitates hujus temporis) transeunt, vox tonitrui tui (quâ dices: Discedite à me maledicti in ignem æternum) in rota.

Utilitas.

Cicer. 3. Tusc. III. Sapienter pronunciavit Tullius: Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque Mundi nota sit magnitudo.

Drex. consid. 4. de æter. IV. Moysi olim præcepit DEUS; Fac tibi duas tubas argenteas ductiles; si semel clanqueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israël; si autem prolixior atque concisus clamor increpuerit, movebunt castra. Duæ hæ tubæ duas voces *nunc* & *semper* significant; qui priorem tantùm audit, non movebit se; sed si posterior auribus ejus insonet, tunc ad iter æternitatis se accinget.

Idem consid. 9. §. 3. V. Zeuxes quæsitus, cur tantâ diligentiâ sua opera pingeret? Respondit: Diu pingo, quia æternitati pingo. Idem facient, qui operum suorum præmium æternum fore credunt.

Ælianus l. 11. hist. c. 21. VI. Ismenias Thebanus ad Regem Persarum Legationis causâ missus, cùm adorare Regem juberetur, annulum in terram labi permisit, seque ad eum tollendum inclinans, in mente dixit: Non tibi, ô Rex, sed annulo me inclinavi. Simili modo, qui æternitatem considerant, in omnibus adversitatibus & humiliationibus dicunt: non tibi, sed annulo æternitatis.

Engelgr. embl. 1. §. 3. VII. Philosophus quidam in extremis constitutus, cùm rogatus fuisset, ut salutare monitum relinqueret, calamum, quia loqui non poterat, arripiens, duo OO pinxit, quod licet varii variè interpretati sint, rectissimè tamen memoriam duplicis æternitatis, miseræ scilicet & felicis significare dicuntur.

Ibid. VIII. P. Christophoro Caro S. J. Christus apparens, hæc pauca animo verba volvere assiduò hortatus est: O æternum! ô momentaneum! ô longum! ô breve!

S. Greg. in Cant. 2. IX. S. Gregorius illa verba: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem: interpretans, quid, ait, per cellam vinariam congruentius, quàm ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? Et certè quicunque cogitationem hanc altiùs in mentem demiserit, gloriari poterit: Ordinavit in me caritatem.

Engelgr. l. c. §. 2. X. S. Theresia cùm horam indicari audisset, dicere solebat: jam unâ horâ vicinior sum Patriæ & æternitati.

§. VI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ps. 76. v. 6. I. EX occasione thematis: *Annos æternos in mente habui:* possunt Auditoribus duo annuli pro Xenio, aut alia occasione offerri, unus ferreus, cui inscriptum sit: *Momentaneum, quod delectat: æternum, quod cruciat:* alter aureus, cui inscriptum sit: *Momentaneum, quod cruciat; æternum, quod delectat.* Et in primis utriusque hujus annuli usus & praxis in prosperis & adversis casibus per aliquot casus ostendatur. Deinde verò etiam fructus hujus usus ostendatur, quod scilicet eorum adminiculo quis *abstinere* & *sustinere* discat (in quibus duobus capitibus tota perfectio & sapientia hominis Christiani consistit) uti tum ratione, tum exemplis facilè probari potest.

Eccl. 12. v. 5. II. Ex occasione thematis: *Ibit Homo in domum æternitatis suæ:* potest narrari Parabola Barlaami de civitate, in qua consuetudo erat, ut Rex non nisi per annum regnaret, postea nudus in exilium expelleretur; quod advertens quidam Rex sapiens, toto illo anno suos thesauros occultè in locum, in quem expellendum se sciebat, præmisit, unde postea expulsus, omnia cum gaudio invenit, ac fruitus est. Applicetur postea Parabola cuivis homini Christiano, atque ad thesauros bonorum operum præmittendos excitetur.

1. Mach. 5. v. 57. III. Ex occasione thematis: *Faciamus & ipsi nobis nomen:* potest narrari, quod supra de Zeuxe dictum est, quòd scilicet ideo tamdiu se pingere dixerit, quia æternitati pingebat: Excitentur proinde Auditores, ut & ipsi firmiter sibi persuadeant, se æternitati laborare, atque adeò cum magna perfectione omnia sua opera perficere studeant. Quod ut tantò alacriùs faciant, ostendatur nominis & præmii æterni, quod sibi per opera sua parare possunt, excellentia & magnitudo.

2. Tim. 4. v. 8. IV. Ex occasione thematis: *Reposita est mihi corona justitiæ:* potest dici, vitam nostram esse similem ludo eorum, qui ad annulum currunt, ubi, qui lanceâ annulū penetrat, & aufert, præmium & laudem acquirit. Dicatur autem hunc

annulum esse æternitatem, lanceam esse considerationem & memoriam, quâ quicunque annulum illum penetrabit, præmium optimæ vitæ in hoc sæculo, & gloriæ in futuro auferet, id quòd facilè copiosius ostendi potest.

§. VII.

AXIOMATA.

I. MOmentaneum, quod delectat: æternum, quod cruciat.
Was wohl thut, wehrt ein kleine Zeit,
Was weh thut, wehrt in Ewigkeit.

II. Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat.
Was weh thut, wehrt ein kleine Zeit,
Was wohl thut, wehrt in Ewigkeit.

S. Bern. apud Engelgr. embl. 1. §. ult.

III. Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.
Sehr gefährlich man alldorten spilt,
Wo es das lange Ewig gilt.

IV. Nil leve, quod æternum est.
Nichts ring, was Ewig.

V. Si vis beatus esse, hoc primùm cogita, æternorum intuitu contemnere, & contemni.

§. VIII.

AUTHORES.

I. JEremias Drexelius de Ætern.
II. Joan. Baptistæ Manni Circulus Æternitatis.
III. Henricus Engelgrave Embl. 1. Lucis Evangel.
IV. Philippus D'Outreman p. 1. c. 8. §. 9.
V. Daniel Bartoli in germanicam linguam ex Italica 1660. versus.

TITULUS VIII.

AMBITIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 131. a. 2.

EST dignitatis & Honoris inordinatus appetitus. Per hoc enim à Superbia differt, quæ est inordinatus appetitus excellentiæ in communi: & à vana gloria, quæ Laudem indebitam immoderatè appetit.

Divisio.

Marchant. in Hort. Past. tuba Sacerd. tr. 1. lect. 5.

II. Dividi potest in *Ecclesiasticam* & *sæcularem*; Illa est, quâ Ecclesiasticæ Dignitates appetuntur, de quâ S. Gregorius locutus est dicens: Sunt nonnulli, qui intra Sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, primas in conventionibus quærunt cathedras. Qui susceptum Curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad hujus humilitatis Magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ista est, quâ Sæculares honorum gradus ambiuntur, qualem appetiit Aman, cupiens, ut quem Rex honorare vellet, veste regali indueretur, equoque regio impositus, & diademate regali coronatus per urbem circumduceretur, Præcone acclamante: Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.

Esth. c. 6. v. 11.

Actus.

Innocent. de vilit. condit. hum.

III. Hos pulchrè in unum cumulum collegit Innocentius, dum dixit: Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus, ne dicat, quod displiceat.

IV. Humilitatem simulat, Honestatem mentitur, Affabilitatem exhibet, Benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, universis inclinat, frequentat Curias, visitat Optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur; ut in Absalone cernere erat.

V. Promptus & fervidus, ubi placere cognoverit: tepidus & remissus, ubi putaverit displicere.

VI. Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat & improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut reputetur ab omnibus, ut à singulis approbetur.

VII. Statim ut ad honorem est promotus, in superbiam extollitur, in Jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem, quia cernit superiorem; priores dedignatur Amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, gravis & importunus.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. NOli quærere ab homine Ducatum, neque à Rege cathedram honoris. *Eccl. 7. v. 4.*

II. Non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo. *Sophon. 3. v. 11.*

III. Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester Minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Matth. 20. v. 26.*

IV. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron. *Hebr. 5. v. 4.*

Damnum Ambitionis.

V. Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata es, sed usque ad Infernum demergeris. *Luc. 10. v. 15.*

VI. Quod hominibus altum est, abominatio est ante DEUM. *Luc. 16. v. 15.*

VII. Elevâsti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè. *Job. 30. v. 22.*

§. III.

§. III.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Petrus Ra. venn. in Serm. I. AMbitio est quædam chimia caritatis; Caritas enim patiens est pro æternis; Ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna est pauperibus, Ambitio divitibus: Caritas omnia suffert pro veritate, Ambitio pro vanitate.

S. Bern. s. 2. in Ascens. II. O perversitas! O abusio Filiorum Adam; quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficiliùs descendunt; parati ad honores & celsitudines Graduum Ecclesiasticorum; ipsis etiam Angelis formidandos.

S. Bern l. 3. de consid. III. O Ambitio ambientium Crux, quomodo omnes torques? omnibus places? nihil acrius cruciat, nihil molestiùs inquietat; nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus.

S. Ambros. l. 3. super Luc. IV. Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit Ambitio criminosos; habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, &, ut dominetur aliis, priùs servit; curvatur obsequio, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit remissior.

S. Cyprian. s. de jejun. V. Etiam in sinu Sacerdotum Ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat.

S. Basil. c. 10. const. Monast. VI. Diabolica pestis est libidinis dominandi labes, quæ proinde insigne est primæ illius diabolicæ pravitatis indicium.

S. Hilarius in c. 3. Matth. VII. Omnis honor sæculi, diaboli est negotium.

S. Bern. S. 4. de Asc. IIX. Quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? quem sequimini miseri homines? an non videtis satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem? nonne est iste mons, in quem ascendit Angelus, & diabolus factus est?

Innocent. III. l. 2. c. 30. IX. Ambitio priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, visum extollit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur.

Idem de cont. mund. c. 3. X. Ambitiosus humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur.

Fuga.

S. Chrys. ho. 2. ad Tit. XI. Non quæramus honores, imò eos, cùm oblati fuerint, repellamus, & abjiciamus à nobis, & hujusmodi concupiscentiam extinguere omnibus modis studeamus: ista nos & ad Principes, & ad subditos dicimus: Anima omnis, quæ honoris tenetur appetitu & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cœlorum regnum: non mea hæc oratio est, à me ipso ista non loquor, hæc verba Dei Spiritus profert.

Idem apud Mansi tr. 3. disc. 13. n. 2. XII. Si noviſſes, quòd Episcopus debet omnium onera gestare, quòd aliis jacentibus datur venia, ipsi verò nequaquam; quòd aliis peccantibus supersit excusatio, ipsi verò minimè, haud quaquam festinâsses ad primatum.

XIII. Ex illo pendent omnium subditorum necessitates, probationes eorum, qui ordinantur, potus sitientium, cibus esurientium, vincti, viduæ, injuriam passi. *Isid. Pelus. Epist. ad Pallad.*

XIV. Episcopus idem est, quod superintendens: ut intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse; nec desiderare Episcopatum æstimandus est, qui suum desiderat lucrum, vel honorem, non plebis salutem; Non enim dicitur: *Qui Episcopatum desiderat*, bonum gradum desiderat, sed *bonum opus desiderat*; quod in majori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. *S. Anselm. in Epist. ad Tim.*

XV. Ut omnem ambitionem Christus discipulorum cordibus eximeret, parvulum in medio eorum statuit, deque primatu certare prohibuit: *Qui major*, inquit, *est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator; nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?* Quis verò ignorat Clericum in medio Ecclesiæ esse, tanquam eum, qui ministrat? Quare meminerimus potiùs officii nostri, quàm dignitatis: neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. Non immeritò S. Hieronymus, ut pestem quandam fugiendos Clericos, ait, qui à speluncis domorum paternarum abstracti, & post in Ecclesia sublimati, ac Sacerdotiis ditati, vanæ gloriæ & superbiæ stimulis efferuntur. *Innoc. III. l. 4. de cont. Mund. c. 35.*

XVI. Pecunias quidem contemnere volenti, satis est facile, honorem autem despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ quidem cujusdam animæ, ipsum cælestis celsitudinis vertiginem tangentis. *S. Chrys. ho. 43. ad Pop.*

Damnum.

XVII. Supplicat, & promittit, offert, tribuit, pro pudor! gratiam, quam gratis adipisci non potuit, per fas, & nefas nititur adipisci, nec desistit adhuc, sed instat, & invadit violenter honorem, & impudenter atripit dignitatem, amicorum suffragio, præsidio propinquorum, tantoque dominationis inflammatur ardore, tantâ libidine præsidendi, ut nec schismata abhorreat, nec scandala formidet. *Innoc. III. l. 1. c. 27.*

XIIX. Hi sunt, qui subesse non sustinent, præesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles: Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi; Hi importuni, ut accipiant, ingrati, ubi acceperint; docuerunt linguam suam grandia loqui, cum opetentur exigua? Largissimi promissores & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, malignissimi proditores. *S. Bern. l. 4. de consid.*

XIX. Potestatis Ambitio Angelum felicitate privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris Ambitio illecebrosa decepit. *S. Bern. in quod. serm.*

XX. Quicunque desideraverit Primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo? & inter servos Christi non computabitur, qui de Primatu tractaverit. *S. Chrys. in dial. l. 3.*

Isid. l. 3. de summ. bon. c. 48. XXI. Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet. Quantò quisque curis mundi majoribus occupatur, tantò faciliùs vitiis premitur; si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quantò minùs occupatione sæculari devinctus.

S. Chrysost. ho. de Absalon. XXII. Ambitio docet, quod Natura non novit: cupit, quod Pietas ipsa horrescit: audet perficere, quod novo supplicio DEUS cogitur vindicare.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

l. 1. n. 4. c. 5. I. VAnitas est, honores ambire, & in altum se extollere.

l. 3. c. 41. n. 6. II. Omnis quidem gloria humana, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuæ comparata vanitas est & stultitia.

l. 3. c. 40. n. 1. III. Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari, & elevari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cœlum, & non contristabit te hominum contemptus in terra.

l. 1. c. 7. n. 3. IV. Non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimùm, si vel uni te præponas.

l. 1. c. 3. n. 6. V. Verè magnus est, qui in te parvus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.

§. V.

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA.

Fuga.

Jo. 6. v. 15. I. CHristus, cùm cognovisset, quòd Populus trans mare Galilææ ob patratum miraculum eum rapere, & Regem facere vellet, mox in montem solus se proripuit.

Joseph. l. 2. antiq. c. 5. II. Moyses, cùm eum adhuc parvulum Thermutis Filia Pharaonis in sinum Pharaonis collocâsset, & Rex blandè excepto diadema suum imposuisset, indignabundus capiti detraxit, ac in terram abjecit; Sed & grandis factus

Hebr. 11. v. 24. negavit, se esse Filium Filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.

Paulinus in ejus Vita. III. S. Ambrosius à Populo & Imperatore Mediolanensi pro Episcopo postulatus, noctu ex urbe aufugit, & cùm Ticinum iter intendisset, non sine miraculo manè se in porta Mediolanensi deprehendit.

Surius in vita 12. Mart. IV. S. Gregorius electus in Pontificem non modò aufugit, sed etiam Imperatorem Mauritium rogavit, ne consentiret electioni. Indicio tamen columnæ igneæ proditus consensit, & primus se in Epistolis Servum Servorum appellavit.

Vall. hist. Lausiac. c. 12. V. S. Malachias omnem locum sublimem velut præcipitium reformidabat, ideòque Episcopatum non priùs suscepit, quàm Episcopi congregati sub Anathemate eum compulerunt.

Vita l. 4. c. 10. VI. S. Dominicus rogatus, cur in Carcassona Diœcesi libentiùs moraretur, quàm in Tolosana, ubi tot Hæreticos converterat, respondit: In Tolosana multos invenio, qui me honorant, in Carcassona verò omnes impugnant.

VII. Adrianus Sextus interrogatus, quod supplicium capitali hosti imprecaretur? Pontificatum, respondit. Hinc tale ei Epitaphium factum est:

Adrianus Sextus
hîc situs est,
Qui nihil sibi infelicius;
Quàm, Quod imperavit,
duxit.

Beyerlinck. Apopht. f. 477. VIII. Leo XI. ad extremum vitæ redactus, Confessario suo in aurem dixit: Quàm melius fuisset mihi, si Monasterii, quàm si cœli claves tenuissem.

Engelgr. Dom. 16. post Pent. §. 2. IX. Paulus III. animam agens sanctè asseverabat: Mallem me subjecisse coco Familiæ Capucinorum, quàm hanc DEO proximam dignitatem decennio sustinuisse.

Manst. disc. 5. n. 7. X. S. Franciscus à Papa interrogatus, an fratres suos ad Prælaturas promoveri æquo animo ferre posset, respondit: Domine, fratres mei, ideo vocati sunt minores, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, quòd fructum faciant in Ecclesia DEI, dimittite eos in statu vocationis eorum, & ad Ecclesiasticas dignitates ascendere nullatenus permittatis.

S. Chrys. l. 6. de sacer. XI. S. Chrysostomus de sua ad Episcopatum promotione ita scripsit: Ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatûs suspicionem hanc injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit.

S. Hier. in reg. Monach. c. 15. XII. S. Hieronymus refert de quodam olim electo Episcopo, quod, priusquam oblatum sibi Episcopatum acceptaret, quendam Patruum suum, qui vitam agebat Eremiticam, accessit, ut cum ipso, an dignitas illa sibi acceptanda esset, consilii causâ deliberaret. Bonus igitur hic Eremicola nepotem suum, quandam proximè vicinam valdè altam & præacutam rupem ascendere jussit, qui postquam consensâ rupe descendisset, senique Eremitæ dixisset, se in eadem rupe in magno fuisse præcipitii horrendi periculo, Sanctus ille Senex subjunxit: Crede mihi, in longè majori periculo constitutus eris, ubi Episcopus factus fueris.

S. Anselm. l. 2. Ep. 1. XIII. S. Anselmus, quo animo Sedem Episcopalem conscenderit, hisce verbis de semetipso testatur: Quod ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, aliique primates ad Ecclesiam trahentes, & contradicentes rapuerunt, ita ut dubium videri posset, utrùm sanum insani, an insanum traherent sani, nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo, quàm viventi colore similis, stupore & dolore pollebam.

Manst. disc. 15. n. 11. XIV. In vita S. Raymundi de Pegnaforte Ordinis Prædicatorum refertur, quòd, cùm Archiepiscopatus Terraconensis, qui tunc Arragoniæ Metropolitanus erat, vacaret, Gregorius IX. ejus familiarissimus eidem præceperit, ut illum inter dies aliquot determinatos acceptaret, ipse verò, cùm Papæ supplicâsset, ne eum gravi hoc onere molestaret, nec tamen Papa in hanc ejus petitionem condescenderet, quin potiùs violentiam majorem ei intenderet, adeò ex hoc afflictus fuit, ut gravi febri correptus

lecto

lecto affigeretur, donec tandem Papa erga infirmantem Raymundum compassione motus, cum ab hoc ei oblato honore liberum pronuntiaret, ex quo gratissimo ad eum transmisso nuntio adeò gavisus fuit, ut præ nimia lætitia immediatè à gravi hac febri liberatus fuerit: ab hoc autem supremo honore acceptando eâ lege & pacto à Papa liberatus fuit, ut ad eandem dignitatem alium pariter dignum nominaret. Demùm verò Author vitæ hujus velut ingens prodigium notat, quòd, cum Raymundus præfato Summo Pontifici longo tempore, meritis & virtutibus Heroicis plenus, in variorum officiorum gravibus functionibus inserviisset, ita tamen cautè omnes honores, eum jure merito expectantes, declinârit, ut in eodem, quo Romam ingressus fuerat, humili statu, ab eâdem quoque almâ urbe recesserit.

lib. n. 12. XV. Nilamon ante civitatem Geras, tugurìolum quoddam inhabitabat, quod adeò firmiter, ne ullus ad eum daretur aditus, occluserat, ut ipsas quoque domûs fores muro obstruxerit: Cùm verò mortuo loci illius Episcopo, populus sanctum hunc virum in defuncti locum elegisset, ipse verò omnibus modis sese ab eo acceptando excusaret, in eademque reluctantia firmus persisteret, Theophilus Alexandrinus ad eum permovendum cunctam eloquentiæ vim, quâ mirè præcellebat, adhibuit, tantumque profecit, ut, cum Sanctus hic monachus se hoc modo ab authoritate & obedientia, quam tanto Prælato debebat, constrictum esse cerneret, instantiam maximam fecerit, ut saltem consecratio sua in diem sequentem usque suspenderetur, ut modico hoc temporis spatio Deo se pro felicibus tanti muneris auspiciis, tantò ferventiùs recommendare posset: Quod ut ei indultum fuit, Sanctus nocte illa tanto cum fervore & desiderio ab illa dignitate liberari petiit, ut illucescente die, cum tugurium dejecto portæ muro apertum fuisset, jamque omnes, & inter cæteros Theophilus magna cum lætitia ad ejus consecrationem accurrissent, ipse subitò exspirârit.

Surius 23. Nov. XVI. De S. Gregorio Episcopo Agrigentino in Sicilia legimus, postquam se à Summo Pontifice sui temporis per instinctum quendam admirabilem in illius civitatis Episcopum electum esse intellexisset, à civitate Agrigenti fugiens, inter condensas arbores se se abscondit, ubi, postquam eum nonnulli, qui ipsum minimè, quis esset, cognoscebant, invenissent, ut eorum, quos sibi insidiari credebat, manus evaderet, clamabat se magnis obnoxium, & obstrictum criminibus: nimirum maluit existimari homo facinorosus, multorumque gravium delictorum reus, quàm salutari Episcopus.

Cornel. à Lap. in c. 11. Num. XVII. Pius V. dicere solitus fuit: Cum essem Religiosus, sperabam bene de salute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui; nunc Pontifex creatus, penè despero.

Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 7. XVIII. Arrius, qui Arrianæ hæreseos caput & author extitit, toto animi conatu in Patriarchali S. Petri Alexandri sede succedere studuit: ita enim de eo refert Tertullianus contra Valentin. c. 4. quod Episcopatum ambiens, quia & ingenio poterat & eloquio, sed aliam ex Martyrii prærogativa loci positum, indignatus, de Ecclesiæ authentica regula abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem.

XIX. Tertullianum, Pamelius scribit, ideò ab Ecclesia defecisse, quod ab Episcopatu Carthaginensi turpem pallus fuerit repulsam. *Ibidem.*

XX. De Novatiano Hæresiarchâ Annales Ecclesiastici pariter attestantur: Ne in Ecclesiâ inglorius haberetur, qui inter Ethnicos magnam fuerat gloriam consecutus, Romanus Pontifex voluit eum inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros cooptare, sed qui semel fuerat ambitionis stimulis agitatus, eò infelix abductus est, ut quod jurè non licuisset, malis sibi artibus, Pontificiam dignitatem procaciter arrogaret. Factus est igitur Antipapa, variosque in divèrsas partes misit legatos, multasque diversis Ecclesiis imposuit commissiones, falsas, fictasque S. Cornelio Papæ opponens calumnias. *Ibidem.*

XXI. Percelebris illa PP. Capucinorum Religio inter alios primos fundatores, qui in eâ instituenda & promovenda graviter laborarunt, Ludovicum quoque habuit de Fossambruno, qui munus Commissarii Generalis multis annis in ea laudabiliter administravit, varioque pro illius reformationis stabilimento sustinuit squallidos carceres, aliasque sine numero injurias: at verò, cum in quodam Capitulo Generali se simularet ex desiderio religiosæ quietis, à munere Commissarii Generalis totaliter alienum, tametsi id interius minimè sentiret, jamque alius in ejus locum electus fuisset, omnem subitò versus superiores suos deposuit obedientiæ respectum, & obedire detrectans, in præsentia omnium fratrum publicè conscenso pulpito, dixit: Ego sum Ludovicus ille de Fossambruno, ego Ludovicus Tanaglia multa hactenus machinatus sum, pluraque machinari prævaleo, & machinabor deinceps quamplurima, ad quorum famam sive rumorem pili capitis vestri erigentur, prout revera postea ab ipso factum est, siquidem multas tandem excitavit in Religione sua seditiones, à qua tandem turpiter & ignominosè expulsus fuit. *Ibid. n. 81.*

Damnum.

XXII. Aman quia honorem à Mardochæo negatum ægrè ferens toti genti Judæorum interitum fuerat molitus, ipse in patibulum quod Mardochæo paraverat, suspensus est. *Esther. c. 7.*

XXIII. Rufinus cum Arcadio Imperatore regnum administrans, quia ipsam imperialem dignitatem sibi arrogare ausus est, caput amisit; quod publico in loco hastæ affixum est, dextera verò illius abscissa per urbem circa opificum officinas circumlata est cum hoc elogio: Date stipem inexplebilis Ambitionis & Avaritiæ viro. *Niceph. l. 13. c. 1.*

XXIV. Absalon ambitione regni impulsus, quia contra proprium Patrem exercitum eduxit, crinibus in arbore suspensus, & triplici lancea à Joab transfossus occubuit. *2. Reg. 18.*

Judic. 9. XXV. Abimelech quia septuaginta Fratres interemit, ut solus regnare posset, miserè postea à Muliere per tegulam capiti impactam percussus lethaliter,& ab Armigero proprio interemtus est.

Lipsius in exc. polit. XXVI. Herodes Judææ Rex ambitione regni retinendi septuaginta Senatores Regiæ stirpis,uxorem Mariamnem, & tres Filios interfici jussit; Moriturus verò nobilissimos quosque ex Judæa ad se evocavit,& circò inclusos omnes à Militibus occidi curavit.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga.

Ribad. l. 5. c. 3. I. S. Ignatius honores summè fugiebat; hinc summopere laboravit, ab initio quidem, ne Generalis fieret,postea verò ut honorem deponere posset. Ob eandem causam etiam omnibus honoribus in Societate aditum præclusit.

Vital. 3. II. S. Franciscus Borgia ideo etiam Societatem,abdicato Ducis titulo, elegit, quod viam honoribus in ea præclusam cerneret. Generalatus verò honorem, sicut coactus suscepit, ita non semel abdicare voluit.

Hist. Soc. p. 21. l. 8. n. 2. III. P. Jacobus Lainez non tantum varios Episcopatus & Cardinalatum, sed etiam Pontificatum, pro quo duodecim jam habebat suffragia reculavit.

Hist. Soc. l. 14. n. 15. IV. P. Joannes Nunnius dicebat, se malle totam vitam in catena transigere,quam Patriarchatum Æthiopicum suscipere; unde non nisi obedientia cogente suscepit.

Vit. Compend. V. P. Andreas Oviedo cum ei Episcopatus Hierosolymitanus nunciatus esset, ita consternatus est,ut statim S. Ignatio scripserit, se in omnibus quidem obediturum, hâc una in re non posse, proin Pontifici scripturum, cujus tamen jussu suscepit munus.

Hist. Soc. l. 6. n. 97. VI. P. Melchior Nunnius dicebat, se, si Professio honorem afferat, libentius coquo coadjutorem futurum; sin verò cruces, acceptu-rum.

Rho. l. 7. c. 10. n. 2. VII. Claudius Jaius, in quem primum è Societate honores incurrêre,primus etiam,& quidem ut hominem ex imperatoria illâ Ignatiana decuria decuit, fortissimè de illis triumphavit. Nec temerè invehebantur honores,verùm magnis suffulti judiciis Ferdinandi I. Cæsaris,Purpuratorum aliquot Patrum, Pontificis demum ipsius, cui Ferdinandi vehementiùs in rem incumbentis gratia,ut sumnio jure,atque pro imperio cum Claudio ageret, propemodum persuaserat. Verùm quamquam undique petitus Claudius, & suâ virtute, & verò etiam Ignatii Romæ ultima omnia moventis,ope stetit incolumis,quamquam, quousque Ignatii litteris de societatis moribus certior factus Ferdinandus ab actione non destitit,minimè tutus.

Ibidem n. 3. VIII. Ab eadem Ferdinandi benevolentia, à qua primo periculum creatum est, iterum Societatis tentata est virtus atque constantia. Etenim Petrus quidem Canisius,quum alia omnia ageret,ingentium virtutum admiratione Ferdinandum eò consilii adduxit, ut illi vacuam pastore Viennensem deferret Ecclesiam, sed quâ se dignum infulis illis ostenderat, eâdem, an etiam aliquanto majore virtute,Ferdinando admirante, atque repulsam æquo animo ferente, contempsit. Et non irritatum Regis animum, sed probatam illi magis ac magis disciplinam satis ostendit conatus ille,quamquam ab eadem sociorum virtute irritus, quo sex subinde alios ex illius alumnis Episcopos creari à Pontifice postulavit. Magna planè tentatio, nisi major eorum virtus fuisset,quos,ut Magistros veneramur.

Ibidem n. 4. IX. Et eorum quidem exemplum non veteranis modò, verum etiam candidatis animos in modestiæ, atque privatæ vitæ amore confirmavit; Antonius certè Corduba, cujus & perantiquæ nobilitati, & litterarum gloriæ petente Philippo Principe,purpuram Julius Pontifex designaverat, quamque tantum non induerat, voto de Societate ineundâ concepto, illius amplissimæ dignitatis desiderium sedavit primùm, ac paulò post extinxit omninò,unàque antiquissimi sanguinis claritatem, ac purpuræ Vaticanæ splendorem,post Societatis habuit humilitatem.

Ibidem n. 6. X. Incesserat Clementis VIII. animum Neapolitano ampliissimo Archiepiscopatui Claudium Aquavivâ imponendi cupido, unde illi ad propò domesticam purpuram non admodum difficilis gradus fuisset. Hoc simul atque auditum est, tum ejus, cujus petebatur caput, tum sociorum, qui erant in urbe, veluti publico in Societatis funere consternati sunt animi. Nullus in ea ordo fuit, quem non attingeret dolor. Itaque pro se quisque obluctari, votis, Sacrificiis, suppliciisque Deum ciere. Tum in quibus aliquid humanæ opis, viros Principes adire,atque obtestari,ad Clementem, quem Claudii repulsa in sententia obfirmaverat,allegare, ut prudentissimum Principem de justissima Claudii,ac Societatis causâ docerent. Et hæc quidem foris apud amicos quærebantur præsidia; domi verò, qui per ætatem, aut studia attinebantur, divinam iram (sic enim interpretabantur illam Pontificis voluntatem) solemnibus artibus avertere, ac Societati pacem avitamque modestiam sartam tectam impetrare conabantur. Tum primò Claudium, quem per incredibilem,quæ in illo fuit, animi magnitudinem, nulla unquam fortunæ fregerat iniquitas; socii pavidum ac mœstum videre. Sed exorato tandem Deo alia Pontifici mens est injecta. Quod effusè luctantibus sociis universis Claudius publicâ ipse concione sibi gaudens gratulatus est, maximi omnium, quæ ad eam diem plurima sustinuerat, certaminis victor &c.

Ibid. n. 7. XI. Longè minori contentione gravius admodum periculum declinavit Jacobus Lainius, vetus hujus belli miles, nec unius pugnæ victor. Primùm enim Labacensis infulas, quibus inclyta sapientiæ fama illum tantùm non exornârat, constanti humilitate vitavit. Deinde purpuræ à Paulo IV. obfirmatissimi animi Pontifice destinatus, pavido Ignatio, qui Pontificis ingenium nôsset, novo ambitûs genere Cardinales adeundo, atque prensando,

ſando precibuſque acriter apud Deum agendo, evaſit incolumis, ad extremum virtute ac ſapientiâ, ipſo inſuper honorum contemptu clariſſimus Pontificatu Maximo à duodecim Patribus habitus, intra Comitiorum conclavia per ſpeciem conſultandi advocatur. Sed ſuſpicacem ex præteritis periculis humilitatem, ſtatim favoris aura perculit, itaque ex illo comitio, tanquam ex aliqua tempeſtate feſtinus ſe ſe ejecit, atque conſpiratorum Patrum ſtudia & conatus præproperâ fugâ debilitavit. Dignus profectò, qui primus ab Ignatio tam illuſtri modeſtiæ magiſterio Societatem temperaret univerſam.

Ibid. n. 10. XII. Franciſcus Villanova dignus quem virtutis ergo laudaret Ignatius, regebat Placentiæ Collegium, quumque Epiſcopus ædes, quæ tam maximè attolebantur, inſpectum veniſſet, atque aquæ defectu, quæ parcè fabris ſubminiſtraretur, parùm urgeri opus doleret, quæſivit de Rectore, an non agaſonem haberet, qui aſello affatim conveheret. Opportunè, inquit Rector, ac prorſus in tempore patrio è pago advenit Martinus Timon frater meus, quem huic operi deſtinabimus. Quod cum abnueret Epiſcopus, neque Martino Timoni honeſtiorem domi ſuæ locum defuturum affirmaret. At ille, inquit Rector, ad alia omnia ineptus, huic rei à natura factus eſt. Obſtupuit Epiſcopus generoſam hominis modeſtiam, ceſſitque poſtulatis. Itaque Rectoris Collegii Frater Martinus Timon aſellum agens præ ſe tamdiu vitam toleravit, quouſque Franciſci fratris virtutem imitatus, Deo ſe totum dicavit.

Ibidem n. 13. XIII. Ierat fortè Nonnius Barretus, jam Æthiopiæ Patriarcha, dum navigationem Indicam exſpectat Ulyſippone, ad expiandum Æthiopicum mancipium, uno tantùm de ſociis comite. Vidit prætereuntem Ludovicus Luſitaniæ Princeps, atque aulicum miſit, qui ponè ſequens, quo ſe conferret Patriarcha exploratè renuntiaret. Ubi audivit Æthiopici mancipii gurguſtio ſucceſſiſſe, hominique aures dare, ac blandiri; enimverò in ampliſſima Patriarchatûs dignitate modeſtiam ſuſpiciens, inſterni illico mulam; & nobiles aulicos Patriarchæ accedere, atque domum honorificè deducere, juſſit. Verùm pervicit Nonnii modeſtia, affirmantis nullo ampliſſimæ dignitatis dedecore ire ſe peditem, Chriſti Domini, atque Apoſtolorum exemplo. Porro quàm ex animo nihil ſcenæ ſerviens, rem ageret humilitatis, tota ejus vita teſtis fuit. Patriarchatu enim, quo Summi Pontificis adactus imperio ſe ornari permiſerat, abdicare ſe non ſemel voluit. Et quoniam, ut ſibi fas eſſet, non tenuit, ad exactiſſimæ modeſtiæ normam ſeſe totum compoſuit. Itaque & veſtes ſuis ipſe manibus conſuit, & peregrinis pedes de genu abluit, & Societatis Præſidibus, qui ſecundus à Chriſti Vicario eſſet, honorem habuit, quaſi unus de Sociorum grege, demum toto oris, ac corporis habitu eam demiſſionem animi, modeſtiamque prætulit, quam Æthiopia non meruit.

De Societate univerſa.

Ibidem n. 2. XIV. Non eſt igitur, quòd per ſingulorum decora eam laudem deducam, quam univerſæ Reipublicæ communem habemus. Prima enim Societas ſuas leges ſolemni auctoramento profeſſas, non modò ad honorum ambitum fugiendum, eorumque repulſam; ſed ad ambientium peragendum indicium gemini voti religione interpoſita obſtrinxit. Scio religioſis quibuſdam familiis moris hujus placuiſſe imitationem, ſed uni confirmatis jam moribus fruſtrà tentatam, aliis inter condendum ceſſiſſe feliciùs; integra Societatis laude, quæ rigidam illam virtutis formam priſtinæ redditam ſeveritati à ſuis amari voluit, occluſis ad excubantem in vicinia virtutis ambitionem diverticulis, ut id faciliùs facere condiſcerent. Salubertimum hoc profectò fuiſſe conſilium conſequuta tempora docuerunt; quum enim viris ſive à generis claritate, ſive à ſapientiæ ac virtutis laude præſtantiſſimis (abſit verbo invidia) abundet Societas, res ſanè pleniſſima ſemper erit admirabilitatis, illorum nullum limina potentiorum terere, aut dignitatum aucupandarum gratiâ, ſed in privatæ vitæ amore ita perſtare omnes rigidos, ut plerique æmuli contumaciam interpretentur. Felix enimverò contumacia, quâ contra blandum ambitionis malum, atque pellacem honorum ambitionem obarmamur: Placet hic cruda quædam obluctandi obſtinatio, nullo Principum quorumcunque reſpectu, quorum gratiam atteri, quàm diſciplinam hac ex parte molliri præſtat. Tot igitur habeo honorum fugâ glorioſos, quot illis dignos educat Societas, cujus cognita conſtantia ineluctabilis, pacem pleriſque omnibus, & ſine prælio victoriæ contulit tranquillitatem.

§. VII.
EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

I. Senecio quiſpiam fuit, qui omnia grandia habere volebat; unde ſervos non niſi grandes, ſimilemque Concubinam, vaſa quoque grandia eligebat, &c., ut ipſe quoque grandior appareret, ſummis pedum digitis inſiſtebat. *Textor. in Offic. l. 5. c. 24.*

II. Menœcrates Medicus nullam ab his mercedem ſolebat accipere, quibus medebatur, ſed tantùm hoc petebat, ut liberati ſe ipſius Servos eſſe faterentur, eumque Jovem dicerent. *Ibid.*

III. Alexander Magnus Jovis Ammonis Filius dici voluit. *Ibid.*

IV. Domitianus primus ſe Dominum & DEUM appellari juſſit, edixitque ne ſcripto aut ſermone aliter nominaretur. Statuas in Capitolio non niſi aureas, argenteaſque poni juſſit. *Ibid.*

V. Ochus Perſarum Rex cum Fratres habuerat centum & undecim, ex iis octoginta interfecit, ut regnum ſecuriùs ſolus poſſideret. *Juſtinus l. 10.*

VI. Phrahartes Herodis Parthorum Regis ex Pellice Filius & Patrem ſenem, & triginta Fratres, regnandi libidine accenſus interfecit. *Idem l. 24*

VII. Agrip-

Suetonius. VII. Agrippina Neronis Mater cùm nato vix Nerone Aſtrologus ei prædixiſſet, eum regnaturum, ſed Matrem necaturum, ſubitò exclamare cœpit: Occidat, modò imperet.

Mariana l 8. hiſt. c.10. VIII. Humejas quidam, qui à Cordubenſibus militibus Rex creari poſtulabat, excuſantibus, quòd ſæpe malè ceſſiſſet Regnum ambientibus, dixit: Hodie Regem dicite, cras perimite.

Sueton. in Cæſare. IX. C. Julius Cæſar Conſul cum M. Bibulo unus omnia in Republica, & ad arbitrium adminiſtravit, ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratiâ ſignarunt, non Cæſare & Bibulo, ſed Julio & Cæſare Coſſ. actum ſcriberent, bis eundem præponentes, nomine atque cognomine; utque vulgò mox circumferentur hi verſus:

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Cæſare factum eſt,
Nam Bibulo fieri conſule, nil memini,

Philipp. de Marinis in Miſſ. pro lap. l. 1. c. 10. X. Rex quidam Travancoris invidebat Brachmanibus, quòd eorum origo ſuâ, qui Rex eſſet, nobilior haberetur. Quare unum è Brachmanibus rogat, num fieri poſſit, ut & ipſe ſalvâ Regis dignitate, poſſet fieri unus è Brachmanibus, cui alter reſpondit, facile id eſſe, ſi curaret fundi vaccam auream intùs excavatam, & ita capacem, ut ipſe in ventrem introire, velutique noviter conceptus poſſet per ejus os exire. Ibi enim in eo ventre poſſe illum Regis & Brachmanis perſonam nanciſci, ut Rex ſit ſimul & Sacerdos, prius non amittens, & ſecundum nanciſcens. Rex gaudio geſtiens, curat mox vaccam ex auro fieri, & eam jam Senex ſubintrat, & per os exit jam novus Sacerdos, & feſtum haberi eum diem, ut natalem ſuum voluit: ac ut eſſet facti memoria lætitior, illius anni tributum populo remiſit. Interim Brachmanes aureâ vaccâ gaudebant. Hunc errorem Regi quidam è vulgo ingeniosè detexit. Ubi enim didicit diem huic ſecundæ nativitati deſtinatum, cum jumento in foro apparet, quod erat macrum, gracile & parvum, id ſpectante Rege pectinabat eburneo pectine, aquâ odoratâ lavabat, blandiebatur manu ac lautius ei pabulum dabat, ita denique tractabat, ut Rex indè recreatus, ſcire voluerit, quis ille joculator eſſet; ubi verò intellexit eum hominem prudentem ac ingenioſum eſſe, ad ſe vocatum rogavit, cur ita blandè aſinum illum tractaret? cui alter reſpondit, ut aſinus iſte fiat equus. Tunc Rex, rectè dixi, inquit, hunc hominem ſtolidum eſſe; quis enim unquam vidit, aſinum fuiſſe mutatum in equum: cui alter, ego, ait, ſtolidus habeor, quòd ex aſino fieri equum velim: & Rex ille ſapiat meus, qui ſibi perſuadet, poſſe ſe è Rege fieri Brachmanem ex aurea vacca.

Lyræus in Triſag. Mar. XI. Quædam mulier volens vocari Domina, finxit ſe catellum perdidiſſe, quare per præconem pronuntiari juſſit, amiſſum eſſe catellum, quem, qui repererit, ad Dominam N. uxorem Domini N. referat.

Ibid. XII. Euphorbus aliquis videns quendam ſingulari dignitate Comitis aut Marchionis auctum, ac unicè ſollicitum, quomodo res hæc in publicum veniret, hoc ei ſuggeſſit conſilium; finge, inquit, patentes Regias tibi excidiſſe, & cura præconis voce per urbem totam promitti magnam mercedem ei, qui eas reperiſſet litteras, quibus Rex te Comitem aut Marchionem creavit, & eas ad Excellentiam tuam reportet.

Damnum.

Plutarch. in Themiſt. XIII. Themiſtocles gloriæ amore inſaniens, cum Miltiadis ad Marathonem victoriam ſecum reputaret, noctes inſomnes duxit, & ſympoſiis conſuetis abſtinuit, dicens: ſomnum ſibi adimere trophæa Miltiadis.

Juſtinus l. 42. XIV. Jaſoni totus ferè Oriens templa, ut conditori divinos honores & templa conſtituit: quæ Parmenion Dux Alexandri M. poſt multos annos dirui juſſit; ne cujuſquam nomen in Oriente venerabilius, quàm Alexandri eſſet.

Le Blanc. in Pſ. 7. n. 48. XV. Waltherus Atholiæ Comes, Jacobi I. Regis in Scotia patruus audierat â ſaga ſe publicè coronandum: ſpe igitur regni Regem occidi curavit; ſed ille dein affectus variis ſupplициis, & curru per urbem vectus, populo ad ludibrium nudus fuit oſtenſus, coronâ candenti capiti impoſitâ.

Mariana. l. 6. c. 13. XVI. In Hiſpania juſſit Wamba Gothorum Rex, ut Paulus quidam, qui Regis nomen & Inſignia occupârat, ſibi cum pompâ redeunti præiret, ludibrii cauſa coronâ ex nigro corio factâ capiti impoſitâ.

Le Blanc. in pſ. 7. n. 48. XVII. In Sicilia cùm quidam in Regem Ammergium rebellâſſet, Regnúmque affectaret, comprehenſo juſſit coronam æream cum quatuor foraminibus in caput magnis clavis defigi, atque ita hominem abire juſſit, his verbis: Habes coronam, quam voluiſti, nemo tibi invidet. Is verò vertigine obortâ humi prolapſus, paulò poſt exſpiravit.

Ex literis. XVIII. Anno 1671. Leopoldi I. Cæſaris juſſu, nomen mutavit Nicolai Serini filius, & juſſus eſt, ſe ſcribere ac nominare *à corona*; quia compertum eſt, ejus patrem, qui creditus ac dictus eſt ab apro occiſus, affectâſſe Coronam Imperii Hungarici.

Silv. Var. lect. p. 4. c. 1. XIX. Sacerdos quidam Nicolaus Romæ ſpe cupiti honoris excidens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimos Saracenos à ſe in fraudem inductos, à veri DEI cultu ipſe jam alienus, ſuaſit ut idola deſererent; ſed ſequerentur non aliam doctrinam, quàm ipſe eis traditurus eſſet. Ibi in Mahometem incidens eum erudivit, promiſitque Regem eum Saracenorum ſe facturum. Id aſtu egit. Columbam enim ex nido ſumpſit, eamque aſſuefecit, è Mahometis auribus cibum capere. Iſta columba ſenſim aſſueta ejus auribus, ubi primum Mahometem vidit, ad humerum ejus advolans, roſtrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes ſui ſequaces Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum Regem ſibi deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma

ma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus, mox dato consciis fraudis signo columba emissa, pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eo miraculo, ut credebant, moti Saraceni Mahometem Regem pronuntiârunt.

§. VIII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Manſi disc. 4. n. 9. I. SIcut Bucephalus, Alexandri M. equus, phaleris regiis indutus, nullum insessorem præter Regem admisit, cum tamen hisce ornamentis exutus, quemlibet dorso suo insidere permitteret, adeoque ornamenta & phaleræ illæ regiæ superbos elatosque ei spiritus videbantur inprimere: Eodem prorsus modo multos hodie videmus, qui in statu fortunæ privatæ humiles existunt, cunctisque se humiliter submittunt, neminem dedignantur, omnibus sese benignos & affabiles exhibent, mox verò, ut ad honores & dignitatum insulas sublimantur, adeò inflantur, & extolluntur, ut jam non iidem, qui antea, sed prorsus diversi esse videantur; Ejusmodi est serpentis natura, qui ad solis calorem venenum suum evomit, veterique pelle depositâ novam prorsus induit.

S. Greg. l. 1. reg. ep. 3. II. Sicut fumus ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit, sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia ostenditur, ut altus sit, indè agitur, ut non sit.

Manſi disc. 7. n. 1. III. Sicut quantò major est umbra, magisque crescit, & exaltatur, tantò est defectioni vicinior; ad eundem quoque modum dignitates humanæ quantò prosperiùs fluunt, tantò sunt occasui magis propinquæ.

Idem dis. 9. n. 10. IV. Sicut arundo in exteriori quidem apparentia aureum præ se colorem refert, & lucida est, interius autem inanis & vacua: ita quoque honores dignitatesque terrenæ primâ quidem facie, ob auctoritatem, pompam, atque divitias, quas secum adferunt, speciosi & appetibiles esse videntur, veruntamen interiùs in Principum illorum cordibus, gaudia illa & consolationes, quas nos quidem illis inesse somniamus, minimè reperiuntur; tametsi enim sceptra ipsorum aurea sint, non tamen solida, sed intus inania & vacua existunt; Hac arundine vel sceptro ficto, Salvatoris capiti spinas validissimè imprimebant, ad significandum, quòd territorium subditorum, regimen, & dominium curarum, anxietatum & molestiarum spinas (quibus tantò magis abundant, quantò majus possident Dominium) in verticibus coronatis, quàm maximè multiplicent.

S. Augusſ. in Pſ. 21. V. Sicut ignis, licet non sit diversus, diversa tamen agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit: Ita quoque, experientiâ teste, una eademque dignitas hominem aliquem magnis virtutibus & meritis præditum quàm maximè conspicuum, omnique existimatione & veneratione dignum efficiet: cùm econtra si ejusmodi dignitas in indignum ceciderit, ejus vitium, & ignorantiam omnibus innotescere faciet. Gloriam sapientes possidebunt, stultorum exaltatio ignominia.

VI. Sicut si statuam quandam tuditet elaboratam & defectuosam super basim quandam eminentiùs collocaveris, efficit, ut ejus in sublimi positæ defectus faciliùs animadvertantur, quàm si humi semper jacuisset; ad eundem quoque modum multorum defectus non observantur, aut notantur, quamdiu privatim vivunt: cùm tamen, mox ut in altari, omniumque oculis expositi fuerint, defectus eorum omnibus manifesti evadant. S. Bernardus de aliquo, qui de eorum numero erat, ita scribit: Eò deformior, quò illustrior; nunquid potest civitatis supra montem positæ desolatio abscondi, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Lyranus quoque super illa verba sapientis: Ignominiosa exaltatio quia tunc magis apparet turpitudo suæ fatuitatis: Adducitque aptissimam simiarum in altum ascendentium similitudinem, dum ait: sicut turpitudo posteriorum simiæ magis apparet, quando ascendit in altum. *Manſi disc. 12. n. 2.*

VII. Sicut quando Legati Romam in solemni pompa equestri ingrediuntur, muli circumquaque superbissimè adornati, oneraque utrimque tegminibus auro, argentoque præfulgidis contecta circumferentes, omnium ad se oculos cum stupore singulorum attrahunt: at verò postquam equestris illa pompa finem suum accepit, muli prædictis omnibus illis phaleris pretiosis exuti, ad stabula reducuntur, solitisque denuò sordibus, aliisque oneribus portandis applicantur: Idem quoque multis accidere solet, qui sine ullo merito ad honores promoventur; quamdiu enim potentia & favor illius, à quo ad talem dignitatem promoti fuerunt, superstes manserit, æstimantur, honorantur, seu, ut meliùs dicam, timentur; at verò mox ut illo mortuo depositi fuerint, ad eandem denuò revertuntur vilitatem, & contemptum, in quo antea erant. *Idem n. 11.*

VIII. Sicut in Piscina Probatica è tam ingenti infirmorum numero unus duntaxat sanabatur, non obstante, quòd omnes firmissimam recuperandæ salutis spem haberent; ita quoque in aulis dignitate aliquâ vacante, multi sunt bene meriti prætensores, unusquisque proinde sperat, veruntamen in fine unus duntaxat consolationem accipit, cæteris omnibus delusis remanentibus. A Salvatore quoque juxta eandem piscinam unus per miraculum pristinâ fuit sanitate donatus, hic autem triginta octo annis languidus in lecto decubuerat, ita quoque, tametsi contingat, quòd aliquis prætensionum suarum portum extraordinario modo assequatur, id tamen fortè accidet, postquam omnes ferè ætatis suæ annos in laborioso quodam servitio consumpserit. *Idem diſc. 17. n. 8.*

Fuga & Damnum.

IX. Sicut si Homo quispiam solus esset in Mundo, utique nullum honoris desiderium haberet; ita & nunc, cum omnes Homines sint quasi nihilum coram DEO, meritò omne honoris desiderium abjicere debet. *Rusa.*

X. Sicut ex magna Appetitûs corruptione provenit, ut ægroti quidam terram avidissimè comedant; ita ex grandi judicii corruptione oritur, ut Homo Famulorum comitatu, & *Lud. Gran. in loc. com. f. 595.*

aliis similibus honorum obsequiis tantopere delectetur, ut propter hæc paranda & tuenda divinas, humanasque leges ac jura violare non horreat.

Staplet. in Dom 2. post Pent. them. 4.

XI. Sicut lapis deorsum cadens non sistit, donec ad fundum veniat, & in ipso motu modum tenere non potest, sed quò diutius movetur, tantò celeriùs labitur: ita Ambitio moderationis fines egressa, nullum ambiendi modum facit.

Ibidem.

XII. Sicut Canis famelicus ad mensam Domini assistens, bolos ipsi objectos momento deglutit; & alium incessanter petit; sic Ambitiosi novos semper honores appetunt, nec unquam acquisitis satiantur.

Idem in Dom. 16. post. Pent. them. 6.

XIII. Sicut cibus nimio sale conditus nullâ arte ad temperatum saporem reduci potest; ita qui altiores semper honores appetunt, ad saniorem mentem vix ullo medio revocari queunt.

Idem in Dom. 4. Quadr. them. 6.

XIV. Sicut imago, quò artificiosius est depicta & rem ad vivum repræsentat, tantò magis fallit, quia res ipsa existimatur (uti Zeuxem Parrhasius fefellit, dum tapetem tam artificiosè pinxit, ut Zeuxis verum esse tapetem ratus removeri jusserit) ita honores hujus Mundi, quantò majores sunt, tanto magis decipiunt, cùm omnis Mundi gloria non nisi umbra sit, & vapor & modicum parens, teste S. Jacobo.

Jac. 4. v. 15.

Ovid. in Metam.

XV. Sicut Phaëton, dùm maturè nimis habenas sibi vendicavit, totum orbem accendit, & se perdidit; ita & ii, qui dignitates & Imperia immaturè sibi arrogant, & se, & subditos perdunt.

Staplet. in Dom 2. post Pent. them. 6.

XVI. Sicut Pueri, dum Papilionem in aëre volitantem insequuntur, subitò in scrobem cadunt; ita Ambitiosi, dum oculos semper ad honores in alio positos erigunt, eosque sectantur, plerumque vel in scrobem mortis, vel in aliud grave malum præcipitantur.

1. Mach. c. 6.

XVII. Sicut Eleazarus, dum Elephantem & Regem supra se stantes dejecit, simul cum illis contritus periit; ita plerumque Ambitiosi, dum alios de suo gradu dejicere conantur, seipsos miserè opprimunt.

Staplet in Dom. 2. Pent. them. 6.

XVIII. Sicut ab illis cibis & potibus maximè cavendum est, qui etiam saturos & non sitientes ad edendum & bibendum provocant; quia naturam incautè obruunt, & extinguunt; ita honoris possessio maximè vitanda est, quæ nulli necessitati, sed soli voluptati servit.

Ibid.

XIX. Sicut Arbores per præcipitia nascentes non Hominum, sed Corvorum usibus serviunt; sic honores indebiti actiones non DEO, sed Diabolo servientes proferunt.

Ibidem.

XX. Sicut hi, qui absque fame & siti bibunt aut comedunt, etiam ea, quæ sumpserunt, revomunt; & dum superfluis se onerant alimentis, etiam necessariis privantur; ita ambitiosi, dum novos semper honores ambiunt, nec illis, quos habent, potiuntur diu.

S. Chrys. hom. 43. ad popul.

XXI. Sicut sævi venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur; sic Ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt.

Author

XXII. Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi tenuis aura flaverit, movetur; sic sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam levis nuntii fama conturbat. Sicut Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor. S. quoque Hieronymus dicit, Regum talis conditio: feriuntque summos fulmina montes.

Oper. imper. ho. 2. Manss. disc. 17. n. 10.

XXIII. Sicut is, qui in exercitu cunctis aliis supereminet, non solùm propter auctoritatem, verùm etiam ob staturam vel armorum splendorem & ornatum, inter alios primus erit, qui ab hoste conspicitur, vel vulneratur; eadem quoque Magnatum conditio esse noscitur, qui præ cunctis aliis, insidiis, mortisque periculis subjiciuntur. Eodem tempore, quo Scriptura Sacra ob oculos nobis ponit Antiochi fastum & arrogantiam, dicens: Is qui videbatur sibi fluctibus maris imperare, mox illum simul & semel velut cadaver quoddam fœtore & scaturientibus ex omni corporis parte vermibus horridum repræsentat.

Manss. disc. 12. n. 10.

§. IX.

MOTIVA.

I. CHristi exemplum; de quo S. Gregorius sic loquitur: Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conversationem doceret, exemplum sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus discerent, favores mundi fugere. Ubi Cajetanus aptè observat, quòd Evangelista de hac turba non dicat, illam Christum in Thronum collocare, eidemque sic magnificè confidenti obedientiam promittere voluisse, sed tantùm eos de ipso in Regem eligendo inter se consultâsse: Non dicit, quòd tunc facturi erant ipsum Regem, sed quòd venturi essent, significans, quòd ipsi dispositi erant ad tractandum cum aliis, & redituri ad hoc, ut facerent eum Regem. At verò quonam ducebantur motivo ad hoc, ut eum Regii sceptri administratione dignum & habilem esse existimarent? Num fortè ideò, quia eum sæpè miracula patrare viderant? non certè, quia aliàs quoque multoties in miraculis faciendis liberalem prorsus & admirabilem sese exhibuerat: aut fortè ideo, quia adeò prodigiosè panes piscesque multiplicaverat; neque id dici potest, quia aliàs quoque idem miraculum, innumeros homines modicissima annonâ perfectissimè satiando patrârat, nec tamen ullus de ipso in Regem sublimando cogitaverat. Pro resolutione igitur notanda sunt verba illa: *ut raperent eum*: ex his enim colligitur, quòd, quia Christum ab omni semper pompa & gloria mundana alienissimum esse conspexerant, ideo ipsum Imperio dignissimum, & sceptro gubernando aptissimum, maximeque idoneum esse judicabant. In quo monstratur (inquit idem Cardinalis) quòd cognoscebat Jesum alienum esse ab appetitu Regni, utpote quem oportebat rapere: hi enim verè sunt illi, quorum in moderandis animabus Imperium felicissimo semper fine clauditur, quo ab omni fastu

S. Greg. p. 1. past. c. 3.

alieni

alieni sunt, & quoad possunt, dominari detrectant; bene imperant, qui non libenter imperant.

Manss. disc. 7. n. 4. II. Brevitas honorum; pro qua cognoscenda legatur duntaxat Catalogus Imperatorum exactè conscriptus, & quàm subitò, quâmque violentâ morte potior illorum pars interierit, protinus inveniemus. Inter Summos quoque Pontifices, quàm sint pauci, qui Pontificatum suum etiam usque ad integrum anni spatium producere potuerint. Severinus & Lucius II. undecim duntaxat supervixit menses: Leo II. & Alexander V. menses tantùm decem: Benedictus X. & Joannes XX. octo solùm menses vixerunt; Stephanus V. septem; Eugenius I. sex; Innocentius V. & Cælestinus V. quinque tantum rexerunt mensibus: Alii duo Joannes XVI. & Lando quartum tantummodo mensem attigerunt; Gregorius VIII. & Innocentius IX. in duos usque menses Pontificale solium insederunt. S. Antherus M. hujus nominis unicus, Regiminis Ecclesiæ universalis unicum duntaxat mensem numerare potest: at verò longè angustioribus limitibus, breviorique periodo vitam suam alii clausêre Pontifices qui suum non nisi ad dies aliquot producere potuerunt Ecclesiæ Imperium; etenim Leo XI. & Pius III. in Pontificatu solùm supervixêre viginti sex diebus; Damasus II. diebus viginti tribus; Marcellus II. diebus duobus supra viginti; Sisinnius hujus nominis unicus diebus viginti; Cælestinus IV. diebus septendecim: Bonifacius VI. diebus quindecim. Urbanus VII. diebus tredecim; Stephanus II. & Valentinus quatuor duntaxat dies attigêre; adeòque justam habuit Beatus Petrus Damianus exclamandi rationem: O termini dominandi! qui etiam in extrema miseria videri possent anguśti, quid ni in suprema gloria anguśtissimi videantur? Verùm enim verò specialissimus hic est divinæ providentiæ modus, ad humanam tantò efficaciùs supprimendam superbiam, ut humano generi, quàm despicienda sit temporalis gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat.

III. Instabilitas honorum, de qua David rectè dixit: Deus meus pone illos ut rotam. S. Bernardus autem de rota optimè his verbis scribit: sicut rota nunquam stat, sed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota nulla stabilitas aut securitas reperiri potest. Fortunatus quidam ex aulæ Proceribus suoque Principi cumprimis charus, à Duce quodam, num in fortuna sua melius quid desideraret, interrogatus, unicam duntaxat rem sibi deesse respondit, cumque ulterius ad edicendum, quidnam illud esset, urgeretur, subjunxit, se clavum aliquem, quo volubilem fortunæ rotam sisteret, ne à statu, in quo nunc est, verti aliqua ratione posset, unicè desiderare: quod quidem responsum prudentissimum fuisse, nemo dubitabit: Etenim verissima est illa S. Ambrosii sententia: bona hujus sæculi instabilia sunt, & rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur. Sapiens divinam sapientiam pilâ in hoc mundo ludere perhibet: Ludens in orbe terrarum. Lusus autem hic pilæ, quem Deus in hoc mundo exercere dicitur, alius, ut ego quidem arbitror, non est, quàm continua illa sceptrorum, regnorum, Dominiorumve ab una manu in alteram per gyrum, ad purum Dei beneplacitum, ad instar pilæ facta transmissio; Mundus enim communiter ad instar globi seu pilæ in forma sphærica ab omnibus describitur. Id quod Boëtius Severinus optimè ad propositum nostrum hisce verbis exponit: Hunc continuò ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Hinc prudentissimè factum, quòd præcellioribus Principibus Serenitatis titulus attribuatur; coronæ item in figura solis, sceptra verò in florum specie efformentur; Etenim sicut hi subitò languent, clari quoque diei serenitas à repentino quodam turbine ex improviso obfuscatur, ipse sol sub caliginosis nubibus persæpe absconditur; ita quoque per hæc symbola humanarum dignitatum instabilitas haud incongruè designatur; id quod expertus est Salvator noster qui in triumphali illo in Ierosolymam ingressu ab omnibus urbis illius civibus, imò & pueris, festivo cum gaudio veluti verus Messias solemnissimè receptus fuit; Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini; Et tamen ad vesperam ejusdem diei in vastissima illa civitate neminem, qui illum hospitio excipere vellet, reperire potuit, unde in Bethaniam foras secedere coactus fuit; Imò idemmet populus, qui illum hisce verbis: *Benedictus, qui venit in nomine domini*, honoraverat, postea exclamavit: *Tolle, tolle, crucifige*; qui antea se propriis vestibus exuerant, ut easdem in ejus obsequium in terram prosternerent, ipsum paulò post suismet despoliaverunt vestibus; quique ipsum projectis in terram olivarum ramis, palmasque triumphales manibus suis gestantes læti exceperant, paulò post ingentem ligni truncum eidem in patibulum præpararunt: O quàm dissimile est: *Tolle, tolle, crucifige!* ab illo, benedictus, qui venit in nomine domini! Quàm dissimile, Rex Israël, Et: non habemus Regem nisi Cæsarem; Quàm dissimile, rami virentes & crux; flores, & spinæ; Cui prius sternebant vestimenta aliena, ecce suis exuitur, inquit S. Bernardus,

S. Bern. 3. in Psal. 2.

IV. Curarum & insidiarum copia; uti Parabola de arboribus Regem sibi eligentibus indicat, in qua quidem primò oblatum sibi sceptrum oliva repudiavit, cujus exemplum imitatæ mox fuêre ficus & vitis; atqui postquam & Rhamnum regiæ dignitatis ultroneâ oblatione honorâssent, hoc inde responsum retulêre: *si verè me Regem constituitis, venite, & sub umbrâ mea requiescite.* Quo facto ambitiosi edocentur, quòd in populorum gubernatione, sceptrorumque administratione anxietatum, sollicitudinum, laborum, periculorum, vigiliarum, similiumque ærumnarum spinæ & tribuli minimè desint. Uti clariùs Innocentius III. indicavit dicens: Sed esto, quod sublimetur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur, ex quibus natura corrumpitur, Spiritus infirmatur, abrum-

Judic. 9.

Innoc. III. l. 2. c. 29.

rumpitur somnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, & sic in seipso deficiens, non dimidiat dies suos, sed miserabilem vitam miserabili fine concludit. Hinc Deus è medio rubi Moysen ad regimen vocavit, ut ex hac visione cognoscere posset, Thronos magnificos, in quibus Magnates residentˀ, laborum, curarum, anxietatum, aliarumque molestiarum punctoris plenissimos existere. De Adriano IV. legimus, ipsum solitum fuisse dicere, Pontificam quaquaversum spinis acutissimis plenam, cinctamque esse, qui uniuscujusque Sedem Pontificis humeros quantumvis generosos & fortes rumpere & dilacerare non desinunt, Platina pariter de alio quodam Adriano Papa hujus nominis VI. refert, hunc lapidi sepulcrali verba sequentia insculpi jussisse: *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperavit, duxit.* Specialiter verò hoc ipsum Dionysius Tyrannus servo suo Damocli ostendit; cùm enim hic Principum statum admodum felicem & desiderabilem esse crederet, Rex, ut hunc ejus errorem corrigeret, isque graviter se deceptum esse videret, eum die quadam ad mensam suam invitavit, jussitque ensem nudum ex tenui, subtilissimoque filo pendulum super loco, quem is occupaturus erat, suspendi, quem cùm cœnaculum ingressus cum horrore vidisset, pœnitere eum cœpit, quòd Regi ipsum invitanti tanta cum facilitate acquievisset, cumque Regem deprecaretur, ut à mensa abesse liceret, hoc à Rege responsum tulit: Scito, hanc esse Regibus propriam conditionem, quòd etiam in mensa & deliciis positi, in continua sint mortis inferendæ formidine.

Cicero l. 5. Tusc. qq.

§. X.

ALIA MOTIVA.

I. Quia Ambitiosus sit dissimilis Christo, & similis Lucifero, qui propter Ambitionem de cœlo præcipitatus est; unde sicut Luciferum DEUS & omnes boni summè oderunt, ita & Ambitiosus DEO & hominibus exosus est.

II. Quia Ambitio primos Parentes & nos cum illis sua felicitate privavit, & in suprемum exitium præcipitavit; quis autem Interfectorem suorum Parentum, suumque & Fratrum suorum capitalissimum hostem odio non prosequatur, & hospitio excipiat?

III. Quia Ambitiosus perpetuis spei, timoris, & iracundiæ motibus agitatur, imò omnino denique per hos tres affectus, non aliter ac Absalon Ambitiosus, per tres lanceas, perimitur.

IV. Quia Ambitio in Apostasiæ, aliorumque gravium vitiorum periculum præcipitat; nam, ut S. Gregorius ait, unusquisque Rector toties ad Apostasiæ culpam dilabitur, quoties præesse Hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur.

V. Quia Honor onus potiùs est, quàm animi levamentum; nam, ut bene Seneca advertit, est inter onus & honorem non tam alluſio vocis, quàm rei ipsius expressa veritas; honor quippè ex onere venit aut potius ex honore onus.

Senec. ep. 1. de brev. vit.

VI. Quia perpetuo vitæ periculo exponit; uti benè agnovit Saturninus, dum ad Imperium invitatus dixit: Nescitis, ô Amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela cervicibus nostris imminent, impendent utique hastæ & spiculæ, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio sumuntur.

Drexel in Aurifod. p. 3. c. 5.

VII. Quia difficilem reddit coram DEO rationis redditionem; nam, ut rectè S. Gregorius dixit, Prælatus, si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. Sed & S. Chrysostomus, si novisses, inquit, quod Episcopus debet omnium onera gestare; quod aliis irascentibus datur venia, ipsi verò nequaquam: quod aliis peccantibus super est excusatio, ipsi verò minimè, haud quaquam festinâsses ad Primatum.

S. Greg. l. 3. past. l. 3. S. Chrys. ho. 3. in Acta Apost.

VIII. Quia fugiendo honor meliùs & justiùs obtinetur; nam ut S. Chrysostomus ait, Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. Quicunque ergo desiderat Primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem; non enim qui major fuit in honore ille major; sed qui justior, ille major. Hinc S. Bernardus de Sanctis dixit, quod de contemptu gloriæ gloriosiùs sublimati, & sublimiùs gloriati sunt.

In Matth. S. Bern. in ep. 113.

IX. Quia Ars Artium, & Scientia Scientiarum est, Hominem regere, teste S. Gregorio Nazianzeno, animal maximè varium & multiplex; quemadmodum si quis belluam variam & multiplicem ex multis belluis magnis juxtà, parvisque feris mitibusque conflatam cicurare & ducere aggrediatur, huic in natura adeò varia & prodigiosa gubernanda maximus procul dubio labor subeundus est.

S. Greg. Naz. apol. I.

§. XI.

MEDIA.

I. *Exemplum Christi frequenter ponderare:* non enim debet Discipulus esse supra Magistrum, nec Servus Domino major, si ergo Christus fuit opprobrium hominum & abjectio plebis, quomodo homo affectabit esse Superior hominum?

II. *Sui & peccatorum suorum notitiam procurare:* quis enim Vas stercoreum honore dignum æstimet? quis Judæ Christum tradenti exhibeat honorem? atqui deteriorem & stercore, & Juda quivis Peccator se æstimare debet.

III. *Vilitatem Honoris & Gloriæ humanæ perpendere:* nam, ut S. Chrysostomus ait, nihil hominum gloria vilius. Dic enim mihi, si puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupiscis? sic ergo erga cunctos Homines disponaris propter gloriam.

S. Chrys. ho. 43. ad Pop.

IV. *Exitum honoris considerare:* uti idem Sanctus hortatur, dum ait: Cogita, cùm gloriam concupiscis, quòd eam sis assecutus, & disce finem, & nihil invenies. Cogita, quantam ea res habeat jacturam, quot & qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit

Ibid.

&

& pericula, fructibus autem privabitur, & certaminum præmiis.

V. *Humilia officia sectari:* nam ut rectè cecinit Horatius:

Horat. l. 2. Od. 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.

Origen. super Epist. ad Rom.

VI. *Severitatem rationis reddendæ frequenter animo volvere:* nam omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potiùs, quàm judicaturos hi, qui præesse volunt populis, cogitarent.

§. XII.
ASCETICA.

I. Tria imprimis specialiter circa hoc vitium nosse & bene perpendere debet Asceta, Naturam scilicet, indignitatem, & modum curandi. *Natura* in eo consistit, ut aliquis honorem velut sibi, & non DEO in ipso, exhibendum appetat, eo ferè modo, quo Mulus olim in solemni supplicatione, Isidis Deæ effigiem portans, & homines ante se prosterni videns, sibi honorem illum exhiberi putavit, ideoque ab Agasone in ventre fodicatus audivit: Non tibi, sed Isidi.

S. Bern. in Serm.

II. Indignitas ex eo patet, quòd ejusmodi Homines ambitiosi omni titulo, ob quem honor exhiberi solet, careant, virtute scilicet, quæ sola, ut ait S. Bernardus, Mater gratiæ est; Sola enim est, cui gloria jure debetur, securè impenditur; quæ autem sine virtute est gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, & periculosè captatur. Hinc jam olim Romani duo templa ædificarunt Honori & Virtuti. Sed ita, ut per Virtutis templum priùs transeundum esset illi, qui in Honoris templum intrare vellet, ut hoc pacto ostenderent, solam virtutem esse viam ad verum honorem, & meritò, quia, cùm honor sit externa testificatio internæ bonitatis, bonitas autem à sola virtute habeatur, rectè infertur, solam virtutem esse radicem & Matrem gloriæ & honoris.

III. Modus curandi in eo consistit; ut & vilitas honoris & gloriæ humanæ perpendatur (nam ut S. Chrysostomus h. 34. ad Pap. ait: Nihil hominum gloriâ vilius; dic enim mihi, si puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, num quid ab eis gloriam concupiscis? sic ergo erga cunctos homines disponaris propter gloriam) & exitus illius consideretur, ut idem sanctus hortatur l. c. dum ait: cogita, cùm gloriam concupiscis, quòd eam sis assecutus, & disce finem & nihil invenies, quantam ea res habeat jacturam quot & qualibus bonis privet, labores quidem sustinebit, & pericula, fructibus autem privabitur, & certaminum præmiis.

Hugo in c. 16. Eccl.

IV. In primis nôsse oportet Ascetam, quomodo dignitates verè suscipi, & administrari debeant, id quod pulchrè Cardinalis Hugo indicavit, dum illa verba, *Redde rationem villicationis tuæ:* ponderans, ita scribit: Revolvenda erit à quolibet Prælato triplex quæstio; prima erit, amice, quomodo huc intrasti? id est, in Prælationem, quis te introduxit? Nummus vel Christus? Ad quid venisti? ad honores, vel onus? Per quam portam intrasti? Charitatis, aut cupiditatis? Postea ad secundum examen descendet, quod circa vitam, quam Prælaturæ tempore duxerunt, instituetur: Quomodo vixisti? scilicet, sicut Episcopus, vel sicut rusticus? sicut homo, vel sicut equus? sicut pastor, vel sicut pecus? Tertium examen habebitur circa regimen, quod administrarunt: Quomodo rexisti? in quibus pascuis gregem meum pavisti? quomodo à lupis & latronibus custodisti? quantas vigilias & labores pro grege meo sustinuisti?

V. Nosse debet, qualitates veri Regentis, de quibus rectè Basilius dixit: Verus Princeps non per hæc externa insignia internoscitur, cujusmodi sunt purpura, torques, seu amiculum pertenue ac molliculum, & diadema, sed per id, quia in primis virtutem obtinet Principe dignam. Quod clarius significans Stephanus Cantuariensis super illa Esdræ verba: Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum, & judicium scribens, tres considerat conditiones, iis, qui regimini publico admoventur, cumprimis necessarias: *Ad* illa *tria debet Prælatus præparare cor suum*, id est, *ad scientiam, vitam, & doctrinam: ut investigaret, ecce scientia: ut faceret, ecce vita: ut doceret, ecce doctrina.* Hinc rectè Aurelius Cassiodor. dixit: Fasces accipimus, ut graves esse debeamus, Tribunalia conscendimus, ut morum gradibus evehamur, nil vile, nil cupidum Judices decet: Pergit posteà ulteriùs & quidem ad propositum nostrum aptissimè: Claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt, alioquin expedit non videri, quàm cunctorum reprehensione signari.

S. Basil. in c. 6. Isaiæ. *Steph. Cant. in 1. Esdræ c. 7.* *Aurel. Cassiod. l. 12. ep. 1.*

VI. Nosse debet, quo sensu S. Paulus dixerit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* quem quidem S. Thomas sic declaravit, dum ait, tria in Episcopatu posse considerari. Primum est operatio, per quam saluti proximorum intendit. Secundum altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur. Matth. 25. *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Tertium honor & reverentia, & sufficientia bonorũ temporalium: Appetere ratione reverentiæ & honoris, vel sufficientiæ bonorum temporalium, non licet, quia est ambitio & cupiditas; item ratione gradus alti, quia est præsumptio. At verò quandonam casus daretur, in quo Episcopatus desiderium foret licitum? quando nimirum desiderium nullum alium finem respicit, quàm purè servitium & obsequium Dei, & subsidium saluti animarum impendendum. Aliter eadem verba explicat Salmeron dicens: Episcopatus in primitiva Ecclesia sine honore & sine divitiis erat: Nihil aliud erat, quàm crucem optare, & opus charitatis impendere; nunc verò ubi Episcopatus cum magno honore & divitiis conjunctus est, non nisi periculosè appetitur: Idem hoc diu antè S. Anselmus hisce verbis monuit: Notandum, quia quando Apostolus hoc dixit plebibus, quicunque præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur; tunc

S. Tom. 2. 2. q. 185. a. 1. *Salmeron. to. 4. tr. 27.*

ergo laudabile fuit episcopatum quærere: quando per hunc quasi ad Martyrium festinaretur. Eandem quoque expositionem legi apud Dionysium Carthusianum, in libro de regimine Præsulum: Non advertunt (de ambitiosis loquitur) quòd Apostolus dixit hoc, quando Episcopi trahebantur primi ad amarissimas pœnas, & acerbissimas mortes Martyrii, ita quòd tunc in Episcopatu non poterat amari, nisi opus bonum. Quidam hujus nostri sæculi insignis Orator, dicit, quòd, quando S. Paulus sæpedicta thematis verba edixit, omnes Episcopatum refugiebant, quia ovium greges tales erant, ut iis gubernandis vix ulli reperiri possent pastores; & tales pastores erant, ut pro gregibus pascendis vix pascua inveniri possent, adeoque tempora illa talia erant, in quibus simul stare poterant, dignitas cum humilitate, & dominandi fortuna cum miseria serviendi. Sacerdotes tunc aurei erant, calices verò lutei, vel lignei: mitræ plus curis quàm gemmis onustæ erant: Episcoporum chlamydes paupertate potiùs, quàm acupicturâ perforatæ erant: Erant eo tempore pastores sine baculo vel clava, oves sine lana, lupi sine timore, dignitates sine dignitate, Ecclesiæ sine dote, honores infamiâ pleni, eminentiæ præcipitiis conjunctæ, curæ curarum plenissimæ, denique ejusmodi in statu tunc primatus erant, ut majorem quis pareret ambitionis suspicionem dignitates fugiendo, quàm illas desiderando.

S. Ambros. l. de vid. VII. Nôsse debet, & bene notare S. Ambrosii sententiam, quando dixit: Mensura oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas est.

S. Chrys. l. 6. de Sac. IIX. Nôsse, & ponderare debet, quòd illi, qui est in gubernationis dignitate & officio constitutus, gravis ratio de omnibus subditis sit reddenda, nam unicuique Prælato dici posse videtur, quod l. 3 Reg. c. 20. legimus, nimirum: *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus*; De qualibet enim anima obstrictus est rigidissimum reddere computum: *Durissimum judicium his, qui præsunt, fiet.* Non enim illis solùm de seipsis reddenda est ratio, verùm & de omnibus aliis ipsorum curæ commissis. *Ubi est grex* (inquit Deus, ad Jeremiam) *qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* quid dices, cùm visitaverit te? Hinc S. Chrysostomus dixit: ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatûs susceptionem hanc injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit.

Mansi dise. 12. n. 9. IX. Nôsse debet, honorem, qui ab aliis defertur, non homini, sed Deo exhiberi, uti sequens factum pulchrè ostendit: cùm olim Minervæ statua in jumento quodam, veste Attalicâ auro, argentoque intertextâ exornato, honorificentissimè accommodatâ, processionaliter ab idololatris quibusdam passim per plateas magna cum solemnitate circumferretur, accidit, quòd, dum unusquisque in plateis illis, quas processio illa obibat, Minervæ statuam summâ, qua poterat, reverentiâ veneraretur, asinus honorem illum sibi delatum esse existimans, quemlibet caput inclinando resalutabat, quod alius quidem, qui asinum sequebatur videns, eundem acriter fustigatum sic est allocutus: Non tibi, sed deæ: Idem quoque moneri possunt indigni ad dignitates præter omne meritum evecti, honores enim quos recipiunt, non sibi, sed magistratui, quem administrant, aut dignitati, quâ gaudent, attribuere debent, cujus veritas tunc pridem manifestè cernitur, quando honoribus (ut sæpè talibus accidit) exuuntur, tunc enim patet, quàm viles, & contemptibiles, risuque digni existant.

§. XIII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ:* narrari potest inprimis, quod superiori §. n. 2. de duplici templo à Romanis ædificato dictum est, & ostendi, solam virtutem esse Matrem gloriæ & honoris, quia illa 1. juvat maximè ad honorem *obtinendum*, cùm sola conferat bonitatem internam, cujus testificationem præbet honor. 2. Juvat ad eum legitimè *possidendum*; quia ipsa docet, nihil sibi, sed omnia DEO attribuere atque adeo semper in ore habet, illud S. Pauli: Soli DEO honor & gloria. *2. Cor. 1. v. 12.* *1. Tim. 1. v. 17.*

II. Ex occasione thematis: *Mihi autem nimis honorificati sunt Amici tui DEUS:* ostendi potest, amicitiam DEI, quæ in virtutis possessione consistit, esse optimam viam ad honores acquirendos. 1. Quia est via *certissima:* cùm ipse Deus dixerit: Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum; quis autem magis eum glorificat, quàm virtuti deditus; 2. Quia est via *brevissima* seu *rectissima*, cùm illis ambagibus & difficultatibus careat, quas subire coguntur illi, qui honores humanos venantur, uti ex §. 1. patet. 3. Quia est via *securissima:* cùm non contristet justum, quidquid ei acciderit, teste Salomone; sed diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum. 4. Quia est *jucundissima:* cùm secura mens sit quasi juge convivium: &, si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possideat puri cordis homo, uti Thomas Kempensis ait. *Ps. 138. & 17.* *Prov. 12. v. 21.* *Rom. 8. v. 28.* *Prov. 15. v. 15.* *l. 2. de imit. c. 4.*

III. Ex occasione thematis: *Nec sibi quisque sumit honorem:* Ostendi potest, honorem, cùm sit extrinsecum bonum, & ab aliis obvenire debeat, non debere à nobis ipsis quæri & ambiri. 1. Quia, ut S. Bernardus ait, talis honor hoc ipso, quòd sine virtute humilitatis quæratur, *indebitè venit:* sola enim virtus est mater gloriæ. 2. *Præpropere affectatur:* Sicut si ædificio nondum solidato magnum onus imponitur. 3. *Periculosè captatur:* Quia perinde se habet, ac si Infanti culter præacutus usurpandus offeratur. Hinc Christus non suscepit officium Pastoris & Prædicatoris, donec post triginta annorum exercitium in virtutibus à Patre æterno approbatus, & Spiritu Sancto eductus est. *Hebr. 5. v. 4.*

IV. Ex occasione thematis: *Gloria & honore coronâsti eum:* Ostendi potest inprimis, quàm parum optandus sit honor humanus, ut qui cum labore magno acquiritur, cum timore *Ps. 8. v. 6.*

magno

magno possidetur, cum dolore magno amittitur. Ostendatur deinde, quàm omnia contraria sint in honore DEI, ut qui sine labore magno obtinetur, absque timore conservatur, & cum dolore amitti omnino non potest, quæ omnia facilè ex superioribus §§. probari possunt.

Matth.20. v.22. V. Ex occasione thematis: *Nescitis, quid petatis:* Potest ostendi, quænam sit radix ambitionis, quia scilicet fragilitatem propriam ambitiosi non considerant, sed ad omnes functiones honorificas, quas ambiunt, respondent: *Possumus* illas cum dignitate sustinere; unde plerisque contingit, quod Phaëthonti Ovidius fingit evenisse, ut scilicet ob imperitiam regendi & se, & alios in grandia mala præcipitent; meritò ergo illis dicitur; Nescitis, quid petatis.

Judic. 9. v.5. VI. Ex occasione thematis: *Venite, & sub umbra mea requiescite:* Ambitiosi comparari possunt Rhamno, quia ab initio, dum aucupantur honores, valde molles sunt, & officiosi; sed, ubi Dignitates acquisiverint, indurescunt, aculeantur, & spinosi efficiuntur, sed & ignem perversæ conversationis de se emittunt, & se, ac subditos igne infernali comburunt. E contrario verò viri sancti & humiles, qui sunt oliva per suavitatem conscientiæ, ficus per dulcedinem devotionis, vitis per hilaritatem Spiritualis lætitiæ, recusant & fugiunt ejusmodi honores, ne deserere pinguedinem & dulcedinem suam cogantur. Quæ omnia fusiùs per partes explicari queunt.

Gen.19. v.20. VII. Ex occasione thematis: *Non possum in monte salvari, ne inveniat me malum & moriar:* Ostendi possunt in prima parte concionis pericula, quæ incurruntur ab iis, qui in alta dignitate constituuntur, præcipuè conscientiæ lædendæ, devotionis & quietis amittendæ, vitæ corporalis & spiritualis perdendæ; quem in finem narrari potest de B. Ganfredo Cœnobii *Marchant, quo Sacer. t.1.lect.5.* Clarevallensis Priore, qui postquam Episcopatum Tornacensem ab Eugenio Pontifice, & S. Bernardo oblatum recusâsset, paulò post mortuus cuidam Religioso apparuit, dixitque: Salvus sum, mihique feliciter cessit fuga Episcopatus. Si enim fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum. Ita mihi SS. Trinitas revelavit. In altera parte concionis explicari possunt sequentia verba ab eodem Loth prolata: *Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea:* Quæ sententia pulchrè potest ad Humilitatem applicari, ut quæ ab omnibus suprà enumeratis periculis libera est.

§. XIV.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Joseph.l.6. antiq.17. c.14. I. VAlde considerabile est, quod Josephus Hebræus de Archelao Herodis filio refert, nimirum, quòd, cùm is de gravibus quibusdam delictis apud Imperatorem accusatus esset, quorum idem nonnullorum quidem judicio reus, aliorum verò sententia innocens esse judicabatur; verùm ex mente eorum, qui causæ illius examinandæ præfecti Judices erant, vera existimabantur delicta ab illo patrata, etiam illa, quæ eidem per calumniam fuerant imposita: Et quidem ob hunc præcipuè respectum credibilia videbantur, scilicet propter naturam suam, quòd fieri posse judicabant à juvene tam accenso regnandi cupiditate. Unde Didacus Stella optimè hunc in modum scribit: Est adeò detestabile vitium ambitio, ut ex ejus cupiditate quodvis malum possit præsumi; nullum est flagitium, quod ambitiosus facere non tentet.

Hugo in c. 2. Io. II. Hugo Cardinalis optimè notat, quòd Salvator noster quantumvis aliàs mitis & mansuetus fuerit attamen in ejiciendis templi profanatoribus, & specialiter quidem in expellendis bobus, qui ibidem ad sacrificandum vendebantur, tanto fuerit indignationis motu correptus, ut hoc facinus propriis manibus suis exequi non dubitaverit; Bos est animal ordinatum ad laborem, & significat illos Simoniacos, qui promittunt & exhibent laboriosa servitia pro præbendis: adducitque præfatus Cardinalis illum Proverbiorum textum, quo dicitur: *ubi non sunt boves, præsepe vacuum est, ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis;* Ambitiosi enim velut indefessi boves esse videntur, quotiescunque tam de temporalium bonorum lucro, quàm de honorum assecutione agitur. Unde Chrysostomus ait: Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, multaque machinaris; pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam putâsti ambitu humano parari donum Dei: quibus verbis de muniis seu officiis loqui intendit.

Mansi disc. 4. n.9. III. Axioma vulgatum, quo dicitur: Honores mutant mores, adeò verum est, ut S. Paulus ad Ephesios scribens, déque Christi in cœlos Ascensione tractans, specialiter nos etudiat, Christum etiamnum, dum ad æterni Patris sui dexteram cum tanta Majestate gloriosè consideat, eundem prorsus nihilominus sine ulla sui mutatione perseverare: *Qui ascendit, ipse est, qui descendit.* Verùm dicat aliquis: quænam esse poterat dubitandi ratio, ob quam dubitari poterat, num Christus ad dexteram Patris residens idem sit, qui antea in carne passibili vivens erat; Ratio illius hæc est, quia nimirum inter nos ita fieri videmus, ut ad honores evecti non jam sint ampliùs iidem, qui antea, sed potiùs faciem, mores & affectus suos prorsus in diversos à prioribus commutent.

Mansi disc.6.n.9. IV. In statua à Nabuchodonosore visâ pulcherrimum quoddam observandum est mysterium. Sicut enim Deus in statua illa Monarchiarum repræsentat honores & præcellentias, ita quoque eodem tempore easdem proponit, ut præcipitio proximas; *Abscissus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inventus est eis.*

eis. Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait: ſtatuam percutit in pedibus, quando majores aliquos in ſæculo, qui mundum videbantur ſuſtinere & portare, dejicit in paupertatem vel mortem.

S. Greg. l. 16. mor. c. 5.

V. Valde conſideranda ſunt illa Oſeæ verba: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Etenim hæc eſt aquarum omnium naturalis conditio, quòd, quando obortis tempeſtatibus intumeſcunt, ſeſèque in altum erigunt, in littore, quod allidunt, ſpumas illas protinus gignant, quæ aquæ ex igne effervescentis videntur eſſe bullitus; porrò intumeſcentes hæ aquæ Dominiorum & Imperiorum ſunt ſymbolum, in quibus ambitioſi totaliter evaneſcunt: hæc autem dominia inſtabilia ſunt, ad eumque modum, quo ſpumæ, velociter disparent. Quod & S. Gregorius optimè confirmat, dum ait, per hanc ſimilitudinem nobis inſinuari, quòd dignitates & honores hanc habeant naturalem proprietatem, quòd etiamnum vix emicantes ſubitò evaneſcant: ſic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eò celerius diſruptæ depereunt, quò inflata citiùs extenduntur, cùmque excreſcunt, ut appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant.

1. Mach. c. 13.

VI. Simon Machabæus ſuper ſepulchro demortui glorioſi Patris ſui naves quasdam exſculpi fecit, ut hac ratione unusquisque naves haſce cum aliis poſſeſſorum honorum inſignibus conjunctas videns, inde honorum mundi hujus inſtabilitatem tantò clariùs agnoſceret: naves enim in maximè volubili elemento continuò fluctuant, adeò ut nunc deprimantur usque in abyſſum, mox verò ad ſtellas usque evehantur: Legantur magnifici illi applauſus, quos in Saluis primi Iſraëlitarum Regis electione univerſus populus Iſraëliticus edidiſſe ſcribitur: *Et clamavit omnis populus, & ait: vivat Rex!* poſtquam verò omnes ipſum adorâſſent, dimiſit Samuel omnem populum ſingulos in domum ſuam: at verò vix pedem ſuum pro adeundis domibus ſuis moverant, cùm ecce mox adverſus eum quædam rebellionis ſpecies excitata fuit: *Filii Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum.*

Tertull. l. de pallio. c. 2.

VII. Tertullianus unico verbo, eoque valde ſignificante & expreſſivo ambitionem deſcribit, dum illam verſiformem appellat. In Iſaia quoque ſcribitur: *Ecce gentes quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* Sapiens ſimiliter ait: *tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Arabicus loco ly momentum, legit, tanquam depreſſio linguæ bilancis. At verò ſcire percuperem, in quonam illa, inter dominium, quòd obtinetur in ſubditos, & ſtateram, ſive roris antelucani guttam, conſiſtat proportio; quidnam enim ſtatera, quæ ad emendum & vendendum facta eſt, commune habet cum ſceptris & Dominiis? pro reſponſione notandum eſt, quòd bilances eriguntur, & deprimuntur, aſcendunt ſurſum, & deſcendunt deorſum: idem quoque in conſpectu DEI fit, quoad honores mundi hujus; quos enim ſuperbi procurant, & ambiunt honores, nunc aſcendunt, paulò poſt deſcenſuri. Hunc continuò ludum ludimus, rotam &c.

Iſa. 40, 15.

Sap. 11, 22.

Manſi diſſ. 7. n. 12.

VIII. Dominus Deus noſter Aaronis ſummum ſacerdotium prænuntiare volens, id ipſum floreſcenti quâdam virgâ mediante præſtitit: *Invenit germinâſſe virgam Aaron:* at verò haud importuna hoc loco moveri poteſt quæſtio, cur ſcilicet non potiùs ad hunc effectum oraculo, quo in Arca dari ſolebant deſiderata reſponſa, uſus fuerit, aut verâ revelatione quadam Moyſi ſpecialiter facta? Nimirum Deus, qui omnia in ſapientia fecit, Aaroni per hoc inſinuatum eſſe voluit, ut ſupremam illam dignitatem haud ſecùs labilem atque fugacem eſſe agnoſceret, ac labilis eſt ſpecies ſeu pulchritudo elegantiſſimi floris, qui manè in lucem editur, & veſperi efflореſcit, & interit: Ut ſummam haberet humilitatem, ſciens commiſſum ſibi florem poteſtatis.

S. Ambroſ. c. 4. in Luc.

IX. Divinâ quoque diſpoſitione factum eſt, ut, quando Lucifer Chriſto omnia totius mundi regna obtulit, & ſpectanda propoſuit, idipſum in unico duntaxat momento factum fuerit: ita enim expreſsè S. Lucas ſcribit: *Oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Ubi S. Ambroſius ita ait: Benè in momento temporis ſæcularia & terrena demonſtrantur, non enim tam conſpectu celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſæculi abiit, antequam venerit.

Theodor. orat. 3. in Dan.

X. Theodoretus ingeniosè prorſus conſiderat, quòd quatuor nobis in Scriptura Sacra repræſententur ſtatuæ aureæ, quarum prima fuit vituli aurei, quem ingratus ille Dei populus in Oreb adoravit: Secunda fuit Samaritanorum ſtatua aurea ſub Jeroboam erecta: Tertia Babyloniorum pariter aurea: Quarta verò Nabuchodonoſori Regi in ſomno commonſtrata fuit, non quidem totaliter aurea, ſed partim ex auro, partim etiam ex argento, ære, ferro, & terra coagmentata: Verùm dic ſodes, quodnam in eo putas latere myſterium, quòd tres primæ totaliter aureæ fuerint, absq; ulla alterius metalli interveniente mixtione: quarta verò ex aliis metallis diverſis: auro multùm inferioribus mixta, imò & ex terra & luto compoſita fuiſſe dicatur? Nimirum ſtatuæ iſtæ dignitates præfigurabant humanas: Et quidem tres ſtatuæ hominum manibus fuêre fabricatæ, atque ex puro auro fuſæ, quia homines omne id, quod in Magnatibus ſplendet, oculosque intuentium ad ſe rapit, aurum eſſe ſibi imaginantur, cùm tamen in oculis & judicio Dei revera ita non ſit: ideo namque in ſtatua illa, quam Deus ſuperbiſſimo illi Monarchæ in ſomno videndam præbuit, ſolum caput aureum erat, deinceps verò ſemper ex ignobiliori & indigniori metallo conflata cernebatur, ſiquidem brachia & pectus argentea, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedes verò cretei ſeu lutei erant, ut per hoc innuatur, quòd, tametſi in Principibus verè ſit aurum, argentum, & æs divitiarum, authoritatis, & dominii, hæc tamen omnia in illis ferro, id eſt, hel-

bellorum tumultibus cernantur esse conjuncta, imò & luto infirmitatum multarumque aliarum molestiarum, & inquietudinum, quæ capita coronata divexare & torquere communiter solent.

Dià. Nyss. l. 1. Polit. c. 1.

XI. Quærit S. Gregorius Nyssenus, cur Sancta illa & felix patria, in quâ beati sempiternâ gaudent quiete, vocetur Regnum. Primum quippe sermonem, quo doctrinam suam Magister cœlestis initiavit, (ut auditores attraheret) à tali nomini est exorsus, inquiens: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum:* Matth. 5. *Beati qui hujus vitæ bona temporaria volentes, libentesque propter me dereliquerint, quia in futurâ vitâ Reges erunt, qui hic spontanei sunt pauperes.* An fortè non erat nomen aliud aptius, quo donari posset illa cœlestis habitatio, quàm Regni? Aut non poterat alia re validius, efficaciusque ad se adducere Dominus, quàm unâ pollicitatione regni?

Ibid.

XII. Non infirmum huic veritati ministrabit suffragium Hugo Cardinalis, cujus ea est observatio, quòd sacrorum fastorum scriptor, cùm plurima de multorum populi Hebræi Regum gestis, & moribus dixit, talibus verbis narrationes ferè singulas absolvere solet: *veruntamen excelsa non abstulit*; quod 3. Reg. 15. v. 14. & 4. Reg. 12. v. 3. & 2. Paralip. 20. v. 33. & alibi reperias, & hunc habet sensum: Quidquid hic, vel ille Rex fecerit, hoc tamen non fecit, ut loca profana & sacrilega in locis editioribus constructa demoliretur, in quibus turpis cultus de astris, & inanibus dæmoniorum simulachris, ad insignem veri Dei injuriam deferebatur. Hugo ait: de paucis dicitur, quòd excelsa abstulerint. Quamquam nonnullorum Regum virtutes aliquas regia historia memoret, ut Asæ, Joas, aliorumque, descriptiones tamen vitæ penè omnium sic concludit: veruntamen excelsa non abstulit, idolorum aras in montibus, collibus, aliisque sublimioribus locis excitatas non evertit, cùm multa alioquin benè, laudabiliterque gesta post se reliquerit. Soli Ezechias, & Josias communem hanc notam, & reprehensionem evasisse, nec meruisse videntur. Tali quadam censurâ, inquit Hugo, perstringi posse videntur penè omnes totius Mundi homines, atque in iis etiam non pauci, qui virtutibus magis exculti majorem perfectionem sunt assecuti: Ferè omnibus convenit illa exceptio, quæ toties in libris Regum reperitur: *veruntamen excelsa non abstulit.* Sed nec multi Religiosi auferunt hæc excelsa: vix quisquam est, de quo non possit affirmari, quod in libris Regum de Regibus illis plerisque dicitur, hoc unum ferè multis eorum præclarè factis defuisse, quòd excelsa non abstulerunt. Quotusquisque enim est ex omnibus totius orbis terrarum hominibus, si in his etiam exercitatissimos Religiosos, & perfectiores anachoretas recenseas, qui inter quantoscunque virtutum profectus Excelsa cupiditatis dominandi prorsus dejecerit? Ambitionis idolum, & libido imperandi ex loco superiori, supremam animi arcem penè apud omnes obtinet: Ferè omnibus convenit illa exceptio; regnandi appetitus, dominandi aviditas, à primo parente hæreditariò accepta, contagium est tam commune, tam vulgaris pestis, malum tam latè diffusum, ut mortis, quæ nemini parcit, simile videatur. Non relinquit perfectum, non præterit laxum, invadit magnum, tentat parvum, oppugnat pastorem, aggreditur vilem, & vix reperias aliquem, cui caput à vana dominandi cupiditate non intumuerit. Quis tam agrestis paganus, tam sylvestris montanus, qui oblatam Præturæ Virgam non lætus excipiat, non quærat ambitiosus? Cui unquàm displicuit locus sublimis, & sedes superior? Cujus animus exhorruit dignitatem, reformidavit imperium, & fugit præfecturam, non secùs ac Moyses suam in serpentem transmutatam virgam?

XIII. Quærit Plutarchus Problem. 10. istud: *Ibidem.* Quid est, quod Honori aperto capite rem divinam faciunt? Videtur Plutarchus subindicare, Sacerdotes, cùm cæteris diis victimas litabant, tecto id capite fecisse: nisi enim ita esset, non tantum mysterii in eo poneret, quòd Honori, quem ut deum quendam, & numen cæca Gentilitas venerabatur, suos deoperto vertice honores, sacrificiaque offerebant. At cur eâ ad illius deastri cultum utebantur cæremoniâ? Respondet ille: Quia splendidum quiddam, & illustre, & apertum, & latè patens Gloria est. Quando procerum, aut magnatum quispiam plateas obit, non illum omnes passim nudato capite honorant, sed noti solùm, & quotquot urbani, & comes videri amant: At cùm Rex compita transit, omnes assurgunt, omnes ad regiæ coronæ & Majestatis observantiam, & reverentiam submittunt poplites, nec quisquam est, qui non sibi detrahat pileum. Sic nunc ait Plutarchus: Honori aperto capite rem divinam faciunt, tanquam pluribus dixisset: Reliquis diis, Marti, Veneri, Mercurio tecti capita res divinas faciebant, nam iræ, turpi libidini, immoderato quæstûs studio hic, aut ille, & de toto hominum grege nonnulli tantùm suos animos contradunt, & reverentiæ cultum deferunt; at verò gloriæ, honori, dominatui, imperio, majestati nemo est, qui non detecto se capite submittat: Honori aperto capite rem divinam faciunt, non unus, & alter solùm, non etiam pauci tantùm, aut plurimi, sed omnes. Nam dominandi appetitus tam est insitus velut à naturâ genitis hominum animis, & regnandi cupiditas, & gloriæ, existimationisque præclaræ studium ita corda eorum subigunt, ut vix sunt, qui illorum tyrannidem effugiant, vix qui ab illa contagiosa infirmitate immunes evadant.

XIV. S. Ambrosius describit hominem, *S. Ambros. in ps. 118.* quem peccata omnia pro bonis, sive (ut verius dicam) pro malis, quæ ab iis habuit, tanquàm debitorem in prætorium ad tribunal pertraxerint primùm, dein vero, cùm viderent non esse solvendo, certatim appetierint; sed una vehementius Ambitio invaserit, idque jure majore, & antiquiore, quàm vitia reliqua: Venit libido, inquit ille, & dicit, meus es: Venit avaritia, & dicit: Argentum & aurum,

quod habes, servitutis meæ pretium est. Venit luxuria, & dicit: Meus es; ecce non currentes adversùs debitorem hominem creditrices noxas, ecce litem uni à tam multis intentatam, ecce chirographa, testificationes, indicia, quibus libido, gula, avaritia, luxuria, & vitia certa suarum creditarum rerum tempora, & exactionis Justitiam, æquitatemque asserunt. Sed unam hic ex omnibus peccatis ambitionem desidero. Ubinam illa hæsitet, aut quî fiat, quod illa, quæ scelerum princeps est, & creditrix facilè primaria hominis, nihil ab illo suum repetat? Illáne verò absit, ubi homo talium debitorum nomine incursatur, & nihil exigat? Audite, quid Sanctus Mediolanensium Archiantistes inquiat: Venit ambitio, ait ille, & dicit: Planè meus es, neque opes tantùm tuas, sed & teipsum, quantus quantus es, magno & notorio jure mihi vendico. Nonne videtis, quo juris discrimine, & quàm imparibus verbis, ac meritis, hominum sibi vitia adscribant? Nam cùm cætera dicant simpliciter, Meus es; solâ ex omnibus ambitio fidentiùs loquitur, & audacter affirmat: Planè meus es, manifesto, indubitatoque jure ad me spectas, nemo æquè ac ego, te sibi arrogare potest, luculentioribus testimoniis, quàm mihi, non es obnoxius, devinctu que alteri ulli. Hinc videas, quàm liberè, & clarè hic loquatur ambitio. Tametsi enim peccata reliqua, libido, gula, avaritia, maledicentia, & quæ sunt hujus generis alia, convenire hominem, & dicas ei scribere possint, sed nulla fronte apertiore, quàm ambitio; nulli enim vitio ita succumbit homo, ut illi, nec ab ulla æque opprimitur passione, ut ab una dominandi aviditate.

Nyss. l. c. XV. Hujus dicti veritatem, & cupiditatis vim, potestatemque satis indicarunt duo infantes, qui intrà uterum matris positi confligere cœperunt. Primus indè prodibat Esau, & Jacob, velut jam tunc intellexisset fore, ut ab eodem sibi præriperetur & primogenitura, & paternæ domûs locus dignior, à quo præverteba tur exitu celeriore egrediens, plantam fratris tenebat manu. Gen. 25. v. 25. Esau in pedes se conjiciebat, ut fratrem cursu præveniret: Jacob autem manum alteri pedum illius injiciebat, ut moras abscurrere volenti afferret, & præoccupare illum posset. Primatum namque ambire, & nolle ab alio quoquam anteverti, tam est naturale homini, ut, quando etiamnum aliud nihil scit, jam hoc noverit, quomodo primarium locum quærere, & cavere debeat, ne quis illum alius dignitate aut gradu antecellat. In hac sententiâ est Oleaster, quam talibus verbis expressit. Non mirum, si tanta pro primogenitura sit inter fratres disceptatio, postquàm videmus, quæ pueri faciant propter hoc. Prorsus nihil novum, quod fratres adultiores de imperio corrixentur, & pro dominatuum administratione altercentur, quando & pueri nondum in lucem editi tam acriter, ardenterque de primatu, & dignitate dimicant.

Idem peri-och. 3 Dom. 16. post. Pentec. XVI. Ut Abrahæ solidam erga se fidelitatem promptamque obsequendi voluntatem toti mundo testatam Deus faceret, hæc ei quondam imperabat: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*, Gen. 22, 2. Oleaster hoc loco aliquid notavit dignissimum observatu, nempe quod Deus Pater solum Filium suum voluit de ambitione Monarchiæ mundi tentari, cùm ei dæmon regna mundi semel omnia obtulit, quod scierit, apud illum solum nihil obtenturam hujusmodi tentationem. Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illâ tentari, inquit ille, velut dixisset Dominus: Tentare possum Abrahamum sacrificio filii, qui illi unigenitus est, neque tam charus tamen, quin pro me facilè victimam mactabit. Possum alios tentare ærumnis, explorare, & exagitare adversis; atque ea illi propter me animo æquo, & magno ferent. Monarchiarum verò & amplissimorum honorum oblatione neminem tentabo, nec enim quisquam est, qui regnandi ambitum superare, & opprimere possit, Filio meo hic servatus triumphus, solâ illum ea expectat victoria, qui solus aspernari imperia, & calcare Monarchias posse videtur. *Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi Monarchia, eum solum voluit illa tentari.*

XVII. Quærit Abulensis, quam ob rem Christus, qui vivam omnium virtutum imaginem de se nobis exhibere potuit, atque ad earum exercitationem sæpe exhortari solitus fuit, solius mansuetudinis, & humilitatis prototypon se nobis præstituere voluit dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Loquebatur alibi de jejunio, & quamquam ipse quadraginta dies, totidemque noctes ineusus transmisisset, solùm dicebat: *Tu autem cùm jejunas, &c.* Matth. 6, 17. neque ait: Discite à me jejunare. Lucæ 6, 12. *erat pernoctans in oratione Dei*; cumque studium ejusdem rei tam utilis, & ex qua salutis nostræ momenta plurimùm dependent, persuadere nobis vellet, hoc solum ait: *Tu autem cùm oraveris, &c.* Matth. 6, 6. neque dicit: Discite à me, qui totas orando noctes exegi, quomodo rectè precari debeatis. Rursum cùm sit ipsa liberalitas, ut nos ad largitatem excitaret, inquit: *date eleemosynam*; Lucæ 11, 41. & non ait: Discite à me munificentiam, cujus tanta est benignitas, & liberalitas. Idem est de reliquis virtutibus. At quid causæ, quòd solius humilitatis formam à se desumi voluit? Respondit magnus Doctor q. 66. in c. 11. Matth. dicendum, quòd hoc fuit, quia Christus dixit, Discite à me: ipse autem ostendebatur sicut perfectissimus, in viro autem perfecto non est magnum, quòd non sint, quæ ab omnibus ut vitia reputantur. Qui meritis vitæ sanctioris aliis præit, & ad altiorem virtutum gradum evasit, non debet gloriæ ducere, quod vel absque vitiis sit, quibus inquinati sunt alii, aut virtutes habeat nec alias, nec majores, quàm cæteri. Vincit quispiam gulam, & jejunat, quid ille magnum facit? Amat alius orare, quid hoc mirum in misero, & egentissimo Dei mendicabulo? Alius in pauperes stipem erogat, quid eâ in re arduum,

Ibid.

dium, atque operosum? sed illam famem gloriæ, illam imperandi sitim extinguere, & repudiare dignitates, & calcare obvia sceptra, & per humilitatem cordis proclivem ad pompas animum coërcere, ut ne sursum tendere cupiat, hoc eximium quiddam, & æternâ famâ dignum facinus est. Quod secum reputans Christus, ajebat: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*; Magnus enim Magister, & vir perfectissimus hoc solum laudi sibi ducere debet, quòd dicat, & faciat magna, quibuscum comparari nequeant, quæcunque ab aliis vel dicuntur, vel fiunt.

Idem per L. in fer. 4. post Dom. 2. quadrag.

XVIII. Plutarchus author est, coiisse quondam Philosophos, ut unum quoddam communiscerentur nomen, quòd homini, nativæque ejus proclivitati quàm maximè conveniret, & post diligentem consultationem non occurrisse aptius, quàm ut græcè φῶς appellarent, quod latinis Lux dicitur. Rationem verò nominis affert Plutarchus in Moral. l. 2. talem: Opinor autem dictum à luce, propterea quòd omnibus vehemens quædam insita sit cupiditas innotescendi. Prudentissime lucis nomine donârunt hominem: ut enim ea in omnes partes diffunditur, nec rimulam præterit, per quam non se insinuet, ita homo, ut plurimùm amat videri & eminere, & superior esse aliis, sic nullam prætermittit occasionem, quâ primatum obtinere sperat: Neque hoc admodum miror; hanc enim ab ipso matris suæ utero ostendit propensionem. Versabatur S. Petrus Chrysologus in consideratione maturationis, quâ fœtus naturæ vinculis eximi, & maternæ alvi prodire angustiis festinat, sic ut constituti temporis terminos prævertere soleat, septimoque sæpe mense erumpere, neque nonum aut decimum exspectare. Quid causæ est, quærit Chrysologus. Illud, quòd versari in luce, & innotescere amat, & expetit: Disruptis temporum moris, inquit ille serm. 56. & rudi latrocinio, & fractis viscerum claustris, repentina vivendi lucra quærunt, & rapiunt nascituri. Tam ardenter expetunt homines esse illustres, & conspicui.

Ibid.

XIX. Potuit David Saulem, cùm eum in antro invenit, obtruncare, & ita potiri regno. Sed abstinuit à cæde manum, Deique providentiæ omnia reliquit. Postquam tamen speluncâ egressus est Saul, vocibus illum prosecutus, omnium, quæ acciderant, certiorem fecit, dicens: *Considera, & vide hodie*; tanquam ex S. Joannis Chrysostomi Commentario hom. de David & Saul. tom. 2. dixisset: Nihil loquor de anteactis, mihi ad probationem satis est hæc dies, nolo vetera mea in te officia, quæ nec parva sunt, neque pauca, commemorare, quando id, quod hodie à me factum, mei in te animi testis esse locupletissimus, luculentissimusque potest. Quare autem dies illa poterat testatissimam facere sanctitatem, & integritatem Davidis, suprà, quàm ea, quæ diebus cæteris fecerat? Nimirum illâ die adire regnum Saulis potuit, dum vitam illi adimeret, modò voluisset. Quòd verò homo sursum evadendi occasionem prætermittat, & nactus imperii adeundi occasionem negligat, id sanctitatis omnium maximæ, & consummatissimæ virtutis indicium est.

Damnum.

XX. Cùm Redemptor noster cum Apostolis suis de passione & morte sua jam imminente familiariter dissereret, ecce protinus duorum illorum ambitiosorum fratrum mater coram Christo se statuens, arrogantem illam porrexit supplicam: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, alter ad sinistram in regno tuo.* Ac proinde valde notanda est dictio illa, *Tunc*, quâ S. Evangelista hanc recensens historiam utitur, dicens: *Tunc accessit*: id est, ex illo Salvatoris de amarissima Passione & morte sua habito discursu, occasionem sumpsit, supplicationem hanc Christo porrigendi pro filiis promovendis. At verò quamnam patibulum crucis cum throno regio, sceptra cum clavis, chlamys regia cum lacerata, sordida, & obsoleta purpura, corona spinea cum diademate regio proportionem habet? Etenim verò aliud ad huic difficultati respondendum non occurrit, præterquam trita illa S. Bernardi sententia. O ambitio, ambientium Crux! Etenim incarnata sapientia specialiter ita dispositisse videtur, ut hæc mulieris & filiorum ambitio, cùm Christi tormentis concurrerent, ut indè omnibus manifestum fieret, quod Regum throni & imperia gravia sint, eos admodum torquentia, animorumque patibula.

Manss. diss. 9. n. 1.

XXI. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: Porrò fulgura & fulmina, balistæ cælorum dici possunt: & ideò, quando Christus dicit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*, idem est ac si diceret; superbus ille & arrogans de cœlo in terram, instar alicujus è balista ejaculati fulminis, præcipitatus fuit, in signum, quòd omnes suos conatus in id duntaxat directurus esset, ut mediante ambitione rixas, discordias, & contentiones jugiter seminare posset. Inter superbos (inquit sapiens) semper jurgia sunt. Did. Stella illa S. Lucæ verba; facta est contentio inter eos, quis eorum videretur major, ponderans, ita scribit: Habes hic, ex quo fonte bella & dissidia oriuntur, nempe ex ambitione. Hæc fuit causa, quòd Romani totum orbem maculârunt sanguine humano. Imò, quod valde deplorandum est, discordiæ, rixæ, & dissensiones etiam inter Prælatos Ecclesiasticos propter præcedentiam, quam ambiunt, sæpenumero locum habent. Unde Salmeron ait; omnis in Ecclesia Dei tentatio & altercatio de sedium est primatu & eminentia: Videas enim Principes hujus Mundi de loco certare inter se, & cum Ecclesiasticis: Videas Ecclesiasticos de eâdem re contendere: videas etiam interdum ipsos Religiosos, qui Mundi contemptum profitentur, contentiosè inter se de honore loci decertare.

Salmer. to. 4. tr. 27.

XXII. Ingeniosa prorsus est illa Hugonis Cardinalis observatio, nimirum quòd Salvator noster in die Purificationis Mariæ ab eâdem Matre sua delatus, seu portatus fuerit Hierosolymam: in fuga sua, qua Herodianam declinavit sævitiam, abvectus fuerit in Ægyptum, ac

Hugo in c. 2. Luc.

denique jejunans in deſerto delatus fuerit ſupra templi pinnaculum. Porro per Hieroſolymam vita Contemplativa deſignatur, quæ pace fruitur & quiete altiſſima; Ægyptus verò vitam præfigurat Activam, quæ turbationibus & inquietudinibus intimè eſt conjuncta. Joan. 16. In Mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem. Deſertum denique, Religionis figura exiſtit, in qua vita in ſanctæ ſolitudinis receſſu traducitur, & dæmon continuis victoriis ſubjugatur. Mons verò altus, in quem Chriſtus à dæmone translatus fuit, ſuperioritates denotat, & prælaturas; templi verò pinnaculum, ſedem denotat ſeu cathedram Magiſtralem, ex qua per Sacerdotes erudiebat populum. In his quinque locis (verba ſunt præcitati Eminentiſſimi Cardinalis) eſt Jeſus, id eſt, ſalus; unde in his locis quærendus eſt Jeſus, ſed unde quis portavit Jeſum, & in Jeruſalem, & in Ægyptum, & in deſertum? & quis in montem, & in pinnaculum? Porro Hieroſolymam Chriſtus deportatus eſt per S. Joſephum & Beatiſſimam Virginem: in deſertum deductus eſt per Spiritum Sanctum: ductus à Spiritu. In Ægyptum, & in Jeruſalem Stella maris, & Augmentum, Fides & Charitas: Spiritus autem Sanctus duxit eum in deſertum: In montem verò, & ſuper pinnaculum duxit eum diabolus: ideo timendum eſt tam Prælatis, quàm Magiſtris, ne eos diabolus in montem Prælationis portaverit, & iſtos in ſedem Magiſtralem: Cæſarii etenim Arelatenſis veridica ſententia eſt: quisquis ſuperbus eſt, dæmone plenus eſt.

Manſi diſc. 3. n. 4. XXIII. Primus Chriſti in terra Vicarius, qui tantas de Chriſto ad mortem uſque conſectando, futuræ fidelitatis & conſtantiæ ſuæ promiſſiones fecerat, pedem ſuum aulæ Caiphæ vix intulerat, quando è veſtigio Chriſtum Magiſtrum, & Dominum ſuum eſſe, turpiſſimè negavit. Unde gloſſa optimè dicit: Non in monte, non in domo ſua, non in templo Petrus negat, ſed in Prætorio Judæorum, in domo Principis ſacerdotum, ubi non eſt veritas, ubi Chriſtus eaptus & ligatus eſt. Hugo Cardin. ſimiliter ſcribit: Petrus ſemel intravit curiam, & ibi vigorem animi perdidit, & Chriſtum negavit: quid ſi diu permanſiſſet in curia? Quinimo addendum eſt inſuper, Petrum aulam ingreſſum fuiſſe Principis ſacerdotum, phreneticâ illâ ambitionis febri minimè ardente, quin potiùs cum intentione Chriſtum in ipſam usque mortem conſectandi, & defendendi, & tamen adeò fuiſſe ignominiosè prolapſum; ac proinde cogitare, quantò faciliùs & probroſius lapſuri ſint illi, qui ibidem non alio fine commorantur, quàm ut ad ambitioſarum prætenſionum ſuarum metam tandem aliquando pertingere poſſint. Advertendum quoque eſt, Petrum aliis mediantibus in Pontificis domum fuiſſe introductum: *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris; exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Quo in facto Petrus illos præfigurâſſe perhibetur, qui ad honores admittuntur, vel Eccleſiaſtica aut temporalia munia conſectantur, per viam ſolius alieni favoris, per viam autem meriti minimè promoventur: hi etenim in millena præcipitia corruunt, eò etiam usque, ut ipſum quoque Chriſtum per quotidiana ſcandala pernegent; Nullibi enim Chriſtus (quod bene advertendum eſt) tot fuit in juriis, colaphis, ſannis, flagellis, ſpinis, aliisque diverſis impropriis & tormentis affectus, quemadmodum in Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis, (qui omnes Magnates & Principes fuêre) maledictis aulis. In aulam quoque, muliere mediante, introductus fuit: *Dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum*; quia nonnunquam etiam per ſimiles mediatrices in dignitatum culmina conſcenditur. Hugo quoque Cardinalis de Petro inſuper notat, quòd etiam non ibi, ſed foris pœnituit, & egreſſus foras flevit amarè; quaſi Evangeliſta dicere vellet, quòd, quamdiu homo in ambitionis culmine conſiſtit, pœnitentia ne quidem per umbram aditum habere poſſit.

XXIV. Petrus Bleſſenſis in ea eſt opinione, quòd Etymologia hujus dictionis, Curia, de- *Petr. Bleſſ. ep. 6.* rivetur, à nomine Cruor, quaſi totum ambitioſorum aulicorum negotium nulli alteri rei intenderet, quàm ut unus alterius eruat oculos, vel ſanguinem effundat. Scholiaſtes Terrulliani à Baëza relatus, olim vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem fuiſſe, ſcribit, dandi in Miſſa pacis oſculum cunctis præſentibus, præterquam aulicis; cujus hanc protinus rationem ſubnectit: circumferatur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter aulicos, quos inanimes eſſe & pacificos non ſinit ambitio. Et hinc eſt, quòd S. Bernardus ſuperborum implacabilis perſecutor & hoſtis, ita ſcribat: Diſplicuit mortalibus angelica illa partitio, quâ Gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, & quia gloriam uſurpant, turbant pacem.

XXV. S. Bernardus in libris de conſideratione ita ſcribit: Clauſtrum quosdam malos recipit, quos ut plurimùm bonos efficit; at curia bonos faciliùs recipere, quàm facere conſuevit. *S. Bern. l. 4. de conſid.*

XXVI. S. Bernardinus Senenſis nonnullos conſiderat ſcopulos, in quos nos dæmon impingere facit, ut ſic eos, qui ad dignitates ſublimantur, in multa ruere vitia faciat, bonosque eorum mores corrumpat: mentes enim, inquit, quæ non ſunt multis virtutibus habituatæ & roboratæ, citò deficiunt, ex multa diſtractione diſtrahuntur ab adulatoribus, qui circumſtant: nemo talium magnatibus aperit veritatem, nemo ſinit eos cernere peccata ſua, ſed in illis laudantur: Adducitque illum pſalmi textum: *Aſcendunt usque ad cœlos, ſcilicet per gloriam & honorem: & deſcendunt usque ad abyſſos, per multiplicationem gravium peccatorum.* Moxque rationem reddit ex eodem Pſalmiſta hujus tam turpis in peccata præcipitii. *Anima eorum in malis tabeſcebat*, id eſt, in peccatis reſolvebatur. *S. Bernardin. to. 1. S. 50. a. 4.*

XXVII. Idem thronum Darii Regis regium ſeptem gradibus conſtantem nobis deſcribit: Omnes autem hi gradus ex variis erant lapidibus pretioſis confecti, præter ultimum. Ea ipſiſſima Sancti hujus Scriptoris verba: *Rex Darius fecerat ſibi thronum de auro, & per ſeptem gradus aſcendebatur ad eum; primus erat de Amethyſto, ſecundus de Smaragdo, tertius de* *Idem to. 3. S. 25.*

de Topazio, quartus de Granato, quintus de Adamante, sextus de Auro, septimus de luto; Magis autem, dicat fortasse aliquis, necessarium videbatur, ut gradus ultimus, utpote Majestati regiæ proximæ vicinus, omnium esset pulcherrimus & pretiosissimus; cur igitur ex luto sive cretâ fabricatus fuit? Respondeo igitur, id factum esse, ut per hoc Principibus viris insinuaretur, quòd, quantò sunt potentiores & formidabiliores, tantò quoque majores patiantur insidias, ipsíque morti viciniores existant. Vel etiam dici potest, ita factum esse, ad denotandum, quòd eo tempore, quo quis ad altissimum honoris gradum usque pervenit, tunc inconstans fortunæ rota communiter vel maximè mutari & gyrare soleat, ita, ut, qui antea consistebamus in vertice, mox mutato fortunæ statu jaceamus in luto, cunctorumque pedibus conculcemur.

Fuga.

S. Bern. ep. 42.

XXIIX. Moyses, utpote existimatus genuinus filiæ Pharaonis filius, & hæres Regius, quadraginta annis in ejusdem Pharaonis regiâ, regni moderatus est sceptra, demum verò in sylvestribus Madian se abscondit, ibique totidem annis ovium gregibus pascendis intentus fuit, donec tandem ab altissima Majestate divina populo Israëlitico quidam Dei Locumtenens Generalis præfectus fuit, at verò postquam honorificentissimo hoc munere insignitus esset, audite, qualiter sub hoc onere ingemiscens lamentatus fuerit: *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Quis obsecro novum hunc in cunctis sæculis inauditum sermonem non obstupescat? Variæ quidem quotidie audiuntur humani generis querelæ, dum varii se à Deo abjectos existimantes, mœsti vivunt ac tristes, eo quòd in statu humili semper perseverent; nemo enim est, qui in hominum existimatione esse, & honorari, authoritateque ac Dominio præfulgere non diligat; Et tamen Moyses à Deo ad honores subvectus contrarium sentit, dicens: *Cur afflixisti &c. quare non invenio gratiam coram te?* Ambitiosi gratiâ Dei se excidisse arbitrantur, quando ad Mundi Gloriam non subvehuntur; Et tamen iis, qui verum lumen, cælestiumque bonorum notitiam habent, verissimum est, quòd honores onus secum graviissimum adferant, sub quo consequenter miserè ingemiscunt. Unde optimè S. Bernardus scribit: Meditantibus honores blandiuntur, sed onera pensantibus tœdio sunt atque formidini, non autem omnes capiunt hoc Verbum; multi enim non tantâ fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Porro Moyses sub hoc sibi à Divina Majestate impositio onere lamentans, hanc planctûs sui reddidit rationem: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo?* Universam, obsecro, scripturam sacram pervolvite, nec tamen unquam Moysi hoc â Deo impositum fuisse præceptum reperietis, ut populum hunc sibi commissum inter brachiorum suorum amplexus, imò & sinu suo portaret, quin potiùs eum jussu divino Generalem populi sui ducem factum esse, eique eundem gubernandi authoritatem, Dominiumque collatum fuisse deprehendetis; cur igitur mandatum sibi esse ait, ut ipsos in sinu suo portaret? scitisne quidnam ad hoc responderi debeat? nimirum idem prorsus esse, dicere, Moysen Israëlis Dominio & gubernaculo fuisse admotum, quàm ipsum erga populum hunc patris, matris, & nutricis officium exercere jussum fuisse, asserere; hoc enim est pondus & onus, quod gubernatori plebis alicujus censetur impositum, ut scilicet se sollicitum erga sibi subditos Patremfamilias exhibeat, eisdem in infirmitatibus suis summâ cum amoris & benevolentiæ significatione subveniendo, abblandiendo, & compatiendo. Hinc etenim factum est, quòd prudentissimus vir ille apud Isaiam, sponte sibi oblatum â populo Regni sceptrum constanter recusarit, dicendo: *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem populi.* Quasi diceret, illi, qui erga sibi commissos paternæ charitatis viscera non habet, qui subditorum necessitatibus sollicitè prospicere, infirmitates eorum curare, eosque, ubi opus fuerit, vestimentis congruis induere & fovere nescit, Imperium etiam sponte oblatum, nequaquam acceptandum esse. Septuaginta loco verborum illorum: *Non sum Medicus*, legunt: *Non ero Princeps.* Pagninus: *Non ero Dominus.* Chaldæus: *Non sum dignus, ut sim caput, aut Princeps.*

XXIX. Nonnulli optimè observârunt, nusquam de Christo Salvatore nostro legi, quod in toto triginta trium annorũ decursu unquam equo aut jumento aliquo usus fuerit, tametsi varia aliàs loca eundo peragrârit: *Pertranssibat benefaciendo*; præterquam in solo & unico die triumphi sui, in quo veluti Rex asino insidens honorificentissimè exceptus fuit; Neque existimandum est, id Christum fortè fortuitò fecisse, siquidem deditâ opera nonnullos è discipulis suis in proximum castellum misit, qui asinam & pullum ligatos solverent, & adducerent, imò expressè adjecit, quòd si quis eorum conatui reluctaturus & jumentorum adductionem impediturus esset, dicerent: quia Dominus his opus habet. Respondetur igitur, quòd, quando Salvatori nostro decretum erat Regis titulum sibi acclamatum admittere, non uno, sed duobus jumentis vicissim seu per vices uti voluerit, asinâ nimirum & pullo ejus, animalibus scilicet naturâ suâ gravibus portandis oneribus destinatis; ad denotandum gravitatem & difficultatem oneris, quod portare debent; qui aliis præsunt & dominantur. *Manss. disc. 10. n. 6.*

XXX. In cujus confirmationem notandum est, quòd, quando Samuel venturo Sauli extemporaneum præparabat convivium, in quo ipsum Regem declaraturus erat, modus quidam specialiter observandus sit, quo Samuel in ferculis appositis distribuendis uti voluit; per hunc namque modum futuro Regi indicatum esse voluit, quòd Regno, ejusque oneribus portandis *Ibid. n. 2.*

humeri ipsius submittendi essent: Dedit locum in capite eorum, qui fuerant invitati, dixitque Samuel coquo; *Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coquus armum, & posuit ante Saul*; Hæc autem carnis portio à Propheta à Deo illuminato, Sauli nequaquam casualiter proposita fuit, quia idem Propheta mox subjungit: *Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi*; *& comedit Saul.* Nequaquam dubito, quin curiosi sitis ad intelligendum, quænam sit inter sceptrum & armum seu humerum bovis proportio; atque ideò pro meliori hujus mysterii intelligentia, quandam Gregorii Magni sententiam priùs audite: Tantorum quippe pondera, inquit, sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur; Etenim Propheta Samuel, qui Judex populi erat, Saulem commonitum esse voluit, ut se suosque humeros ad Dominii sibi commissi onus & pondus fortiter portandum bene præpararet; nam juxta verissimam S. Gregorii sententiam, onus sive pondus hoc, non unum duntaxat est, & simplex, sed quot sunt in Regno subditi, totidem quoque onera portanda esse existimandum est: Ea qua sententia evidenter colligitur, quòd, qui majori dominio, copiosiorique subditorum numero præest, is quoque fortiores robustioresque humeros, ut habeat, necessum sit. Unde optimè ad propositum author quidam de Saule tractans ita scribit: quòd, cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad lusum, ac voluptates, sed ad maxima onera ferenda vocari.

1. Reg. 9. v. 24.

Antiq. convival. lib. 1. c. 33.

Idem dise. 12. n. 11.

XXXI. Non defuit, qui indignè promotos ambitiosos homines Ezechielis currui similes esse pronuntiâret; Hic enim currus quatuor facies referebat, quarum prima erat leonis, quia superbus leonis instar ad gradus sublimes violenter ascendit; Postquam verò in editiori loco conspicuus sedet, faciem Aquilæ induit, (hæc enim est facies secunda) adeò altè evolando, ut jam neminem eorum, quibus aliàs familiariter uti consueverat, agnoscat. Tertia facies hominis erat, quia paulatim postquam illo sibi acquisito honore exciderit, iterum se hominem aliis similem esse commonstrat. Quarta facies bovem referebat; quam etiam ambitiosus ille tandem induit, quia omnibus tandem, stolidum & ignorantem ipsum esse, manifestum evadit. Unde majori quàm unquam aliàs ludribtio exponitur. Stultorum exaltatio, ignominia.

Luc. Burg. in c. 20. Matth.

XXXII. Porro advertendum est, quòd, quando Christus perspicuis verbis dixit: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*, expressam fecerit servitutis mentionem. Ubi Lucas Burgensis ait: vobis prorsus addictus, nullatenus liber: Plùs est servum esse, quàm ministrum, nam minister liber esse potest, servus autem totus est Domini sui, quidquid habet in bonis sive naturæ, sive fortunæ, totum addictum est servituti Domini, idque totum in iis superioribus specialiter exemplificat, quibus regimen incumbit animarum: adeò servitio vestro obnoxium se esse sciat, ut quidquid habet bonorum, sive animi, sive corporis, adeoque & vitam suam, ubi fuerit opus, seque ipsum totum impendere debeat, tutandæ saluti vestræ. Porrò priùs dixerat: *sit vester minister*, sed quasi parùm nimis se dixisse videretur, subjunxit: *Erit vester servus.* Unde S. Thomas ambitiosos monet dicens: si aliquis desiderat habere primatum in Ecclesia, sciat, quòd illud non est habere Dominium, sed servitutem; in cujus confirmationem illam adducit ab Apostolo factam declarationem: *cùm essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.* Ac proinde author operis imperfecti valde impensè miratur, neque causam se invenire posse dicit, cur dignitates tàm anxiè, tantaque cum aviditate procurentur: Primatum Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque justum est, neque utile; quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, labori, dolori, & (quod majus est) periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud justum judicem, nisi fortè, qui non credit judicium Dei, nec timet, ut abutens primatu suo Ecclesiastico sæculariter, convertat eum in sæcularem.

XXXIII. Memorandum est, quòd, dum à Pharaone è carcere eductus Joseph à compedibus ascendit ad Thronum, traditumque est ei in universam Ægyptum absoluti Domini sceptrum, simul etiam ab eodem Pharaone Rege catena quædam collo ejus injecta fuerit. Postquam enim dixisset: *Tu eris super Domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet, uno tantùm Regni solio te præcedam*; ut omnem quoque authoritatem, potestatemque regiam ei delegaret, collo torquem auream circumposuit: catenis & compedibus liberâsse eum dicitur is, qui mox collo ejusdem aliam non minùs ponderosam & gravem catenam injecit? Ita profectò res se habet; verùm per hoc insinuare nobis voluit, quòd, licet carceribus exire Josephum jusserit, non tamen per hoc illum ab omni servitute liberum effecerit, quin potiùs eandem novis denuo incrementis adauxerit, dum eidem, in throno collocato, Imperii sceptrum in manus dedit, & ideò catenam collo ejus injecit. Verum quidem est, quod catena hæc aurea fuerit, quia servitus, sub quâ Reges, Principes, & Magnates ingemiscunt, honorifica & splendida est, ut diximus, tametsi Seneca optimè dixerit: Stulti est, compedes suos quanquam aureos adamare. Porrò libertas per collum liberum exprimitur; Et hinc est, quod Deus significare volens populum suum sibi minimè subjectum, dixerit de eo: Duræ cervicis es; dumque se Hierosolymam in pristinam libertatem repositurum esse, promittere voluit, eidem dixit: Solve vincula colli tui, filia Sion; adeoque quod Pharao catenam, quâ antea Josephi pedes obstrinxerat, nunc collo ejusdem injiciat, id nequaquam eâ mente factum esse, ut eum liberaret, sed potiùs, ut eidem tacitus innueret, quòd eâ in dignitate graviori, quàm anteà, servitutis jugo subjectus & pressus esset.

Mansi dise. 16. n. 4.

XXXIV. Quando S. Propheta Elisæus de Elia charissimo Magistro suo loquebatur, qui tanquam sacri Prophetici gregis, caput omnibus

Ibid. n. 6.

bus Prophetarum Filiis ſumma in veneratione erat, edicere ſolitus fuit: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Quibus in verbis illud ſpecialiter notandum venit, quòd Elias uno eodemque tempore currus pariter & auriga appelletur? Quis eſt, qui neſciat, currum & aurigam duas res eſſe inter ſe diſtinctiſſimas? cur igitur reſpectu unius & ejuſdem hominis eadem ſimul unit, & conjungit: Currus viatorum ſarcinas, aliaque viarum impedimenta intra ſe portat, auriga verò currum per loca magis pervia ducit, dirigit, ac proinde imaginari vobis debetis, hanc veram quandam figuram eſſe eorum, qui imperant, & gubernant, hi enim, tametſi leges ſubditis imponendi, eosque, prout illis placet, gubernandi & dirigendi authoritatem habeant, cùm hoc tamen ſtat, quòd eodem prorſus tempore illis neceſſarium ſit, ut pondus ſubditorum portent, miſeriis & calamitatibus ſubditorum univerſalibus & particularibus compatiendo, alimoniæ ſufficientem illis annonam procurando, urbes & oppida fortificando, eisdemque de munitionibus & militum ſufficienti numero proſpiciendo, atque quieti & ſaluti publicæ invigilando. Unde Drogo Oſtienſis ait: Currus Iſraël, & auriga ejus, portas & regis, ſuſtinens & gubernans.

Ibid. n. 7. XXXV. Ex unanimi multorum ſacrorum Expoſitorum interpretatione certum eſt, quòd columna illa, quæ populo Iſraëlitico in deſerto ducis & rectoris loco inſerviebat, cœleſtis quidam nuntius fuerit, ad hunc ſpecialem effectum à Deo cœlitus miſſus: at verò dicito ſodes, quamnam ob cauſam Angelus ille columnæ ſimilitudinem induerit? Nimirum quia columnam ad ædificii pondus ſuſtentandum deſtinatam eſſe ſcimus, ac proinde Angelus ille inſinuare nobis voluit, quod, qui populos regendo, illisque imperando, Dux & Gubernator eſt aliorum, eodem tempore, quo à ſubditis obedientiæ debitum accipit, eosdem quoque portare, & ſuſtentare debeat.

Juſtin. lib. 18. hiſt. XXXVI. Juſtinus hiſtoriam refert, quod per pronuntiatam ab oraculo ſententiam talem aliquando Regem eligendum eſſe, ſtatutum fuerit, qui primus omnium ſolem orientem conſpexiſſet; factumque indè eſſe, quòd omnes ſuos orientem versùs oculos deflexerint, unico duntaxat excepto, qui ut altiſſimorum montium cacumina, quæ omnium primò à ſole oriente irradiari ſolent, aſpicere poſſet, occidentem verſus oculos ſuos defixit, atque ideo quia in ſolis luce conſpiciendâ primus fuit, idemmet votis omnium Rex proclamatus fuit: E qua hiſtoria non ſine rationabili fundamento hæc poteſt deduci optima moralitas, nimirum eos qui dignitatum non orientem (id eſt, delitias, honores, theſauros, imperia & dominia) reſpiciunt, ſed occidentem (id eſt, terminum, in quem tandem in fine reſolvendi ſunt) conſiderant, humilitatem in ſe conſervare, & modeſtiam, ſeque ad illarum legitimam adminiſtrationem meritiſſimos reddere, maximèque idoneos. Unde S. Greg. ait: Lux miſeris datur, quando, qui ſe in hac peregrinatione miſeros agnoſcunt, claritatem tranſitoriæ poteſtatis accipiunt, & tolerare inſuper honoris onera compelluntur. S. Petrus Damianus ſuperbos ad Magnatum mauſolæa ſpectanda hiſce verbis invitat: Ubi ſunt modò tot potentes ſæculi, tot invictiſſimi Reges, & qui cœlo videbantur ſuperextolli, & totam penè Mundi latitudinem ſub ſuæ poteſtatis imperio poſſidere? Nonne ſi ad horum ſepulchra reſpicias, corpus illud, ſub quo Mundus tremere cogebatur, vix unius libræ pondus invenitur.

XXXVII. S. Iſidorus, & alii Patres decreverunt: Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus Antiſtes, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Et paulò poſt ſubjungit; Profectò indignus eſt, niſi fuerit ordinatus invitus. *S. Iſidor. ep. 125.*

XXXVIII. Oleaſter ad dignoſcendum eum, qui imperiis gerendis idoneus ſit, hoc infallibile ſignum eſſe ſtatuit: Quemcunque videris ſub præfectura quaſi onere gemere, crede, illum optime demandatum munus adminiſtrare, quem verò lætum ac gaudentem de hac re conſpexerit, dicito, illum utilitatem & vanitatem in dignitate quæſiiſſe. *Oleaſter in c. 11. Num.*

§. XV.

MISCELLANEA.

Fuga Ambitionis.

I. CUria dat curas; ergo ſi vivere curas,
Et benè ſecurè, non ſit tibi Curia curæ. *Engelgr. in feſto S. Jacob §. 2.*

II. Quid ſub Dignitatibus lateat, recte nonnemo hoc diſtycho expreſſit.

Cur tibi crux triplex, Gregori, triplexque corona eſt? *Idem in Domin. Palm. §. 1.*
Anne ſuam ſequitur quæque corona crucem?

III. Urbanus VII. quoties Amiculum è ſubtili tela ſuperinduebat, alto pectore ingemina-bat: Quis crederet, ſub tam levi ſindone tantùm ponderis deliteſcere! *Ibid.*

IV. De S. Brunone aliquis geminos hos verſus compoſuit: *Anon.*

Oblatum renuit ſibi Bruno Pontificatum,
Cernens, eſſe ſtatum Magnatum rarò beatum.

Damnum.

V. Phavorinus Philoſophus ajebat ambitioſos eſſe partim ridiculos, quod ad majora aſpirarent: partim odioſos, quod ea conſequerentur: partim miſerabiles, quod ſpe ſæpiùs fallerentur. *Stobæus Serm. 2. de Provid.*

VI. Timon verò vocabat Ambitionem & Avaritiam Elementa malorum, eò quod ex illis omnia vitia, perinde ut omnia mixta ex Elementis, generarentur. *Idem Serm. 8. de Inſtit.*

VII. Rectè de honoribus vitandis monuit Ovidius. *Ovid. l. 1. Triſt.*

Vive tibi, quantumque potes, præluſtria vita:
Sævum præluſtri fulmen ab arce venit.

VIII. Alphonſus Rex Aragonum Aſinos dicebat melioris eſſe conditionis, quàm Reges, ſiquidem illis Clitellæ quandoque à dorſo auferantur, his nunquam. *Faber. conc. 1. in feſto S. Jac. n. 1.*

IX. Carolus Quintus Bruxellis Principatum *Ibidem.*

Belgii

Belgii in Filium ſuum Philippum ſecundum deponens cum lacrymis dicebat: O Fili, magnum tibi onus impono.

Ib.n.2. X. Eremicola quidam Juvenis cuipiam cognato ſuo ad Epiſcopatum poſtulato præcepit, ut ſuper menſam primùm, dein in plana terra jacens, aliquoties ſe revolveret, & quænam volutatio ſecurior eſſet, inde colligeret. Quâ inſtructione eruditus Juvenis cum Epiſcopatum utpote periculis plenum refugiſſet, poſtea poſt mortem Inſtructori ſuo gratias agens apparuit, dixitque: Scito Pater, quoniam nunc eſſem de numero Damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum.

Ibid.n.3. XI. Robertus Holkot Ambitionem Equo Hiſtrionis cujuſdam comparabat, qui doctus ab eo fuerat genua ſubmittere, quoties ille: *Flectamus genua*: dicebat; iterumque ſurgere ad verbum *Levate*. Quem cùm Famulus ei ſurripuiſſet, ipſe eum inſecutus ad equum in medio fluminis conſiſtentem ſolita verba: *Flectamus genua*: pronunciavit; quibus auditis Equus ſe & ſeſſorem aquis immerſit, & ad verbum *Levate* iterum ſurgens, ſine Famulo ad Herum recurrit. Sic enim & mundus joculatur cum Ambitioſis & ludicrè honorem oblatum repetens Poſſeſſorem cum ignominia deponit, unde Boëtius in perſona mundi ſic talem Ambitioſum alloquitur: Aſcende, ſi placet, ſed eâ lege, ut ne, cum ludicri mei ratio poſtulat, deſendere injuriam putes.

Ibid. XII. Dionyſius Rex Siciliæ Damocli aſſentatori Beatum ipſum prædicanti Beatitudinem Regum demonſtraturus in ſella juxta menſam ſelectiſſimis cibis inſtructam collocari, ſed ſimul è lacunari nudum gladium è ſeta equina ſuper caput pendentem imminere juſſit, ut ex hoc facto colligetet, in quanto ſemper timore periculoque verſarentur Reges & omnes alii in honoribus conſtituti, quamque omnes eorum deliciæ & felicitates per hunc timorem corrumperentur & faſtidium generarent.

Apud Fab. l.c. XIII. Etiam illud Ambitioſos non parùm vexat, quod Seneca his verbis expreſſit: Ambitioſo non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre, quàm aliquem ante ſe habere moleſtum.

Juvenal. Sat. 10. XIV. Rectè quoque cecinit Juvenalis:

Quid Craſſos, quid Pompejos evertit? & illum,
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.

§. XVI.

AXIOMATA.

I. ECquid honos? Onus eſt, & nil niſi ſarcina quædam, *Buchlerus. V. Honos.*
Quæ nullâ quemquam commoditate beat.
Si quæratur honos, non fugiatur onus.
Würde Bürde.

II. Vis ut honoreris? Virtutem, fac, vene- *Idem.*
reris.
Wer Tugend ehrt, iſt Ehren vverth.

III. Halt dich rein, bleib gern allein, *Floril. p. 1.*
Mach dich nicht z'gemein, ſo vvirſt vverth *V. Honor.*
ſeyn.

IV. Wie der Heilig iſt, ſo iſt der Feyertag. *Ibid.*
Wie der Heilig iſt, alſo iſt das Opffer.

V. Wann der Schatten am gröſten iſt, geht *Ibid.*
die Sonn bald unter.

VI. Ehr hat vvæchſene Flügel, vvann man zu *Ibid.*
hoch fliegt, zerſchmeltzen ſie.

VII. Honores mutant mores, ſed rarò in meliores. Ehren verkehren, aber ſelten vermehren.

VIII. Si re priveris, neque nomen habere mereris.

IX. Hoc eſt regnare, nolle regnare, cum poſſis. *Plinius. Juvenalis.*

X. Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

------ Tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris Rex eſſe tui.

XI. Imperare ſibi, maximum eſt imperium. *Senec.*

§. XVII.

AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum, & Tuba Sacerd. lect. 5.
II. Joannes Buſæus in Panario. V. Ambitio.
III. Ludovicus Granatenſis in locis comm. fol. 593.
IV. Thomas Stapletonus in Promptuario Morali Dom. 3. Adv. text. 6. & text. 6. in Dom. 16. poſt Pent. & text. 4. in Dom. 2. poſt Pent.
V. Laurentius Beyrlinck in promptuario Morali text. 4. in Feſto SS. Innocentum, & text. 1. in Feſto S. Michaëlis.
VI. Joſephus Langius in Polyanthæa. V. Ambitio.
VII. Joſephus Manſi in Bibliotheca morali tract. 3.

TITULUS IX.

AMICITIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1. *S. Auguſt. Epiſt. 45.*

EST juxta S. Thomam, amor mutuæ benevolentiæ, ſuper aliqua communicatione fundatus. Juxta S. Auguſtinum, eſt omnium humanarum, divinarumque rerum cum benevolentia & caritate ſumma conſenſio.

Diviſio.

II. Dividitur à S. Thoma in *Naturalem* quæ inter Patrem & Filium, cæteroſque conſanguineos inter quos communicatio rerum ad naturam pertinentium eſſe debet, reperitur. *Domeſticam* vel *Oeconomicam*, quæ eſt inter Domeſticos in his, quæ ad domus diſpenſationem pertinent. *Civilem* vel *Politicam*, quæ inter Cives invenitur per operum civilium communicationem. *Divinam*, qua Homines in uno cor-

S. Thom. l.c.

corpore Ecclesiæ, communicant, inter se, & cum DEO.

Actus.

S. Ambros. l. 3. de offic. III. Primus est *Benevolentia in affectu*, per quam Amicus propter se, & non propter sua bona diligitur; nam, teste S. Ambrosio, virtus est amicitia, non quæstus, quia non pecuniâ paratur, sed gratiâ.

S. Hier. ad Demetriad. IV. *Concordia in sensu:* nam in Amicis non res quæritur, sed voluntas, ut sapienter S. Hieronymus dixit; eadem velle, & eadem nolle, firma amicitia est.

Arist. l. 8. Eth. c. 9. V. *Beneficentia in effectu*: seu communicatio bonorum; quam ob causam amicorum omnia bona communia dicuntur.

S. Aug. l. 12. qq. VI. *Fides & Constantia in adversis*: nam, ut S. Augustinus rectè pronunciavit: nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio; &, ut Cassander ait, qui verè Amicus est, omni tempore diligit; nam cum tormentum non superat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat.

Cassiod. in epist.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 17. v. 17. I. OMni tempore diligit, qui Amicus est: & Frater in angustiis comprobatur.

Eccl. 22. v. 28. II. Fidem posside cum Amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres sis.

Eccl. 6. v. 11. III. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiduciali-ter aget: si humiliaverit se contra te, & à facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

Utilitas.

Ib. v. 14. IV. Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est ponderatio digna auri & argenti contra bonitatem fidei illius, Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inveniunt illum.

Prov. 27. v. 9. V. Unguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.

Eccl. 25. v. 12. VI. Beatus, qui invenietamicum verum.

Falsitas.

Eccl. 6. v. 8. & 10. VII. Est Amicus secundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.

Prov. 26. v. 18. VIII. Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, &, cum fuerit deprehensus dicit: Ludens feci.

§. III.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. VEra illa amicitia est, & Christi glutine copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantùm, non subdola & palpans adulatio, sed DEI timor, & divinarum Scripturarum conciliant studia. *S. Hier. in epist. ad Paulinam.*

II. Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. *S. Ambr. de offic.*

III. Amicitia parem aut facit, aut accipit. Ubi inæqualitas, & alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quàm adulatio est. *S. Hieron. sup. Mich.*

IV. Necessitas amicum probat, & intimæ caritatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. *Cassiod. in quad. ep.*

V. Amicitia tantò certior est, quantò vetustior; quia facilè mutari non potest, quod per longa sæcula custoditur. *Idem.*

VI. Non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus. *S. Ambros. apud Engelgr. embl. 13. Luc. Evang. p. 2.*

VII. Quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri è duobus: cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui inhonestum petas? non enim vectigalis amicitia, non quæstus, quia non pecuniâ quæritur, sed gratiâ; nec licitatione pretiorum, sed benevolentiæ. *S. Ambr. l. 5. de offic. ult.*

Necessitas.

VIII. Sine Amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio vivere, esset mori. *Cassiod. in epist.*

Utilitas.

IX. Solatium hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur; facilis vox, & communis: totus sum tuus: sed paucioris est effectus. *S. Ambros. l. 3. de offic.*

X. Amicitia & prosperas res dulciores facit, & adversas communione temperat, & leviores reddit; quia, dum in tribulatione Amici consolatio adjungitur, nec animus frangitur, & minùs eadem patitur. *Ibid. l. 3. de sum. bono.*

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

I. JOnathas dilexit David quasi animam suam, quia anima illius erat conglutinata animæ David; hinc & expoliavit se Jonathas tunicâ suâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum. *1. Reg. 18. v. 1.*

II. Cum in navigatione Indica, fractâ navi, plerique in Lembum adhærentem insiliissent, *Rho. hist. l. 4. c. 4. & §. 15.*

& propter periculum ſubmerſionis decretum eſſet, aliquot homines in mare ejicere, & præter alios etiam ſors Gaſparem Ximenium tetigiſſet, Ferdinandus Frater ipſius junior dixit, non paſſurum ſe, ut Gaſpar ejiceretur, ſed ſe potiùs Vicarium caput offerre; atque adeò nequicquam urgente Fratre, ut ipſe velut ſorte deſtinatus in aquas projiceretur, perſuaſit, ut in undas abjiceretur. Sed quia à Deo roboratus, totum penè diem per 360. paſſuum millia natando Lembum ſecutus eſt, tandem placato mari à vectoribus iterum in Lembum receptus eſt.

Engelgr. p. 2. Luc. Evang. embl. 13. §. 3.

III. In Belgio cùm vir quidam inſignis in extrema lucta, inprimis uxorem, deinde Filios & Filias, & demum ſervos & ancillas rogâſſet, ut opem ferrent, & ſinguli reſponderent, non eſſe hoc in ſua poteſtate, in has voces & gemitus erupit: O vanas hominum curas! O quantum eſt in rebus inane! Ecce ego tibi, Uxor, vobis, ô Filii & Filiæ, laboravi, ſudavi, vires & valetudinem impendi, quin & animam meam fortè oppignoravi, & ecce hæc eſt merces mea, ut in hora noviſſima implorem opem veſtram, & non inveniam. O quàm ſatius fuiſſet, ſi DEO ſerviſſem! Si amicos in terra & in cœlis mihi comparâſſem, qui in hoc articulo mihi adeſſent! O ſi vivere liceret quàm ſaperem!

Ibid.

IV. Quidam moribundus cùm calicem amaræ potionis tremulâ manu teneret, & quidam ex adſtantibus eum hortaretur, ut amiciſſimo calicem hunc propinaret, Chriſtum è cruce pendentem intuitus dixit: Tibi Amicorum meorum dilectiſſimo hunc calicem propino, qui ſalutis meæ cauſâ calicem paſſionis epotaſti.

§. V.
EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. in apoph.

I. PEricles Amico roganti, ut pro ſe falſum teſtimonium diceret, ſe quidem Amicum eſſe dixit, ſed ad aras uſque.

Val. Max. l. 6. c. 4.

II. Rutilius, cùm amico injuſtum quid petenti negâſſet, & is diceret: quid ergo tua mihi opus eſt amicitiâ, ſi, quæ peto, non impetrem? reſpondit; quin imò quid tua mihi prodeſt amicitia, ſi inhoneſta propter te facere cogar?

Plutarch. in apoph.

III. Scipio dabat operam, ne aliquando à foro rediret domum, priusquam aliquem eorum, in quos incidiſſet, ſibi familiarem & amicum effeciſſet, ſentiens, nullam eſſe homini poſſeſſionem meliorem.

Eraſm. l. 5. apoph.

IV. Dionyſius Senior admiratus egregiam fidem Damonis & Pythiæ, (quòd ſcilicet Damon ad mortem damnatus, cùm facultatem impetraſſet, domum priùs eundi, & res ſuas componendi, & Pythias interea vadem ſe obtuliſſet, ad conſtitutum tempus redierit) rogo, inquiebat, ut me quoque in amicitiam veſtram recipiatis; ſimulque vitam damnato donavit.

§. IV.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Max. ſ. 6.

I. SIcut equi virtutem in bello exploramus; ita amicum in calamitate & infortunio probamus.

Plutarch. in moral.

II. Sicut diligenter compingitur navis, quæ variis in tempeſtatibus uſui eſt futura; ita diligenter priùs probandus eſt amicus, quo quis conſtanter eſt uſurus.

Seneca in ſimil.

III. Sicut ſuavius eſt Antiphonum, quàm ſi vox eadem ſemper audiatur; ita jucundior eſt Amicus ita concordans, ut tamen interdum, ubi opus eſt, diſſideat, quàm Adulator per omnia ſemper aſſentiens.

S. Cyprian. de ſingular. Cleric.

IV. Sicut oculus unus verti non poteſt, niſi & alter ad idem objectum vertatur; ita inter Amicos, quidquid unus voluerit, idem & alter volet.

S. Aug. ſ. 21. de verb. Ap.

V. Sicut Cervi per fluvium natantes capita tergo antecedentis imponunt; ita & Amici, ut commodius per mare hujus Mundi tranſeant, onera ſua Amicorum humeris imponunt.

Utilitas.

Plutarch. in moral.

VI. Sicut Medicus ægrum etiam non ſentientem ſanat; ita Amicus, etiamſi ignoretur, amicum juvat.

Cato apud Max. ſ. 6.

VII. Sicut apem propter aculeum non odio habemus, ſed potiùs propter fructum tolleramus; ita amicum propter amicam objurgationem non averſari, ſed potiùs propter benevolentiam amare oportet.

Falſitas.

Cicero l. 4. ad Herenn.

VIII. Sicut hirundines æſtivo tempore præſtò ſunt, frigore pulſæ recedunt; ſic amici falſi ſereno tempore præſtò ſunt; at ſimul ubi fortunæ hyemem viderint, aufugiunt.

Fab. conc. 14. in fer. rog.

IX. Sicut baculi arundinei, dum eis inniti volumus, franguntur; ita amici falſi, dum opem eorum expetimus, non juvant.

Ibid.

X. Sicut argentum vivum, licet auro ſit arctiſſimè copulatum, in igne tamen id deſerit; ita Amici falſi, etſi viventi amico fortiſſimè adhæſerint, morientem deſerunt.

§. VII.
MEDIA.

Eccl. 6. v. 17.

I. *Timor DEI:* juxta illud Siracidis: Qui timet DEUM, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.

Ibid. v. 5.

II. *Manſuetudo & affabilitas*, juxta illud ejuſdem Siracidis: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.

Plut. in Lacon.

III. *Communicatio bonorum:* ſic Antalcidas docuit, qui interrogatus, quo pacto quis amicos ſibi facere poſſet? reſpondit: Si loquatur illis jucundiſſima, & utiliſſima præſtet. Hinc & communis perſuaſio orta, amicitiam tribus foveri, pileo (obvium amicè ſalutando) chartâ (literas ſcribendo) & vitro (hauſtum amico offerendo; uti olim Alphonſus Rex Aragoniæ dicere ſolebat.)

Engelgr. embl. 13. §. 1.

IV. *Tolerantia malorum pro Amico ſuſceptorum:* hinc de SS. Martyribus canit Eccleſia: Calicem Domini biberunt, & amici DEI facti ſunt.

Joan. 15. v. 14.

V. *Conſenſio voluntatum:* hinc Chriſtus dixit Apoſtolis: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.

§. VIII.

ASCETICA.

Thom. Kemp. l. 2. c. 8.

I. DUO sunt, quæ Asceta specialiter circa Amicitiam observare debet. Primum est, ut sciat, quænam potissimùm Amicitia quærenda & conservanda sit, ea scilicet, de qua pius Asceta sic loquitur: Sine Amico non potes bene vivere, & si JESUS non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Ob hanc autem causam hic præ cæteris in amicum est eligendus. Priorem idem Author libr. c. indicat, dum ait: Dilectio creaturæ fallax & instabilis: dilectio JESU fidelis & perseverabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili: qui amplectitur JESUM, firmabitur in ævum. Illum dilige, & amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire. Teneas te apud JESUM vivus & moriens, & illius fidelitati te committe, qui, omnibus deficientibus, solus te potest juvare. Posteriorem S. Augustinus his verbis indicavit: Nihil delectabilius DEO; nam in homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam. DEI amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te, non invenies. Et non est DEUS, qui te offendat, si tu eum non offendas; nihil eo pulchrius, nihil dulciùs. Hinc alibi idem Author sic animam alloquitur: O anima mea, dilige eum, à quo tantùm dilecta es. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ, cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam. Quanti verò æstimanda sit hæc amicitia, paucis, sed efficacibus verbis indicavit Sanctus Gregorius, dum exclamavit: O mira divinæ bonitatis dignatio! Servi digni non sumus, & amici vocamur: Quanta dignitas est hominum, esse amicos DEI; Porrò quibus mediis hæc amicitia procuranda & conservanda sit, pulchrè indicavit libellus de imit. Christi, dum ait: Magna ars est, scire cum JESU conversari, & scire JESUM tenere, magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum JESUS. Sis devotus & quietus, & manebit tecum JESUS. Potes citò fugare JESUM, & gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaveris, & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Nonne hoc est majus damnum, quàm si totum perderes Mundum? quid potest tibi Mundus conferre sine JESU?

l. 3. c. 7.

S. Aug. l. 50. hom. 38.

Idem in manual. c. 24.

S. Greg. apud Eng. embl. 3. §. ult.

Lib. 2. c. 8.

II. Alterum est, ut nôrit discernere & fugere particulares & noxias amicitias, quod ut tantò certiùs præstet, primò, nôsse in genere debet, quænam particulares & noxiæ amicitiæ dicendæ sint, scilicet omnis illa, cujus causa & fundamentum non est DEUS. De qua clariùs locutus S. Basilius, Caritatem quidem, inquit, habere inter se mutuam debent Fratres, non ita tamen, ut duo, trésve seorsim à cæteris Sodalitatem ineant. Quandoquidem hoc non caritas, sed carnalitas, sed seditio & divisio foret, & eorum, qui sic coëunt, improbitatis judicium. Secundò, nôsse debet species harum amicitiarum, quarum tres enumerat Alphonsus Rodriquez, quarum prima est eorum, qui ob similitudinem naturæ, aut amabilitatem, formamque corporis se mutuò plùs, quàm alios diligunt. Altera eorum, qui certis quibusdam Personis, à quibus promotionem ad honorata officia sperant, adhærent, eorumque gratiam & favorem variis obsequiis aucupantur. Tertia & pessima est eorum, qui inter se coëunt ad novitates in Religionem inducendas, & constitutiones ejusdem convellendas, de quibus proin jure dicatur illud Canticorum: Filii Matris meæ pugnaverunt contra me. Nosse debet indicia, per quæ cognosci possunt ejusmodi amicitiæ, quæ quidem clarè S. Laurentius Justin. sequentibus verbis indicavit: Hic amor, cùm in corde imprudentis exortus radices mittere ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem habitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentiâ contristatur. Solus vult cum eo, quem diligit sensualiter, loqui: solus cum eo conversari, quia in illius mente habitare jam cœpit; livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conversari prospexerit. Absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis jacturam æstimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæcò seductus errore ignorat, se vesano amore percussum. 4. Nosse debet damna, quæ ex talibus amicitiis oriri solent, & ad tria ferè capita revocari possunt, dum scilicet *DEO* subtrahitur debitus amor, aut certè in creaturas dividitur; quam ob causam, ut observavit S. Chrysostomus, Christus post Resurrectionem suam non est versatus cum Discipulis, quadraginta diebus, sed per quadraginta dies, advolabat enim, ac devolabat rursum. Cur ita tandem? subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos similiter erga ipsum sic affectos esse, quemadmodum priùs fuerant. Siquidem sic erant affecti, ut admodùm ægrè ab illo divellerentur. Unde & consolans illos dicit: Expedit vobis, ut ego vadam. Deinde ipsi quoque *Communitati* seu *Religioni* graviter nocent; nam inducunt varias divisiones, clancularios congressus, conspirationes, odia, suspiciones, invidias, inimicitias atque adeò deterrima pestis Religionum meritò vocantur. Denique iis ipsis qui eos fovent, nocent gravissimè, dum & omni merito eos privant (nam teste D. Thoma, dilectio amicorum apud Deum mercedem non habet, quando propter hoc solùm amantur, quia amici sunt) & gratiarum divinarum influxum impediunt; nam, si, ut benè discurrit S. Bernardus, Apostoli carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ (& carnalibus sociis) adstrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te putas posse suscipere, nisi carneis istis consolatio-

S. Basil. c. 30. constit. Mon.

Cant. 1. v. 6.

S. Laur. Justin. de disc. monast. c. 22.

S. Chrysost. ho. 1. in Acta Apost.

S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 7. ad 1.

S. Bern. s. de assens.

lationibus funditus renuntiare tentaveris? Id quod bene advertit S. Gertrudis, hinc cavebat maximè in verbis, ne cujuſquam hominis cor ſibi attraheret, néve in ejus ſe amicitiam inſinuet, unde quâvis pòſt occaſione retraheretur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus advertere potuit cauſam, fundamentumque non eſſe DEUM, ut virus lethale abhorrebat, malebatque obſequiis ac beneficiis cujuſcunque carere, quàm admittere, ut humano ſecum favore cor cujuſquam eſſet occupatum. Ejuſdem animi Joannes de Luca ex Ordine S. Franciſci erat, qui cùm à quodam interrogatus fuiſſet, cur tantopere Fratrum conſortium vitaret? reſpondit, id ſe ob ipſorum bonum facere; quantò magis enim ipſe DEO unitus foret, tantò plus eorum commodis ſe proſpecturum; teneriores verò cum iis amicitias à DEO retrahere, adeoque ſibi & ipſis officere.

L. 1. inſtit. c. 7.

Rodriq p. 1. tr. 4. c. 18.

§. IX.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. VEra amicitia tria requirit maximè, virtutem tanquam honeſtam; familiaritatem ut jucundam, & uſum tanquam neceſſarium; nam ubi judicâris amore dignum, recipere debes, & congreſſu lætari, & uti, ſi eges.

Max. ſ. de amic.

II. Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantùm credis, quantùm tibi, vehementer erras, & non ſatis nôſti vim veræ amicitiæ, inquiebat olim Seneca.

Senec. ep. 3.

III. Tarquinius Superbus exul factus dixit, ſe tum denique cognoviſſe, quos fidos Amicos haberet, quos infidos, cùm neutris gratiam referre poſſet.

Eraſm. l. 6. apoph.

IV. Rectè cecinit Poëta:

Ovidius.

Donec eris felix, multos numerabis Amicos.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

V. Cùm quondam Hirundo ad Matrem dixiſſet, ſe Turdum perquam commodum amicum reperiſſe, reſpondit Mater: Erras, ô Filia, nam malè tecum conveniet, cùm tu calorem, ille frigus amet: Tu Ver ſequaris, ille Brumam petat.

Langius in polyanth.

VI. Cùm Carbonarius quondam Fullonem ad ædes ſpatioſas ſecum inhabitandas invitaret, negavit id Fullo dicens: quid commercii nobis eſſe poteſt, cùm, quæ ego eluendo nitida effeci, tu fuligine obfuſces?

Ibid.

VII. Cato Cenſorius in annulo hoc ſymbolum geſtabat, Eſto amicus unius & inimicus nullius.

Plin. in epiſt.

VIII. Verè Ovidius cecinit:

Ovid. l. 2. de pont.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

S. Aug. Conf. c. 24.

IX. Non malè gemini illi Aulici, teſte S. Auguſtino diſcurrerunt, qui conſiderantes, quanto molimine gratia Principum acquiratur, & conſervetur, ad ſe mutuo dixerunt: Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? majorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? amicus autem DEI eſſe ſi voluero, ecce jam fio.

Engelgr. embl. 45. p. 2. §. 2.

X. Lilius Giraldus ſic amicitiam depinxit: Juvenis ſtabat detecto capite, rudi tunica indutus, in cujus fimbria ſcriptum erat *vita & mors*, in fronte *æſtas & hyems*, habebatque latus apertum, digitum vero cordi intentum cum hac epigraphe: *longe & prope*. Cujus figuræ hæc erat expoſitio: Juvenis ſignificabat amicitiam ſemper florentem eſſe debere: nudum caput indicabat nihil aliud, quàm amici bonum quærendum: rude indumentum, tolerantiam laborum; vita & mors, Societatem perpetuam; æſtas & hyems, proſpera & adverſa; latus apertum, candorem & ſimplicitatem; nudum cor, ſinceri amoris exhibitionem; longè & propè, ejusdem in omni loco conſtantiam ſignificabat.

XI. Interrogatus quidam, quid eſſet amicus? reſpondit, alter ego. Unde & Cicero dixit: Eſt is amicus quidem, qui eſt tanquam alter idem, alterum enim acquirit, cujus animum ita cum ſuo commiſceat, ut efficiat penè unum ex duobus. Hinc Syſigambi Darii Uxori, Hepheſtionem pro Alexandro ſalutanti, & cognitum errorem deprecanti, reſpondit Alexander: non errâſti, nam & hic Alexander eſt.

Ibid.

Neceſſitas.

XII. Rectè dixit Salluſtius: non exercitus, neque theſauri, præſidia regni ſunt, ſed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur.

Salluſt. in Iugurt.

Dignitas.

XIII. Nec malè S. Gregorius Nazianz.

Fidis amicis nil puta præſtantius,
Quos caſus aſper parturit, non pocula.

Apud Engelgr. embl. 13. §. 2.

Jucunditas.

XIV. Exceptâ Sapientiâ, inquit Cicero, nihil melius datum eſt homini à Diis immortalibus, quàm amicitia. Quid enim dulcius, quàm habere, cum quo omnia audeas ſic loqui, ut tecum? quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes amicum, qui illis æquè, ac tu ipſe gauderet? adverſa etiam ferre difficile eſſet ſine eo, qui illa gravius etiam, quàm tu ferret.

Cicero de amicitia.

XV. Nihil æquè ægrum reficit, quàm amicorum affectus: non judico me mori, cùm illos ſuperſtites reliquero; puto, inquam, me victurum non cum illis, ſed per illos.

Senec. ep. 79.

Falſitas.

XVI. Verè de falſo amico cecinit Martialis:

Mart. l. 2.

Hunc, quem vina tibi, quem menſa parârit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & ſumina, & oſtrea, non te:
Sublato vino nullus amicus erit.

XVII. Antigonus Diis ſacrificans precabatur, ut ſe à ſimulatis ſervarent amicis; cumque quis interrogaret, cur hoc peteret? reſpondit: Quia hoſtes, cùm cognoſco, caveo.

Maxim. ſ. de amicit.

XVIII. Pulchrè falſos amicos à veris diſcernere docuit Barlaam, dum dixit, fuiſſe quempiam, qui ex tribus, quos habebat, amicis, duos omni benevolentiâ proſequebatur, tertium nihili faciebat. Quem tamen, ubi ad Judicem citatus opem petiit, ſolum fidelem patronum & Comitem expertus eſt, cùm primus non niſi veſtem obtulerit, ſecundus ad parvum duntaxat intervallum comitatus eſt. Ex his autem amicis

Vita Barlaami c. 13.

Barlaam

Barlaam primum divitias, secundum uxorem & reliquos consanguineos, tertium opera bona significare dixit.

§. X.
AXIOMATA.

Pythag. apud Gellium. Langius in polyanth. V. eod. Ibid. Ibid.

I. AMicorum omnia sunt communia.
II. Mores amici noveris, non oderis.
Der Freund Gebrechen soll man kennen, aber nicht nennen.
III. Novos parans amicos, ne obliviscere veterum.
IV. Neque nulli sis amicus, neque multis.
Zuwenig Freund, und auch zuviel, Verderben dir allbeyd das Spiel.

Tullius.

V. Amicus certus in re incerta cernitur.
Noth und Unglück, entdecken falscher Freunden Tück.

Buchlerus V. eod.

VI. Tempore felici multi numerantur amici, Dum fortuna perit, nullus amicus erit.
In Elend, in Gefahr, und in Noth, Gehn der Freund tausend auff ein Loth.

Florileg. polit.

VII. Alt Wein, alt Freund, alt Gelt, Führen den Preis in aller Welt.
VIII. Freund in der Noth, Freund in dem Tod, Freund hinter Ruck, seynd drey starcke Bruck.
IX. Ubi opes, ibi amici. *Ibid.*
Wo Gelt, da die Welt.

§. XI.
AUTHORES.

I. ARistoteles in magnis moralibus.
II. Cicero in Lælio.
III. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.
IV. Franciscus Petrarcha l. 1. Dial. 50. & seq.
V. Matthæus Tympius in mensa Theologo-Philosophica.
VI. Henricus Engelgrave p. 2. Lucis Evang. embl. 13. & 45.
VII. Alphonsus Rodriquez de particularibus amicitiis. p. 1. tr. 4. c. 18. 19. & 20.
VIII. Hadrianus Lyræus l. 3. Apopht. 1. de part. amic. ubi hoc axioma S. J. Ignatii explicat: Ut inter homines tutò versèris, æquus sis omnibus, nemini obnoxius.
IX. S. Francisc. Salesius in Introd. ad devot. vitam. p. 3. c. 17. 19. 20. 21. & 22. ubi totam hanc materiam egregiè pertractat, &, quomodo vera amicitia à falsa discernenda sit, solidè ostendit.
X. Bernardinus Rosignolius de discipl. Christ. perf. l. 4. c. 27.

TITULUS X.
AMOR SUI.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine amor concupiscentiæ vocatur, ad distinctionem amoris amicitiæ, quo bonum voluntas appetit, non ut proprio, sed alieno subjecto bonum & conveniens est.

Divisio.

Julius Pat. c. 6. consid. 5.

II. Dividitur in *bonum* & *malum*, seu *communem* & *proprium*. Communis & bonus est, quando homo seipsum & alia propter DEUM amat; atque adeò communis vocatur, quia idem est cum amore, quo DEUS ejusmodi objecta amat. Proprius & malus est, quando homo in se, aliisque rebus amandis, seipsum finem amoris statuit; hinc amor iste *proprius* vocatur, quia in propriam personam desinit; *malus* verò seu *perversus* appellatur, quia, quantum est in se, pervertit ordinem, quem DEUS secundùm divinam suam providentiam homini, cæterisque creaturis præscripsit, ut nimirum ad se tanquam ultimum finem omnia tendant, & in se desinant.

S. Aug. in epist.

De quo amore S. Augustinus sic loquitur: Duo amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt peccatore; & ideo si quis præter te aliud diligit, non est caritas tua DEUS in eo, amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans.

S. Thom. in 3. dist. 28. q. 1. a. 6.

III. S. Thomas post Aristotelem dividit amorem sui in *exteriorem*, seu secundùm partem irrationalem & sensitivam (qualis est bonorum corporalium, & temporalium, puta divitiarum, honorum, voluptatum corporis &c. amor) & *interiorem*, seu secundùm partem rationalem, quo bona æterna & spiritualia appetuntur, unde dicit S. Doctor, amare seipsum, quantum ad exteriorem hominem, est vituperabile: sed quantum ad interiorem est laudabile.

Actus Amoris sui vitiosi.

I. Se pro fine habere. *Th. Kemp. l. 3. c. 54.*
II. Nolle premi, aut subesse.
III. Pro suo commodo semper laborare.
IV. Honorem & reverentiam desiderare, confusionem verò & contemptum timere.
V. Otium & quietem corporalem amare.
VI. Appetere curiosa & pulchra, abhorrere à vilibus & grossis.
VII. Gaudere ad lucra terrena, tristari de damno.
VIII. Amare propria & privata, inclinare ad vanitates & discursus.
IX. Solatia sensibilia venari.
X. Gaudere de multis amicis & propinquis, gloriari de nobili loco & ortu generis.

XI. Arridere potentibus, blandiri divitibus, applaudere ſibi ſimilibus.

XII. De defectu & moleſtia citò queri.

XIII. Appetere ſcire ſecreta, & nova audire: velle exteriùs apparere, & multa per ſenſus experiri.

XIV. Deſiderare agnoſci, & agere, undè laus & admiratio procedit.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

1. Cor. 2. v. 14. I. ANimalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus DEI.

Rom. 7. v. 18. II. Scio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.

Ib. v. 21. III. Condelector enim lege DEI ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.

Ib. v. 25. IV. Ego ipſe mente ſervio legi DEI, carne autem ſervio peccato.

Gen. 8. v. 21. V. Senſus & cogitatio hominis ad malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.

Damnum.

Io. 12. v. 25. VI. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

1. Tim. 3. v. 1. VII. In noviſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, voluptatum amatores magis, quàm DEI.

Prov. 29. v. 21. VIII. Qui delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum (amorem proprium, aut carnem ſuam) poſtea ſentiet eum contumacem.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. c. 14. de SS. Trin. I. SIc condita eſt mens humana, ut nunquam ſui non meminerit, nunquam ſe non intelligat, nunquam ſe non diligat.

Fuga.

S. Bern. in ſerm. II. Dominus communi diſciplina, communi vita, communibus ſtudiis delectatur. Uſquequò miſer diverticula captas, & conſolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? tanto rubore mendicas; & quid faciam, inquis? ejice Ancillam & Filium ejus.

S. Aug. tr. 51. in Ioan. III. Magna ſanè ac mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in vitam ſuam amor, ut pereat: odium, nè pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi bene oderis, tunc amâſti. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne pereant amando.

Tho Kemp. l. 3. c. 5. IV. Melior ac ſanctior noſtri amor locum in nobis accipiat: nec enim fuerit, quò intret ad te amor DEI, niſi exulet amor tui. Ubi ſeipſum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit, ſolus namque hic domiñari vult, qui præcepit, ut feraris in DEUM ex toto corde, ex tota anima. Partem non accipit, glorioſæ indolis eſt; totum depoſcit, ut totum tibi largiatur.

Damnum.

V. Stipendium amoris proprii mors eſt, initium omnis mali. *S. Baſil ap. Lyraum l. 2. apoph. 1.*

VI. Amor ſui, eſt corporis ratione carens amicitia, ex qua quidem naſcitur guloſitatis ratio, & inanis gloriæ cupiditas. Ex his autem naſcitur univerſus malorum numerus. *Maxim. ap. Gram. loc. com. f. 627.*

VII. Valde claudit oculum cordis amor privatus. *S. Greg. hom. 4. in Ezech.*

VIII. Prima hominis perditio fuit amor ſui; ſi enim ſe non amaret, & DEUM ſibi præponeret, DEO ſemper eſſe ſubditus vellet: non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem ſuam. Præpone his voluntatem DEI, diſce amare te, non amando te. *S. Aug. ſ. 47. in c. 17. Matth.*

IX. Si totum hominis bonum eſt, amare DEUM, totum hominis malum eſt, amare ſeipſum. *S. Aug. c. 26. Man.*

X. Tantò ampliùs ſe quiſque amat, quantò ampliùs ſe pro DEI amore non amat. *S. Leo apud Lyraum l. 2. apophthegm. 2.*

§. IV.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. SCito, quòd amor tui ipſius magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum, quem geris, quælibet res plùs vel minùs adhæret. *l. 3. c. 27.*

II. Si quæris hoc vel illud, & volueris eſſe ibi vel ibi, propter tuum commodum & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber à ſollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui adverſetur. *Ibid.*

III. Ex hoc vitio, quòd homo ſemetipſum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum eſt: quo devicto & ſubacto malo, pax magna & tranquillitas erit continuò. *l. 3. c. 53.*

IV. Qui liberè mecum ambulare deſiderat, neceſſe eſt, ut omnes pravas & inordinatas affectiones ſuas mortificet, atque nulli creaturæ privato amore concupiſcenter inhæreat. *Ibid.*

V. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam, adhuc nihil eſt. Et ſi fecerit pœnitentiam magnam, adhuc longè eſt. Et ſi habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multùm ſibi deeſt, ſcilicet unum, quod ſummè ſibi neceſſarium eſt; quid illud? ut omnibus relictis ſe relinquat, & à ſe totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat. *l. 2. c. 11.*

VI. Fili, oportet te adhuc multa diſcere, quæ necdum bene didiciſti. Quæ ſunt hæc, Domine? Ut deſiderium tuum ponas totaliter ſecundùm beneplacitum meum, & tui ipſius amator non ſis, ſed meæ voluntatis cupidus æmulator. *l. 3. c. 11.*

VII. Si temetipſum perfectè viceris, cætera faciliùs ſubjugabis. Perfecta victoria eſt, de ſemet- *l. 3. c. 53.*

semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & Dominus mundi.

§. V.

EXEMPLA SACRA.

Vita l. 4. c. 5. I. S. Franciscus Salesius, ut de ipso Confessarius testabatur, usque adeò omnem, commodi & incommodi rationem negligebat ut dicere solitus sit, se, si vel levem aliquam amoris proprii festucam in corde suo residuam nôsset, illico eam ferro, flammaque persecuturum.

Vit. c. 64. II. B. Angela de Fulginio plùs ab amore proprio, quàm ab ipso Dœmone sibi metuebat, ut qui, nisi per eum, nihil in nos potestatis habeat: per eam verò quasi vulpeculam semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit. Hinc dicere solebat. Filii carissimi, nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, nec aliqua res alia, quam tantopere habeam suspectam, quantùm hunc amorem. Mentem namque penetrabilior omni gladio ancipite transit, ac eor totum pervadit, & nisi coërceatur, animam millenis calamitatibus invadit.

Lyraus l. 2. apopht. III. Fridericus Imperator victis in Ungaria Gunzienses, magnum, inquiebat, actum est opus, nunc autem majus restat, ut scilicet vincamus nos ipsos, atque avaritiæ, & ulciscendi nos cupiditati frenos injiciamus, quo fiat, ut de privato publicus; de falso verus nostri amor triumphet.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Relat. pro canon. p. 2. pag. 16. Bartolus l. 4. vit. §. 27. I. S. Ignatius adeò puram in se caritatem saluit, ut omnem sui ipsius amorem prorsus à se amandaverit. Hinc sciscitanti cuipiam, quæ optima esset via in studio virtutum proficiendi; respondit: Hoc unusquisque persuasum habeat, tantùm in se studiis spiritualibus promoturum esse, quantùm ab amore sui ipsius & commodi proprii affectione sese abstraxerit.

Const. p. 8. §. 9. Propterea in Constitutionibus gravissimum & capitalem omnis ordinis & unionis hostem appellabat.

Lyraus l. 1. apoph. 11. II. S. Franciscus Xaverius constanter bellum proprio amori indixit; hinc omnis cibi, potionisque modus naturali necessitate, non voluptate finitus, ita ut ne pane quidem expleret famem. Hinc assiduò in ore habebat, suisque inculcabat: Vince teipsum; causamque tam frequentis repetitionis rogatus respondit: Quia hoc præceptum S. P. Ignatii est; & si fiat, sufficit.

Ibid. III. S. Franciscus Borgia, quidquid amori proprio contrarium erat, sive in victu, sive in habitatione, sive in officiis, avidè desiderabat, sollicitè exquirebat, & cum gaudio amplectebatur, ex quo studio maximos ad omnem virtutem progressus fecit.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Lyraus l. c. I. Sicut vulpes mortuam se simulat, ut gallinas occupet; canis latratum imitatur, ut custos pecoris, non hostis existimetur; sic Philautia affectus suos sopit, & caritatis vocem ac larvam mentitur. Hinc Sponsa ait: Capite nobis vulpes parvulas; quæ demoliuntur vineas *Cant. 2. v. 15.* nostras.

Damnum.

Ibid. II. Sicut apes, quia mel suum summopere amant, ad alvearia propiùs accedentes efferatæ invadunt, & aculeo figunt; ita qui sibi, suisque voluptatibus serviunt, omnes, qui in earum fruitione obsistunt, impetunt, ac vulnerant.

Ibid. III. Sicut Cæcias ventus nubes ad se cogit, nec tamen depluere sinit; sic amor proprius omnia ad se rapit, nec tamen quidquam aliis impertitur.

Julius Fat. c. 6. de mord. consid. 5. IV. Sicut ferrum nulla re magis atteritur, & destruitur, quàm rubigine, quam producit ex seipso, & fovet: ita nihil est, quod ita animam debiliter, enervetque in via spirituali, ac rubigo proprii amoris, quam ipsa ex se producit, & in se fovet ac nutrit.

§. VIII.

MOTIVA.

Ad amorem sui exuendum.

Stapl. cone. 10. In Dom. 1. Quadr. I. *Quia amor sui impedit cultum DEI:* nam quantùm est in se, admit ei Divinitatem, utpote cujus solius est, omnia ad se tanquam finem dirigere. Hinc ab aliquibus Philautia species Idololatriæ appellatur.

l. 3. c. 53. II. *Quia impedit proprium profectum:* Hinc Thomas Kemp. monet: Si ad hunc apicem (perfectionis) scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, ut evellas & destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne privatum & materiale bonum.

S. Thom. 1. 2. q. 77. a. 4. III. *Quia impedit Religionis augmentum & pacem:* cùm nihil adeò caritatem & unionem dissolvat, quàm proprii & privati commodi amor. Hinc S. Thomas amorem proprium fontem omnis mali vocabat; ex quo, quamdiu fluxerit, nihil aliud, quàm exitium ac pestis timenda sint.

§. IX.

MEDIA.

Ad eundem finem.

l. 3. c. 27. I. *Radicis extirpatio:* juvat enim, ut rectè notat Thomas Kemp. non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potiùs contempta, & decisa ex corde radicitus.

l. 3. c. 37. II. *Resignatio sui perfecta:* sic enim idem Author indicavit, dum dixit: Hoc desidera, ut ab omni proprietate possis exspoliari, & nudus

nudum

nudum JESUM sequi, tibi mori, & illi æternaliter vivere. Tunc recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur. Id quod confirmans S. Augustinus exemplo Filii prodigi, *S. Aug. s. 47. in c. 17. Matth.* Quid, ait, de illo dicitur? Et reversus est ad seipsum. Si ergo reversus est ad se, exierat à se. Quia ceciderat à se, & exierat à se, redit priùs ad se, ut redeat in illo, unde ceciderat à se. Sicut enim cadendo à se, remansit in se, sic redeundo ad se, non debet remanere in se, ne iterum exeat à se. Surgam, & ibo ad Patrem meum; ecce unde ceciderat à se, ceciderat à Patre suo. Redit ad se, & pergit ad Patrem, ubi tutissimè servet se. Si ergo exierat à se, redeundo ad se, ut eat ad Patrem, neget se, subducat se sibi, ut hæreat DEO.

Jul. Fat. c. 6. consid. 6. III. *Oratio & mortificatio assidua ac fervens:* sicut enim ferrum ignis ardore & ictibus malleorum, excussâ rubigine renovatur; sic igne ferventis orationis, & mortificationis ictibus assiduis, amoris proprii rubigo excutitur.

IV. *Amor DEI:* ut enim clavus clavo pellitur; ita per DEI amorem omnis amor proprius effugatur.

§. X.

ASCETICA.

Ibid. I. TRia sunt præcipuè, quæ Asceta de Amore sui inordinato nôsse debet. Primum est, ut bene cognoscat indicia proprii amoris, quæ quidem Julius Fatius sequentibus verbis indicat: Sicut ex effectibus cognoscuntur causæ; ita ex nimia sollicitudine, quam plerumque habes de tua existimatione, tuis commodis, & teipso, ex nimio etiam dolore ob adversa, quæ tibi solent accidere, facillimè colligere poteris amorem hunc, qui in te regnat, esse amorem tuipsius.

Lyræus l. 2. apoph. 11. II. Alterum est, ut bene cognoscat modum extirpandi amorem proprium, quem quidem Lyræus pulchrè ostendit, dum ait, quemlibet in se duos homines continere, animalem scilicet & rationalem, quorum prior discolori & arroganti Esau, posterior probo ac miti Jacob non immeritò comparetur; unde sicut Rebecca Jacobum dilexit, Esau autem odio habuit; ita voluntas quoque humana animalem hominem odisse & persequi, rationalem autem diligere, eique obsequi debet. Quod idem alius ingenioso emblemate explicavit, dum amoris proprii naturam exprimere volens Titionem pinxit unâ sui parte ignitum, alterâ frigentem, hoc lemmate adjecto: quâ non nocet, arripe. Unde *Senec. ep. 14.* more suo sapienter Seneca, Fateor, inquit, insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor, nos hujus gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori serviet; qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam sine corpore non possimus. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit, honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur ejus diligentissima cura, ita tamen, ut cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in ignem sit.

III. Tertium est, ut benè cognoscat, quàm *Julius Fat. c. 6. ad. mort. consid. 5.* noxius sit amor proprius, omni quidem homini, sed maxime Religioso & perfectionis studioso; id quod sequenti discursu sapienter Julius Fatius declarat: Considera, inquit, si ea est conditio boni, ut sese diffundat, & propaget; non posse non magnum esse malum, amorem proprium; quippe qui efficiat, ut homo illud, quod in aliis cernit bonum, ad se totum pertrahat, nec de suo vel minimùm quid cum aliis communicet. Quòd si tantò majus aliquod malum est, quantò majori privat bono, erit certè amor proprius malum maximum; privat enim hominem bono, quo majus in hac vita haberi nequit, hoc est, amore DEI.

§. XI.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. MAgnetem, ajunt, duas inter ferri lacinias positum, magno naturæ miraculo *Lyræus l. 2. apoph. 11.* alteram attrahere, ex eo scilicet latere, quo Septentrionem respicit; alteram repellere, videlicet quæ ex latere meridionali ab eo respicitur. Idem cor humanum facere debet, attrahere scilicet ea, quæ divino beneplacito & rationi consona sunt; repellere verò, quæ sensualem vitam sapiunt.

II. Cometæ quidam adeo stellis sunt similes, ut ipse Ptolemæus stellas secundas nominaverit, cùm tamen peritiores Astronomi eos è terra natos, & in tertia regione aëris consistere, & pestilentes effectus producere deprehenderint. Simili modo amor sui quibusdam verus & ordinatus amor videtur, cum tamen ex effectibus pestiferis colligatur ex vitio ortus & non nisi terrenas affectiones sapere.

Utilitas.

III. Hanc breviter & bene Horatius explica- *Horat. l. 3. oda 16.* vit, dum dixit:

Quantò quisque sibi plura negaverit,
A Diis plura feret.

Damnum.

IV. Re vera usuvenit, ut omnium malorum, *Plato l. 5. de legib.* quibus hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat. Is enim, qui amat, circa id, quod amat, sanè obcæcatur: ac proinde de rebus justis, bonis, honestis malè judicat, cùm in ea est sententia, ut opinetur majorem sibi, quam veritati honorem tribuendum. Non tamen decet eum, qui vir magnus sit evasurus, in suis rebus acquiescere, sed ea potiùs complecti, quæ vel apud se ipsum, vel apud alium quempiam justè fieri videantur. Itaque unusquisque à cæco illo sui amore abhorrere debet, & seipso meliores sequi, ut hujusmodi quidem in re nullam verecundiam prætexat, quâ à rebus præclarè agendis impediatur.

V. S. Ma-

Vit. p. 4. c. 34. V. S. Maria Magdalena de Pazzis dicere ſolebat, duos eſſe oculos amoris proprii, alterum, propriam reputationem; alterum, proprium commodum; ab his, niſi eruantur, omnem faſcinationem amoris proprii oriri.

§. XII.
AXIOMATA.

S. Cath. Sen. in Dial. I. TAntum quiſque vivit DEO, quantum moritur ſibi.

S. Leo apud Lyr. apoph. 11. l. 2. II. Tantò quis ſe amplius amat, quantò amplius ſe pro DEI amore non amat.

Tho. Kemp. l. 3. c. 56. III. Tantùm in DEUM tranſit homo, quantùm à ſe exit.

Anonym. IV. Caritas incipit à ſe ipſo.

V. Proximus quisque ſibi.

VI. Qui ſibi nequam, cui bonus? *Eccl. 14. v. 5.*

§. XIII.
AUTHORES.

I. Julius Fatius de mortif. c. 6. conſid. 5.

II. Hadrianus Lyræus l. 2. apophthegm. S. Ignat. apopht. 7.

III. Bernardinus Roſignolius de diſcipl. Chriſt. perf.

IV. Ludovicus Granatenſis in locis commun. f. 626.

V. Thomas Stapletonus conc. 10. in Dom. 1. Quadr.

VI. Nicolaus Lancizius opuſc. 10. c. 13.

VII. Joannes Buſæus in Panario V. eodem.

VIII. Joſephus Langius in Polyant. V. eod.

TITULUS XI.

ANGELUS.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Joan. Damaſc. l. 4. c. 3. EST ſubſtantia creata, Spiritualis, intellectiva, completa: per quam ultimam particulam ab Anima rationali diſtinguitur. S. Joannes Damaſcenus fuſiùs eum ſic deſcribit: Eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, DEO miniſtrans, gratiâ, & non naturâ immortalitatem ſuſcipiens, cujus ſubſtantiæ ſpeciem & terminum, ſolus, qui Creator eſt, novit.

Diviſio.

Laur. Beyerl. in theat. vit. hum. v. eod. II. Dividitur in tres Hierarchias à S. Dionyſio Areopagita; quarum prima eſt, quæ immediatè illuminationes à DEO recipit, & in tres Choros ſubdividitur, nempe *Seraphinos* ab exceſſu caritatis appellatos: *Cherubinos* ſic vocatos ob ſcientiæ exceſſum: & *Thronos*, ſic appellatos, eò quòd in DEO immediatè rationes divinorum operum recognoſcant, ſicque in illis DEUS velut in Throno ſpecialiter reſideat.

Secunda Hierarchia eſt eorum Angelorum, qui ab Angelis primæ Hierarchiæ illuminantur, & iterum in tres Choros ſubdividitur, nimirum *Dominationes*, qui præcipiunt agenda, quod eſt Dominorum proprium: *Poteſtates*, qui ordinant actiones divinas, quas ſuperiores in inferiores agunt, eas ſurſum ducendo: *Principatus*, qui primi ſunt in eorum, quæ imperantur, executione. Tertia Hierarchia eſt eorum, per quos Homines illuminantur, utpote ad quorum ſalutem procurandam mittuntur, pariterque in tres Choros dividuntur, *Virtutes*, qui exceſſum fortitudinis ad divinas operationes important, unde per eos infirmitates curantur: *Archangelos*, quorum munus eſt nuntiare ea, quæ ſunt majoris momenti, ſuntque velut Principes inferiorum: *Angelos*, quorum munus eſt nuntiare minora, Hominumque ſalutem procurare.

Ex his novem Choris priores quatuor Dionyſius *Aſſiſtentes* vocat, eò quòd ſemper aſſiſtant DEO: poſteriores verò quinque appellat *Miniſtrantes*, eò quòd ad varia Miniſteria deputentur, intellige de ordinaria via, nam extraordinariè etiam aliquot ex ſuperioribus Choris mitti S. Thomas & alii arbitrantur. *S. Dionyſ. Coll. Hier. c. 8. & 13. S. Thom. p. 1. q. 117. a. 4.*

S. Bonaventura illorum nobis diſtinctionem eodem ferè modo explicat, dum ait: Diſtincti ſunt in triplici Hierarchia, ſcilicet ſuprema, media & infima. Suprema eſt altiſſimi Majeſtati aſſiſtentium: Media autem eſt Angelorum contrariis ſe ſe poteſtatibus opponentium; Infima denique eſt humanis neceſſitatibus miniſtrantium: Adeò ut ex novem Angelorum choris major pars noſtris ſit obſequiis deſtinata. Eandem diſtinctionem S. Gregorius tradit, dum in infimam Hierarchiam collocat Angelos, Archangelos, & virtutes. In ſecunda ponit poteſtates, Principatus, & Dominationes. In ſuprema denique Thronos, Cherubinos, & Seraphinos. *S. Bonav. ſer. de Angel. unit.*

Officia.

III. Alia ſunt, quæ erga DEUM; alia, quæ erga Homines exercent. Prioris generis ſunt intueri, admirari, laudare, adorare, amare, ſervire. Poſterioris *offerre* preces & alia opera, uti S. Raphaël Tobiæ faſſus eſt dicens, ego obtuli orationem tuam Domino: *illuminare*, id eſt, ea, quæ futura ſunt, aut ad ſalutem pertinent, per inſpirationem aut alia media docere: *defendere* tam à corporis, quàm Animæ periculis & malis: *Caſtigare*, Pædagogi in morem, id quod non ſemel Angeli præſtiterunt: *Solari* & roborare in adverſitatibus, uti tribus Pueris in Babylonica fornace exiſtentibus fecit, dum excuſſit Angelus flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi rorem flantem. Quemadmodum & S. Paulus Apoſtolus omnes Angelos non ſolum ad obſequium & miniſterium DEI, verùm etiam ad ſervitium & miniſterium noſtrum *Tob. 12. v. 12. Dan. 3. v. 49. S. Paul. Hebr. 1. v. 14.*

destinatos esse existimat, dum ait: *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* In specie vero aliqui officium eorum sic explicant, ut *Angelorum* quidem officium sit, ut nos custodiant; *Archangelorum*, ut in divina lege, mysteriisque cœlestibus nos erudiant; *Principatuum*, ut vitam nostram gubernent, & rectè ordinent; *Potestatum*, ut rebellium spirituum insultus à nobis propellant; *Virtutum*, ut ad virtuosè operandum nos exstimulent; *Dominationum*, ut ad inordinatas passiones nostras superandas vires sufficientes nobis subministrent; *Thronorum*, ut nos in bono cœpto stabiliant, nobisque in eo perseverantiam ad finem usque concedant; *Cherubinorum*, ut mentem & intellectum in divina sapientia illuminent; *Seraphinorum*, ut corda nostra divino amore accendant, adeò ut meritò non solùm de duabus, sed de omnibus tribus Hierarchiis, & novem choris dicere liceat, quòd verè sint salutis nostræ ministrales.

Apud Mansi tr. 6. disc. 1. n. 4.

Numerus Angelorum.

S. Greg. l. 17. mor. c. 12.

IV. Daniel Propheta visionem quandam habuit, quam ipsemet cap. 7. Prophetiæ suæ describit, in qua innumerabilem quendam vidit Angelorum, thronum Dei circumstantium, numerum, qui omnes ad Divinæ Majestatis nutus exequendos erant promptissimi; cum qua visione mirè consentit visio illa, quam S. Joannes in Apocalypsi se pariter habuisse scribit; vidit enim, quòd erat numerus eorum millia millium. Porrò Sanctus Gregorius Magnus rationem reddit, cur Spiritus S. illos cœlestis curiæ exercitus in numero quodam definito describat, cùm tamen ille nobis pro infinito habeatur: Supernorum Civium numerus infinitus est, & definitus exprimitur, ut qui Deo numerabilis est, iste esse hominibus innumerabilis demonstretur. Sanctus Bernardinus per adductam Dionysii Areopagitæ authoritatem (an verè, an verò per exaggerationem loquatur, non satis liquet) dicit: Angeli in Paradiso existentes sunt plures, quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris & terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcunque creata.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Existentia.

Ps. 102. v. 20.

I. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Apoc. 12. v. 7.

II. Et factum est prælium magnum in Cœlo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.

Dan. 7. v. 10.

III. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.

Apoc. 5. v. 11.

IV. Vidi, & audivi vocem multorum Angelorum in circuitu throni, numerus eorum millia millium.

Hebr. 12. v. 22.

V. Accessistis ad civitatem DEI viventis Jerusalem cælestem & multorum millium Angelorum frequentiam.

Luc. 2. v. 13.

VI. Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis.

Custodia.

Zach. 9. v. 8.

VII. Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & revertentes.

Exod. 23. v. 20.

VIII. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi, observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

Hebr. 1. v. 14.

IX. Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.

Ps. 90. v. 11.

X. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Matth. 18. v. 10.

XI. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; Angeli enim eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

Ps. 33. v. 8.

XII. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Vel, ut S. Hieronymus vertit: circumdat Angelus Domini in agro timentes eum. Vel ut septuaginta: Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.

Judit. 13. v. 20.

XIII. Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & non permisit me Dominus Ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me gaudentem in victoria sua.

Luc. 16. v. 22.

XIV. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

Cant. 3. v. 7.

XV. Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël, omnes habentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur ejus propter timores nocturnos.

Dan. 6. v. 22.

XVI. DEUS misit Angelum suum, & obturavit ora Leonum, & non nocuerunt mihi.

Is. 62. v. 6.

XVII. Super muros tuos Jerusalem constitui Custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt.

Dan. 10. v. 13.

XVIII. Princeps regni Persarum restitit mihi, & ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum.

Zach. 3. v. 7.

XIX. Si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris, dabo tibi ambulantes de iis, qui nunc hîc assistunt.

Apoc. 8. v. 3.

XX. Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum DEI, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO.

§. III.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Laur. Just. ser. de S. Mich.

I. MInistrantium ordinibus injunctum est particulare hoc regimen universum, ad quod perficiendum nec tabescunt tædio, nec labore succumbunt, neque seducuntur errore.

S. Thom. Villan. con. 1. de S. Mich.

II. Quantæ virtutis & potestatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos una nocte occidere? maris fluctus siccare? currus & exercitum Pharaonis submergere? tot gentes & tam robustas subvertere, & populum Israël in terram eorum introducere? quæ tamen omnia unus Angelus, cui populus à Deo commissus est, qui eundem in deserto in columna præcedebat, operatus est.

Ibid.

III. Non valdè mirabimur hæc, si orbes illos cœlestes tam vastos & amplos singulos à singulis spiritibus tantâ velocitate, & uniformitate, tot sæculis, sine ullo velocitatis aut tarditatis augmento vel decremento moveri, consideraverimus. Ad vocem Archangeli totus suscitabitur mundus, totum terrarum orbem à summo usque deorsum, à convexo cœli usque ad infimum abyssi penetrabit illa vox.

S. August. in Ps. 102.

IV. Vix audierunt vocem divini præcepti, statim faciunt verbum ejus, ut quamvis Divini Verbi præceptum antecedat, tamen tanta illorum in exequendo velocitas, & intentio est, ut nescias penè, quid prius est, vox ne sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas.

S. Bonav. Serm. 1. de Angel.

V. Vide quanta sit Angelorum charitas, qui in cœlo empyreo creati, tanquam in loco sibi convenienti, & apto Divinæ contemplationi, pro divina obedientia, & charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra, in loco obscurissimo, si cœlo empyreo comparetur, licèt divina contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur.

Orig. hom. 1. in Ezech.

VI. Dicunt inter se: si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eja omnes descendamus de cœlo! Ideo & multitudo militiæ cœlestis erat laudantium & benedicentium Deum, quando natus est Christus.

S. Aug. to. 9. c. de dilig. Deo.

VII. De excelso cœlorum habitaculo, ad consolandos, visitandos, & adjuvandos nos, attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos, & propter seipsos: Propter Deum utique, cujus tanta erga nos pietatis viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur: Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur: Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis, toto desiderio præstolantur.

Abulensis in c. 18. Matt. q. 67.

VIII. Angeli boni proniores sunt, ad adjuvandum, quàm Dæmones ad infestandum; atqui Dæmones nunquam ab infestatione hominis cessant usque ad mortem; Ergo neque Angeli custodes cessant aliquando in custodia hominum.

S. Petr. Dam. apud Mansi

XI. Quotidiè illos ad nostri custodiam deputatos multipliciter offendimus, & offensam negligentiâ cumulamus, ipsi autem licèt à nobis frequenter injurias patiantur, sustinent tamen, & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos custodia, imò major sollicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis, quàm sanis, operam exhibere. *disc. 10. n. 12.*

X. Annunciant Deo Angeli opera nostra cuncta, nec non orationes, non, ut ipse discat, quæ nesciebat (nihil enim est, quod ignoret:) sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo, quid erga se, vel erga nos fiat; sive consulendo, quid faciat, qui pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur. *S. Anselm. in c. 16. Luc.*

XI. Noli, O homo, tale Conditoris tui negligere munus, noli custodis tui Angeli benevolentiam spernere, suffragium abjicere, & ignorare consilium. Sta super custodiam tuam, & dum oras, legis, sedes, ambulas, loqueris, vel aliud agis, attende diligenter, quæcunque versantur in te; tibi assistunt Angeli à dextris boni, à sinistris mali, eorum singuli ut te rapiant ad se, illisque consentias. *S. Laur. Justin. c. 16. de vit. solit.*

XII. Vigilat super nos indefessus ille divinæ providentiæ oculus, mittens & remittens administratorios illos Spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris, & cavendum est nobis à malis factis, aut verbis, cùm sciamus Deum ad nos incessanter Angelos destinare, qui omnia nostra bona & mala eidem renuncient, & considera, quanta aviditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit, ad nuncios suscipiendos. *Oleaster in c. 28. Gen.*

Dignitas.

XIII. In supernis Spiritibus non solùm admirabilis dignitas est, & dignatio amabilis invenitur, sed tanta gloria est, quòd lingua vel cor humanum nullatenus dicere valet, vel cogitare. *S. Aug. ser. 46. ad frat.*

XIV. Domestici Dei sunt, Cœli cives, Principes Paradisi, scientiæ Magistri, Doctores sapientiæ. *Ibid.*

Beneficia.

XV. Propter nos inserviunt nobis, miserantur enim sortem nostram, videntes periculum nostrum, & laborem vitæ nostræ, qui conspiciunt nos in magno discrimine positos, in medio scilicet inter gloriam & gehennam, quibus aut perpetuò regnandum est, aut ardendum, & tanto discrimini obnoxios omni sollicitudine curant in bonam partem deflectere. *S. Thom. Villan. conc. 2. de S. Mich.*

XVI. Castra Dei hæc sunt, quia ad modum castrorum nos muniunt; qui sumus faciles ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum, & ideo occurrunt nobis tanquàm potentissimi coadjutores, ut eorum auxilio muniti discamus hostium potentias non timere. *S. Bonav. apud Mansi disc. 1. n. 4.*

XVII. Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem & fletum, Dei scientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, legis instruunt servare mandata, obtemperare Deo, subesse majori- *S. Laur. Just. c. 16. de vit. sol.*

majoribus, pacem diligere, humilitatem sectari, & cuncta odisse, quæ nôrunt repugnare virtuti.

S. Chrysost. ho 3. ad Hebra. XVIII. Propter nos laborant, circa nos cursitant, & ut dixerat quispiam, nobis serviunt, hoc est, eorum ministerium, propter nos in omnes partes mitti.

S. Io. Damasc. l. 2. fidei orth. c. 3. XIX. Benedicantur Cœlestes Spiritus (verba sunt Damasceni) qui tametsi eximiâ naturæ dignitate & perfectione longè nobis superemineant, non tamen aspernantur nostri curam, & custodiam: sed mirâ humilitate nobis condescendentes omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes & consortes ipsorum efficiamur in cœlis.

S. Laur. Just. c. 7. de Obed. XX. Assiduâ vigilantiâ comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotiis, in itineribus, semper exhortantes ad bonum, detestantes malum, protegentesque à malo, si tamen intentâ cordis aure eorum sacra monita audire velimus.

S. Aug. ser. 46. ad frat. XXI. Isti sunt, per quos sustentamur, per quos in mari & in terra juvamur, per quos mente & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & angustiis consolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur.

S. Laur. Just. ser. de Euch. XXII. Hinc est, quòd nos in hujus peregrinationis naufragio, ne periclitemur, protegunt, præbent consilia salubria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, supplicationes impetrant, reportant gratiam, torporem excitant, de ignotis erudiunt, instruunt ad certamen, spirituales arcent nequitias, atque indeficientem imbecillitati humanæ custodiam exhibent.

Idem c. 5. de discipl. Monast. XXIII. Si orant, eorum preces offerunt Deo, nec vacui revertuntur ad nos; si pugnant, æquè ipsi cum eis pugnant: si quiescunt, ipsi excubias agunt, ne quid mali ab adversariis patiantur; si ignorant, docent eos; si cadunt, erigunt; si pusillanimes efficiuntur, sanctis exhortationibus roborant, & accendunt: & quâ parte humana cur vatur iniquitas, eâ parte se opponunt casuris.

S. Bern. ser. 31. in Cant. XXIV. Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam, discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona.

Bellarm. in Psal. 90. XXV. Tunc offendimus pedem ad lapidem, cùm oblatâ occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi, labimur in peccatum, unde bonum æternum amittimus, & sempiternum supplicium incurrimus; sed qui habitant in adjutorio Altissimi, ab Angelo custode juvantur, ut vel occasio illa tollatur, id est, affectu elevato à terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facilè contemnatur, & malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissimè toleretur.

S. Thom. Villa ser. 2. de S. Mich. XXVI. Pessimi dæmones nostram cupiunt perditionem usque adeò, ut videre sanguinem humanum effusum in bellis, eorum luxuria sit, & non nisi humano sanguine invocati à Magis, respondeant ad quæsita, tanta est eis humani sanguinis sitis, Angeli autem è converso hos truculentas bestias à nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversus eos, ac veluti parvulos suâ protectione tuentur.

S. Aug. soliloq. c. 27. XXVII. Grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, quâ dilexisti nos, diligunt enim, quos tu diligis.

Custodia.

Orig. in num. hom. 66. XXVIII. Adest unicuique nostrûm etiam minimo, qui sunt in Ecclesia DEI, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cælis est.

S. Hilarius in p. 129. XXIX. Angelis non eget Natura, sed imbecillitas nostra; nihil eorum, quæ agimus, ignorat DEUS, sed infantia nostra ad erogandum & promerendum hos tales desiderat oratores.

S. Hier. sup. Matt. 23. XXX. Magna dignitas fidelium animarum, ut unaquæque habeat ab ortu Nativitatis in custodia sui Angelum deputatum, imò plures.

S. Bern. s. 1. de Ang. XXXI. Fidelis Paranymphus discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona; excitat istam, placat illum.

Ibid. XXXII. Angeli nostros sudores, non suos: nostras, non suas lacrymas offerunt DEO, nobis quoque ejus munera referunt.

Ibid. XXXIII. Ipsi amant nos, quia Christus nos amavit. Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me amat, & canem meum amat. Nos verò, ô beati Angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli autem cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum nostrorum, qui estis vos.

Idem s. 2. in vigil. Nativ. XXXIV. Quantùm putatis, desiderant cives cælestes instaurari civitatis suæ ruinas? quomodo discurrunt medii inter vos & DEUM, fidelissimè ad eum portantes gemitus nostros, & ipsius gratiam nobis devotissimè reportantes? planè non dedignabuntur, ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri.

Idem s. 77. in Cant. XXXV. Bene tecum agitur (ô Sponsa) bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo, de terra venit tibi auxilium. Qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui, Angeli Sancti, vigiles tui Spiritus.

S. Aug. solil. c. 27. XXXVI. Magna sunt beneficia tua, Domine, quibus nos honorâsti, dans nobis Angelos tuos in ministeria nostrorum; dederas enim nobis, quidquid cæli ambitu continetur; & quasi parva reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes ea, quæ super cælum sunt.

Orig. ho. 80. in c. 21. Gen. XXXVII. Gloriantur in cælo Angeli de profectibus hominum, ipsi enim velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus, velut tutoribus & actoribus committimur usque ad præfinitum tempus à Patre.

S. Bern. in 1. Cant. v. 8. XXXVIII. Anima nusquam est sine Angelorum Custodia. Et ne dixeris in corde tuo, ubi sunt? quis eos vidit? vidit eos Propheta Elisæus, & fecit, orando, ut videret etiam Giezi.

Tu

Tu non vides, quia non es Propheta, nec Puer Prophetæ. Vidit Patriarcha Jacob,& ait: Castra DEI hæc sunt. Vidit & Doctor Gentium, qui dicebat: Nonne omnes administratorii Spiritus? ergo Angelicis suffulta ministeriis & superno stipata agmine Sponsa incedens, similis est equitatui Domini, prout in Cantici s dicitur: Equitatui meo curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.

S. Hieron. apud Albertin. c. 3. de Ang. Cust.

XXXIX. Vide,ô Homo, quanta sit dignitas Animæ,& quanti eum æstimet ipse DEUS, qui à momento Nativitatis tuæ assignatum tibi de cælo voluit Custodem Angelum, & hunc tantæ potentiæ, ut citiùs ictu oculi possit universum mundum invertere: tantæ Majestatis, ut S. Joannes tametsi cum Christo ipso familiariter conversari soleret, ad conspectum Angeli provolveretur in terram, eum adoraturus, tam inexplicabili scilicet ipsius vultus dignitate & claritudine coruscabat. Et tamen, ô Homo, hic Angelus tam potens, tam splendidus ac venerandus, abs DEO tibi in Tutorem adjungitur.

Cultus.

S. Bern. S. in 12. ps.

XL. Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione, & devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.

Idem in S. de Ang.

XLI. Simus devoti, simus grati tantis Custodibus, redamemus eos, quantùm possumus, quantùm debemus, affectuosè, tanquam futuros aliquando cohæredes, & nostros interim Actores & Tutores à Patre positos, & præpositos nobis; adhuc enim parvuli & sub Tutoribus & Actoribus sumus.

Ibid.

XLII. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Custodem tuum, Directorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione enim neque dormitat, neque dormit etiamsi videatur quandoque ad tempus dissimulare.

Ibid.

XLIII. Væ nobis, si quando provocati sancti Angeli peccatis & negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentiâ & visitatione sua, quâ nos protegere, & propulsare inimicum poterant. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda est nobis eorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus novimus eos maximè oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis invenire delectant, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, & super hæc omnia veritatem & pacem à nobis exigunt.

Idem in S. 40. sup. illud accesserunt Angeli.

XLIV. Tu ergo, si vis habere Ministerium Angelorum, fuge consolationes seculi, & tentationibus resiste Diaboli.

Idem in ps. qui habitat.

XLV. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam exhibe, nec audeas illo præsente, quod me videnti non auderes. Adsunt igitur tibi non tantum præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant: adsunt, ut prosint.

S. Bonav. opus. de 7. stim. ætern.

XLVI. Vult Dominus, ut Angelis assimilemur, ut ardeamus amore cum Seraphin, divinorum scientia fulgeamus cum Cherubin, Spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus cum virtutibus, regnum animæ in pace gubernemus cum Potestatibus, provideamus cum Principatibus, magna Proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus subsidia impertiemur cum Angelis.

Origen. ho. 20. in c. 25. Num.

XLVII. Si homo non acquiescit monitis Angeli, qui sibi deputatus est ad salutem, auferetur maceria ejus, & erit in proculcationem. Quòd si Princeps meus, Angelum dico, qui est mihi consignatus, commonuit me de bonis, & locutus est in corde meo, sed ego contemptis ejus monitis, & spreto conscientiæ retinaculo præceps in peccata corruo, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu Monitoris, vel pro scelere commisso.

S. Petr. Dam. l. 6. est 32.

XLVIII. Si vita nostra tam prava videtur, & squallida, ut etiam carne vestitis hominibus fœteat, qualis putas est Angelis, qui jugiter semper eminent in spiritualis munditiæ culmine? Unde & illud formidolosè pensandum est, ne illos, qui ad custodiam nostram deputati sunt, Angelos vitæ nostræ fœtor offendat, ut potiùs apud Deum conqueri, quàm sua nos debeant attestatione tueri.

Orig. hom. 2. Jerem.

XLIX. Cave, homo, ne quando reliquit te Medicus, sive Angelus Dei; manifestum, quia abscessio eorum condemnatio tua sit, ut irremediabilis, nolentisque curari; cum autem te deseruerint, quid tibi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui à Medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demergantur.

§. IV.

EXEMPLA EXTERNA.

Custodia.

Luc. 22. v. 43.

I. CHristus Dominus in monte Oliveti sese ab Angelo confortari passus est.

Ibid. c. 1.

II. B. Virgo à S. Archangelo Gabriele salutata est, & nuncium Incarnationis Christi per ipsam peragendæ accepit.

Paulinus in vita.

III. Cùm D. Ambrosius Auxentium Episcopum Arrianum provocâsset, ut se differentem in Ecclesia audiret, evenit, ut quidam vir de Hæresi Arrianorum, acerrimus disputator, ad Ecclesiam se conferret, qui cum loquente Episcopo vidisset Angelum ad aures adstantem, &, quæ diceret, inspirantem, conversus fidem, quam oppugnaverat, ipse defendere cœpit.

Guil. Baldes c. 2. stim. c. 2.

IV. S. Francisca Romana duos semper secum Angelos habebat, unũ ex Archangelorum Choro, qui nunquam ab ea discedebat; & alium ex quarto ordine, qui non quidem assiduè, sed frequenter tamen se illi ostendebat. Hos sæpe præsentibus aliis, sed nihil videntibus, hâc ferè specie intuebatur. Vestes erant candore plerumque niveo, aliquando cæruleo, rariùs purpureo colore; alter impressa semper in crucis modum brachia pectori apprimebat; alter ex auro tres pal-

mæ ramulos dextrâ præferebat: uterque, quamvis vicini essent virgini (alter enim semper dextrum claudebat latus) in cælum defixos habebat oculos: utrique promissa & aurea cæsaries: utrique ea claritas vultus, ut præ altero sol ipse minùs luceret, præ altero nubeculæ instar obscuræ videretur.

Luitprandus c. 2. hist. V. Wenceslaus Bohemiæ Rex occurrens in finibus Duci Curimensi, qui fines regni hujus vastabat, ei singulare certamen obtulit, ut multorum cædibus parceret. Ubi ventum est ad manus, Angeli apparuêre, qui Wenceslaum protegentes arma ministrabant. Quo viso Dux petiit veniam, eaque obtentâ discessit.

Vita apud Sur. 22. Nov. VI. Cæcilia Valeriano desponsata primâ nocte nuptiarum illi dixit: Ego, Valeriane, in tutela Angeli sum, qui virginitatem meam custodit, quare ne quid in me committas, quo ira DEI in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus eandem attingere non est ausus, quin etiam addidit, se in Christum crediturum, si eum Angelum videret, quod & præstitit, postquam ab Urbano Papa baptizatus eundem Angelum divino splendore fulgentem, & ponè Cæciliam consistentem vidit.

Surius 11. Oct. VII. Cùm S. Jacobum Germanum Ordinis S. Dominici Diabolus perpetuò vexaret, &, quoties orabat, verberibus oneraret, eo discedente Angelus adfuit dixitque: Serve DEI, esto fidelis usque ad mortem, exspecta DEUM, viriliter age, & confortetur cor tuum; ingentia sunt enim, quæ tibi pro labore parvo atque certamine præmia proponuntur.

Raderus in Virid. p. 2. c. 4. VIII. Joanna Urbevetana Virgo Ordinis S. Dominici, adhuc parvula orbata Parentibus dicebat, se ab Angelo custode fidei & pietatis documenta accepisse, unde gratiam baptismalem ad mortem usque servavit.

Lit. annuæ Soc. JESU. 1587. IX. In Mexicana Provincia cùm quispiam infirmus metu mortis graviter consternatus esset, evenit, ut die quapiam pulcherrimum Juvenem admiranda luce circumdatum sibi appropinquare viderit, montes aureos, & in iis ingentem numerum Personarum monstrantem, quo viso summè recreatus nihil nisi mortem desideravit.

Fab. conc. 3. in festo S. Mich. S. 1. X. Cum Anno 1144. Exercitus Christianorum in periculosa viarum discrimina incidisset, & certò ab hostibus insidiantibus delendus esset, subitò miles ignotus albo equo insidens, & rubeum vexillum opportans apparuit, & eos Jerosolymam usque salvos perduxit.

Spec. Ex V. eod. ex. 16. XI. Liffardus Monachus cum humilem vitam pertæsus, jamjam abitum ex Monasterio pararet, ab Angelo ad sepulchra mortuorum deductus, offenso cadaverum horribili aspectu, à meditata fuga abductus, & in proposito religioso confirmatus est.

Vita. XII. S. Isidoro Agricolâ pietati & orationi in templo vacante, S. Angelus Custos illius aratro interea terram secabat, pascebat mulos, & lupos à gregibus arcebat.

Pad. Christi. to. 2. p. 1. c. 4. sect. 5. n. 12. XIII. Apud Lucanos in Hetruria Ancilla quædam, Sita nomine, cum è templo seriùs ad coquendos panes domum rediisset, Angelus interea massam subegit, formavit, & in mensâ paratos panes posuit, ut mox in Clibanum mitti potuerint.

Ibid. XIV. Cùm Falco nobilis Adolescens Constantinopolitanus in honorem sui Angeli Custodis voto se obstrinxisset, nunquam mentiendi, illudque sanctè servâsset, etiam tum, cùm ob confossum à se in rixa Sodalem in carcerem conjectus, mortis sententiam negando effugere potuisset, Angelus Custos, dum Lictor jam ferire parat stricto ense mortem illi minatus est, nisi à feriendo Falcone abstineat; cumque tres alii Lictores substituti, imò ex occisi propinquis unus eundem ictum tentarent, simili modo ab Angelo absterriti sunt. Sic ergo liberatus Falco Religionem intravit & nomen Angeli assumens vitam Angelicam vixit.

Joseph. l. 2. c. 12. XV. Paulò antè, quàm Hierosolyma subverteretur auditæ sunt voces Angelorum, qui ad custodiam templi adhibiti erant, dicentium: Migremus hinc.

Brev Rom. 8. May. XVI. Cùm quondam in monte Gargano cujusdam taurus in speluncam fugisset, & sagittâ, quâ Dominus taurum configere volebat, retorta in ipsum sagittarium fuisset, occasione hujus miraculi didicerunt spontini incolæ, specum illam spectare singulariter ad custodiam S. Michaëlis.

Judith. 13. v. 20. XVII. Juditha devicto Holoferne ad suos rediens, cum gaudio dixit: Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & revocavit me Dominus gaudentem in victoria sua in evasione mea, & liberatione vestra, & non permisit me Dominus Ancillam suam coinquinari.

Albertin. c. 11. de Ang. Cust. XVIII. Cùm S. Onuphrius in solitudine deambularet, comitem se illi Angelus adjunxit, dixitque; Ab hora Nativitatis tuæ ductor ac Socius tuus extiti, & cum eodem in visibili forma sex integra milliaria confecit, ut hæsitantem de itinere erudiret.

Gen. 16. XIX. Postquam Agar Saræ Ancilla ob Heræ asperitatem domo exiisset, displicuit hoc factum Custodi Angelo, ideoque spectandum se illi præbuit, & acriter eam objurgans dixit: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manibus illius.

Spec. Ex. dist. 2. ex. 118. XX. Monachus quidam in solitudine degens cum in morbo Angelum aliquot hebdomadis ministrantem habuisset, postea advenientibus visitationis gratia aliis Monachis ejusdem præsentiâ privatus dixit ad illos; abite, quæso, Fratres mei, quia vobis supervenientibus Angelus meus Custos, à quo visibiliter præsente solatium & plenissimum obsequium habui, repente dilapsus est. Quo dicto mortuus, & Angelum suum secutus est.

Ibid. dist. 10. ex 9. XXI. In Civitate quâdam Diœcesis Trajectensis cùm Juvenis quidam Juvenibus discolis & lascivis se sociâsset, eorumque exemplo propemodum puritatem mentis, & florem Virginitatis perdidisset, ubi postea domum rediit, Angelum formosissimi Juvenis specie obvium habuit, qui accedens, alapamque infligens, deinceps cautiorem esse, malasque Societates defugere jussit, ac subito iterum disparuit.

XXII. In

Albert. c. 6. de Ang. Cust. XXII. In Vitis Patrum legitur, Senem quendam ac sanctum virum conspexisse Angelos hilari ac sereno vultu adstantes, sicubi Monachi sermonem de rebus sanctis miscebant; si autem de rebus vanis & inutilibus loquerentur, recedentes, indignantesque, & succedentes in locum ipsorum atros Dæmones, qui sub specie spurcorum animalium circumeuntes, impuras cogitationes eorum mentibus adhalabant.

Ibid. c. 9. XXIII. Abbas Theodosius de seipso fassus est, quòd ante, quàm vitam solitariam profiteretur, Angelus ipsum dextrâ apprehendens in immensum theatrum duxerit, in quo ex una parte innumeri homines albis vestibus induti, & ex altera parte totidem nigris vestiti sedebant. Ubi cum vir inusitatæ magnitudinis prodiisset, ab Angelo cum hoc pugnare jussus est; verùm cum is timore consternatus pugnam deprecaretur, Angelus hortatus est, ut pugnæ duntaxat initium faceret, mox enim se ad futurum, & partâ victoriâ caput ipsius cœlesti diademate coronaturum; id quod & fecit, quam primum obsecutus Theodosius, & Gigantem aggressus est.

Ibid. c. 15. XXIV. Ætate Serionis Abbatis cum Monachus quidam in Missa verba hæc recitaret: *Supplices, te rogamus Omnipotens DEUS, jube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum:* Vidit quamplurimos Angelos circa Altare, quorum unus cæteris altior Sacram hostiam Deo tanquam ibidem visibiliter præsenti offerebat, & mox eâdem suprà altare collocatâ disparuit.

Nadasianus Angeli hebd. 17. n. 6. XXV. S. Codratus adhuc Infans, cum adhuc in cunis Matrem amisisset, Angelus illi nutritius fuit, qui è nube ipsum cœlesti lacte pavit, & educavit ad eam indolem, ut postea per flagra Martyrii cantando iret ad mortem.

Engelgr. in Calo Sidereo in festo S. Mich. XXVI. B. Deodomo in Ecclesia deserta omnia ad Sacrificium necessaria paravit, ejusque ad Missam inserviit; posteà verò ad iter prosequendum, equum, frenum ephippium, sellam, stapedes, Famuli instar aptavit.

Fab. conc. 4. in festo S. Mich. XXVII. Theodorus Adolescens cum sub Juliano Apostata equuleo tortus, & acutis testis suffossus sic se gereret, ac cantaret, quasi nihil sentiret, ideoque à Juliano, ne ludibrio haberetur, vinculis solutus fuisset, interrogatus postea, quî habuisset se in tormentis? Respondit, se quidem non omnino doloris sensu caruisse, sed adstitisse Angelum, qui tenuissimo linteo sudorem abstergeret, & aquâ frigidâ corpus aspergens, ardores restingueret, & dolores sublevaret.

Engelgr. in festo S. Mich. XXVIII. Basilides mare cum Sociis trajecturus, Christum ad clavum sedentem Gubernatorem, Angelos verò remiges habuit, quibus feliciter optatum portum appulit.

Ibid. XXIX. Cùm B. Joannes Angelus in infirmitate venam aperiri ex Medici consilio jussisset, Angelus ejus Custos tamen & alia necessaria ministravit, & Sanguinem pelvi excepit.

Surius 18. Sept. XXX. S. Ferreolum Martyrem suis alatis humeris per Rhodanum novi Arione devexerunt.

Engelgr. l. c. XXXI. Evolpho Puero Morti vicino extremam unctionem Angelus contulit.

Ibid. XXXII. Fulgentia Romana cùm ob spurcitiem commissam à Dæmone personato coram Judice, etiam adductis testibus accusata fuisset, ubi opem à B. Virgine, & S. suo Angelo Custode petiit, omniaque meliora pollicita fuit, ab hoc sub specie formosissimi Adolescentis ad Judicem comitatur, potenter defensa, & feliciter in judicio absoluta est.

Ibid. §. 2. ex Alphonso Andrada p. 2. hist. itiner. an. no 1640. XXXIII. Cùm in Hispania Vir quidam Nobilis S. Angelum Custodem peculiari veneratione & amore prosequeretur, atque in ejus honorem quotidie corollam Marianam recitâsset, Angelus ei hoc obsequium præclarè rependit; nam cùm illustrem Dominam ædibus suis vicinam, quoties vel ex ædibus prospicientem vel transeuntem ex humanitate salutâsset, Maritus illius Dominæ Zelotypiæ spiritu accensus, Uxorem in suburbanum hortum invitatam stricto gladio coëgisset, ut per literas Nobilem illum in villam invitaret, & Marito peregrè profecto se solam ibi versari scriberet, & ipse nihil mali suspicatus jam iter illud equo vectus adornâsset, ubi propè patibulum transiit à reo recenter suspenso vocatus sistere gradum, accedere, funemque resecare jubetur, quod ubi fecit, reus equi tergo incidens incolumem ad villam deducit. Ad quam ubi venerunt, equo Nobilem descendere, sibique chlamydem suam porrigere jubet, simulque periculi admonet, ipse verò intrepidus villam ingreditur, in quam vix pedem intulit, cùm ecce armati viri ad id constituti è latebris irruunt, & misere lamentantem variis vulneribus confodiunt, & in latrinam abjiciunt; ex qua tamen vivus exurgens ad Nobilem redit, chlamydem reddit, vulnera ostendit, quæ illi parata esse dixit, iterumque conscenso equo, ubi ad patibulum ventum est, descendens corpus in furcam denuo suspendit, & se Angelum ejus Tutelarem esse affirmavit, qui obsequia sibi exhibita hoc beneficio rependere voluerit. Nobilis ergo domum reversus dum sequenti die indictis in honorem S. Angeli Custodis Sacris, in templum se contulit, gratiisque pro beneficio agendis immoratus est, Famuli à Zelotypo submissi, ut explorarent, quis rumor in occisi domo exortus esset, ubi in templo versari audiverunt, ibique quæsitum & incolumem reperissent, cum ingenti stupore id suo Domino nuntiârunt, qui mox ad Nobilem accurrens, intellecto miraculo, in amplexus ejus ruit, veniam petiit, & Uxorem summo deinceps amore prosecutus est.

Rader p. 1. virid. pag. 12. & ex eo Faber conc. 3. in festo S. Mich. XXXIV. Hildegundis Virgo, cum, ut pudicitiæ suæ consuleret, sub viri specie, & Josephi nomine iter ingressa, pro Fure, quem Oppidani quærebant, apprehensa, fustibus cæsa, & laqueo in collum injecto, ad furcam pertracta, & suspensa fuisset, Angelus ejus Custos, ne laqueus fauces comprimeret, tantisper eam sustentavit, & suavissimâ Musicâ aërem complens opilionem accersivit, qui eam è patibulo deponeret, ipse verò equo candidissimo impositam, Veronam ad suos incolumem perduxit.

Engelgr. l. c. §. 4. XXXV. Cùm Nicolaus quidam Angeli Tutelaris Statuam inauratam ære tum suo tum

tum ab aliis quæsito, in prædio suo collocari jussisset, postea in Vesuviano incendio Neapolim profugiens, ibidem rogatus, num prædium suum ex illo incendio damnum aliquod fuisset passum? respondit, nullum equidem se credere passurum fuisse, eò quòd Angelus Tutelaris ad limites illius collocatus, omnem ignis injuriam propulsurus speretur. Quod & factum, nam imago illa erecto vertice extare undis, & adstare ripis prædio imminentibus est reperta, quasi limites custodiret.

Drex. in horol. horâ 5 noct. cons. 2. c. 2.

XXXVI. Cùm Dux Bojariæ Maximilianus anno 1620. in rebelles Bohemos castra movisset, & de nocte Hostes loco, milite, & temporis commoditate superiores, eundem opprimere parâssent, non modò à via, peritissimis licet Ductoribus usi, aberrârunt, sed etiam ob conspectam in oppositis castris incognitam legionem, tanto terrore consternati, & in fugam acti sunt, ut plures in fuga, quàm pugna cæsi & oppressi sint.

Ibid.

XXXVII. Anno 1622. cùm Gregorius Fridericus Marchio Durlacensis in Bavaricum Exercitum magno furore & animo, & quasi certus de victoria, militem suum duxisset, jamque conflictus dubiâ aleâ per tres horas duravisset, subitò Eques niveo equo vectus incredibili ausu & celeritate, plumbeis glandibus frustra in illum convolantibus, hostilem aciem prætervectus, à tergo hostium pyrio pulveri ignem injecit, sicque milites illius metu consternatos partim in fugam egit, partim Catholico Exercitui cædendum objecit.

Vit. PP. l. 7. c. 44.

XXXVIII. Abbas quidam rogatus quænam ejus esset quotidiana exercitatio; respondit: Ego Angelum meum mihi assistentem juxta me exspecto, & custodio meipsum, quod scriptum est, reminiscens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Timeo ergo eum: ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad DEUM, & insinuantem actus meos & verba.

Beneficia.

Tob. 11. v. 3.

XXXIX. Tobias junior de se fassus est: me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.

Mansi d. sc. 1. n. 15.

XL. Quando tempore S. Gregorii Magni urbs Romana sævissima flagellabatur pestilentia, adeò, ut præ cadaverum multitudine, urbs illa vastissima visa fuerit ingens quoddam esse mortuorum cœmeterium, placata demum divina justitia Angelus quidam supra molem Adriani visibiliter sese conspiciendum præbuit, qui strictum habens, cruentumque gladium in vaginam recondebat, in signum quòd mortalis illa quæ hactenus sævierat, influentia jam penitus cessaret; unde moles prædicta deinceps castrum S. Angeli denominata fuit.

Baron. ann. 400. n. 44.

XLI. In Annalibus Ecclesiasticis legitur; Quòd cùm quidam cui nomen Gainas erat, urbem Constantinopolitanam armorum suorum vi & potentiâ in exterminium animo statuisset adducere, accidit, ut quidam immensæ magnitudinis Cometes, qui ad terram usque pertingeret, conspiceretur; ipse insidias suas palam futuras esse metuens, milites suos palatium, immissis ignibus, aggredi & infestare jussit, qui prope palatium venientes ingentem quendam armatorum militū excessivæ magnitudinis, & grossitiei admirabilis numerum conspexêre, ex quo viso, metu & terrore consternati, retrogressi sunt, unde venerant, Tyrannus autem alios denuò milites ad idem palatium emittens, eosdemque non minùs, quàm primos ab eodem spectaculo perculsos esse cernens, tandem ipsemet in propria persona ad idem se palatium recepit, eandemque armatam multitudinem oculis propriis cernens, eosdem deforis ad palatii custodiam missos milites esse credidit, adeoque tandem à perverso suo attentato destitit, qui tamen postea milites illos Angelos civitatis illius tutelares esse certò cognovit; utpotè qui clientibus suis ab omni ærumna & gravi tribulatione eripiendis, sollicitè & gnaviter invigilant.

Idem anno 410.

XLII. Cardinalis Baronius de Theodosio Imperatore refert, quòd is Persarum Regem formidabilem quendam exercitum congregâsse præsentiens, fiduciâ suâ in Deum totaliter collocatâ, suum tametsi modicum & rarum militem adversus hostem urserit; Cumque in urbe Constantinopolitana ob ancipitem prælii futurum eventum ingens omnes timor incessisset, nonnullis in Bithynia Christi fidelibus multi apparuerunt Angeli, eisdem præcipientes, ut ad populum Constantinopolitanum consolandum abirent, eundemque de reportanda per Theodosium victoria, securum, certioremque redderent, eò quòd multi Angelorum à Deo expediti essent, ut in hoc prælio ministri & Duces essent; undè cæsa fuerunt ex inimicis fidei nostræ centum millia, quorum major pars in Euphrate submersa fuit.

Idem anno 958. n. 1.

XLIII. Arabes Cordubam de facto inhabitantes, adversus Catholicos Hispanos centum quinquaginta millia peditum, & quinquaginta millia equitum conscripserant; Dum verò Ramirus Rex de cœlo sibi mitti postularet subsidium, subitò ante Catholicorum militum exercitum cœlestes comparuêre Spiritus, militari habitu induti, quorum præsidio & ductu Ramirus cæcidit 80. millia, reliquis totaliter profligatis & dissipatis.

Raynaldus an. 1456. n. 13.

XLIV. Memorabilis quoque illa victoria fuit, quàm B. Joannes Capistranus ante Belgradum à Turcis obsidione cinctum, sub Pontificatu Calixti III. reportavit; in quo prœlio Mahometus Christiani sanguinis avidissimus, qui in propria persona eidem prœlio præsens aderat, unà cùm ducentis millibus pugnatorum vulneratus est, & occubuit. Et quidem de B. Joanne præfato Annales memorati dicunt: Cum duobus fratribus ipse solus cùm per parvam transiret naviculam, visum est Turcis innumeram armatorum multitudinem contra eos transisse, cùm in rei

veri-

veritate essent solùm tres personæ, & ideo rabidi canes in se se mutuò sævierunt, & ad numerum viginti quatuor millium interierunt.

Specul. Exemp. ex 5. XLV. De S. Paulo simplice S. Antonii discipulo, sequens narratur visio; Hic enim die quadam multos, serenam præ se ferentes faciem, atque ab Angelo eorum custode associatos jucundos & hilares Ecclesiam ingredi vidit: Inter alios verò unum postea nigrum, à dæmonibus capistro per nares alligatum, ejus verò Angelum è longinquo mœstissimâ facie subsequentem conspexit; Ex qua visione S. Paulus plurimùm contristatus fuit, licèt eum Deus postea subitò per immissam ei consolationem denuò erexerit: siquidem eundem, dum ab Ecclesia regrederetur, omninò ex atro & deformi, in candidum valdeque speciosum mutatum, ejusque Angelum ante eum maxima cum hilaritate præcedentem, dæmonem verò procul ab eo positum & afflictum conspexit; Cumque S. Eremita visionis hujus significatum summo cùm desiderio scire cuperet, divinâ ex revelatione accepit, illum ideo nigra fuisse facie antea visum, quia fornicationis peccato multo tempore immersus fuerat; Verba autem sequentia Isaiæ audiendo, nimirum: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum de animabus vestris coram oculis meis, discite benè facere; Et si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur*; perfectè compunctum fuisse, seriamque egisse pœnitentiam.

Baronius an. 674. XLVI. In Annalibus Ecclesiasticis de quodam Hispaniarum Rege, cui nomen Vamba erat, refertur, quòd, cum exercitum suum adversum fidei rebelles ducturus esset, primò & ante omnia sollicitus fuerit, ut milites suos armis spiritualibus timoris Dei, virtutumque Christianarum communiret; At verò cùm deinceps multos sub signis suis merentes adulterii crimen commisisse intellexisset, justam de illis capturus vindictam, partes eorum secretiores amputari jusserit, dicens: Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum; At verò, qui tot militum passus fuerat jacturam, quosnam postea habuisse putatis, quos adversus exercitum inimicum in sui regni defensionem opponeret? visus est Angelorum excubiis protectus noster exercitus, & ipsos Angelos super castra coruscа volitatione protectionis suæ signa protendere.

Specul Exemp. ex. 2. XLVII. In speculo exemplorum refertur, unum è senioribus Eremitis die quadam vidisse, quòd dum Eremitæ sui spirituales inter se conferentias sive colloquia miscerent, Angeli valdè lætâ & hilari facie iisdem adstiterint, quasi significare volentes magnam se ex devotis colloquiis voluptatem percipere: è contra verò dum de aliis rebus vanis & inutilibus confabularentur, sese iidem cœlestes Spiritus velut indignabundi subduxerint, eorumque in locum animalia quædam successerint immunda, luto turpiter defœdata, quæ in medio Monachorum sese circumvolutabant, voluptatem nimirum indicantia, quam dæmones ex vanis & inutilibus discursibus hauriunt.

Bibl. patr. S. Bo- XLVIII. Petrus ab Alva & Estorga in portento gratiæ ex diversis revelationibus & authenticis Scriptoribus astruit, S. Franciscum per Angelum à Deo missum in Assisiam Civitatem ad matrem ejus Picam fuisse annuntiatum, additque, in ejus conceptione quatuor mira contigisse. 1. Quòd conceptus ejus annuntiatus sit ab Angelo. 2. Quòd fuerit in utero matris sanctificatus. 3. Quòd anima ejus fuerit infusa corpori 25. Martii, quo die Christus est conceptus. 4. Quòd statim, ut anima ejus corpori fuit infusa, tantus splendor in valle Spoletana apparuerit, ut omnes dæmones exterriti judicium timuerint; cum autem mater ejus dies plures ægrè parturiret, quidam dæmon accedens in specie peregrini, dixit, in stabulo eam parituram, nec prolem in sericis, sed in fœno edendam. Ita in stabulo & fœno natus est. *nav. & Angeli boni.*

XLIX. Religiosus quidam pietatis causâ in Armenia volebat montem conscendere, ubi dicitur Arca Noë quiescere, ut illam videret; idque conatus est magno labore: sed cùm totâ nocte, quâ potuit, celeritate, fuisset progressus, manè ad montis radicem se reperit, Angelumque vidit Arcæ particulam deferentem sibi cum dicto: Accipe has de Arca reliquias: supra montem ascendere nulli mortalium licet; his dictis evanuit. *Philipp. à SS. Trinit. in Itin. Orient. l. 2. c. 13.*

L. In Paraquaria quidam præ noxio pudore scelera in confessione reticens, in vitæ discrimine, quod morbus creabat, vidit spectrum horrendum sibi imminere; quare unum è nostris vocat, confitetur sincere; Monstrum evanescit, succedit Angelus, (utique custos) in juvenis forma formosissimus, coronam gerens in vertice auream, gemmis distinctam, dextrâ linteum ferebat. Hæsit in limine tantisper vultu ad severitatem composito: tum jacenti propior: sume, inquit, linteum hoc, & lacrymas extergo; linteum vix manu tetigit, tum subitò sic se commoveri sensit ad deflenda scelera, ut doloris impatiens in gemitus & lamenta proruperit. Dolentem subinde excepit suavitas cœlestis, quâ eousque aspersus est, dum Angelus evanuit, relicto in prodigii fidem strophiolo. *Lit. annuæ 1635.*

LI. Christianus quidam, Lucas nomine, fortè cum Gentili inimicitias exercebat, qui ei magicis artibus illusurus, sub lecto Lucæ fascinum posuit. Iturus igitur cubitum Lucas, vidit per suum cubile dæmonem discurrere cum lanceâ in una manu, in altera cum gladio, & infra pedes accensam flammam: quo exterritus Lucas socium suum Benedictum vocat; Tunc dæmon ei ictum infligit: Undè magis territus, opem Angeli sui custodis invocat, qui mox comparet, & eum jubet vicissim ictum cultro, quem ad cervical habebat, spectro infligere: Quòd ubi Lucas fecit, mox humi concidit homo stramineus, dæmoni similis, qui discurrebat, & Angelus evanescit. Sequenti nocte adest idem dæmonium: simul Angelus custos iterum à Luca invocatur, hortans eum, ne timeret, sed, ut heri, spectrum percuteret, dum cecidit, alius è stramine efficitur homo. Addebat Angelus, sub scamno cubiculi alia adhuc latere ejusmodi terriculamenta tredecim, quæ jussit eum protrahere & calcare: neque deinceps sibi timeret. Paruit Lucas, remque totam suâ manu *Relat. Japon. 1644.*

manu ad noſtros Patres perſcripſit, tunc in Regis Palatio Tunquinenſis exiſtentes: qui legerunt, Medico Regio audiente, (ſunt enim his locis Medici ferè magiæ dediti) tùm Medicus ſubjunxit: Eum, qui has incantationes feciſſet, eſſe inſignem magum; ſed eum, qui has ei ſolvit, eſſe utique potentiorem, & ſcientiorem. Et fuit utique S. Angelus dæmone potentior.

Bartoli in China l. 4. fol. 1069.

LII. Mancipium Bengalenſe, Macao in Chinas profugam Chriſtianum, quadam die Dominicâ templum ingreſſum, audiendi Sacri causâ, cum ei videretur longius, impatiens moræ, poſt dimidium Sacrum egreſſus eſt templum, faſtidio plenus: Unde Chriſtiani offenſi ſunt. Vix pedem extra limen templi extulit, cum coram eo duo juvenes comparent, quorum unus injectâ in pectus manu eum ſiſtit: alter tam ſonantem ei colaphum inflixit, ut in toto templo audiretur. Unde Chriſtiani verſi ad locum, unde ſonus ille prodibat, vidêre hominem hunc proſtratum, & ſenſu deſtitutum, ut vitæ indicio careret. Demum ſe erigit, & ad ſe redit; tremebundus tamen Chriſtianis, quid ſibi à duobus Angelis (ut ipſemet dicebat) ad ſui emendationem accidiſſet, retulit.

Wadingus ænna 3. c. 22.

LIII. Ammonas prope Diolcon in eremo aliquando offerens Deo cultum, ut habet Palladius ſect. 66. Lauſiac. hiſt. vidit Angelum ſtantem à dextris Altaris, & ſignantem fratres accedentes ad Sacramentum (SS. Euchariſtiam) & ſcribentem in libro eorum nomina. Cum autem non adfuiſſent aliqui in Synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui poſt tres dies mortui ſunt.

Jul. Cæſar. Recupitus de Veſuvii incendio.

LIV. Nicolaus quidam obſcuri generis, ſed pius admodum, in Veſuviano incendio inauratam ſtatuam, quam tutelari Angelo fieri curaverat, & in pagi, Porticus dicti, ædeſacrâ collocârat, ſenſit ſibi profuiſſe: templo enim illo per torrentem igneum deleto, Nicolaus relictâ casâ, & prædiolo, Neapolim profugit interea, & rogatus ab amicis, nunquid detrimenti eſſet paſſus in prædio, reſpondit: omninò nihil; Nam meus tutelaris Angelus adſtat ad agelli mei limites, & vim ignis prohibet. Ita ille divino utique afflatu. Paulò pòſt aliqui prope Portum navigantes, viderunt pueri ſpeciem veluti litori adnantis, putant merſum in aquas, dum cæteri in igne pereunt, eò remis contendunt, propiùs vident ſtatuam eſſe Angeli tutelaris, erecto vertice extantem undis, adſtantem ripis, quæ Nicolai prædio prominebant.

Virid. Raderi p. 3.

LV. Duo erant fratres Eremitæ, quorum unus obvium theſaurum ſaltu ſuperavit; Alter verò eo ſumpto urbem ingreſſus, Monaſterium, Xenodochium &c. ædificavit. Cui tamen Angelus ita fratrem prætulit, ut ei dixerit: fratrem uno illo ſaltu plùs meruiſſe, quàm ipſum omnibus operibus, quæ illâ pecuniâ effecit, & ob id ſe fratri ſuo verè prætulit. Addidit, eum poſt hac non amplius aut fratris, aut ſuo aſpectu fruiturum, quoad annis 49. pœnitendo eam gratiam recuperet. Ergo extra urbem Edeſſam annis 49. columnæ inſtitit. Anno autem quinquageſimo Angelus redux eum conſolatus eſt; ab eo die meruit videre Angelos, & dæmones pellere. Vidit etiam homines peccatis obſtrictos longo intervallo Angelos ſequi bonos, & mœrentes clientis ſui caſum, dæmones verò agminatim eos circumſtare, ac vinculis conſtringere; Contra vidit, ſi ad le vir bonus accederet, bonos Angelos eſſe eorum anteambulones, tripudiantes, ac lumina præferentes radianti veſte; dæmones verò longo intervallo ſequi.

LVI. Mariæ de Eſcobar, præter cuſtodem Angelum, decem alii Angeli in forma Juvenum ſcitiſſimorum aderant, ſemper ad ſolatia, opem, & auxilia. *Vita l. 1. c. 8.*

LVII. B. Jacobus de la Marca dum versùs carnificinam, ſeu locum, ubi rei plectebantur, inter orandum oculos reflecteret, admirabili viſo Deus oculos aperuit; Proſpiciebat iſthuc per feneſtram cubiculi ſui Jacobus, & ecce Angelorum cohors præfulgida loco imminebat, auditaque vox, ideò adveniſſe, quia plurimi ex eis, qui plectuntur inibi, pro cœleſti gloriâ patiebantur; quibus cum juſta funebria pro more hominum non fuiſſent perſoluta, voluiſſe Deum ut ab Angelis perſolverentur. *Lyræus de imit. Chriſt. l. 7. c. 1. doct. 6.*

LVIII. In Gallia mulier ægra à B. Virgine fuit monita, ut ſe in vicinum montem curet deferri, ibi eam convaliturum, ac velle ſe ibi coli. Angeli comites interrogati, eam Dei Matrem eſſe dixerunt, jubentes fœminam adire Epiſcopum Georgium, eique rem totam aperire. Probatis viſum, & cum muliere & ſociis montem adit. Mons nive tectus erat, etſi dies 11. Julii eſſet. Et mox cervus exiliit, qui curſu ſuo templi topographiam expreſſit, quam ſtatim Epiſcopus voluit ſeptimento notari, donec fabricam inchoaret; quâ feliciter abſolutâ, accedentes Angeli templum B. Virgini dedicârunt. Et hæc Anicienſis illa B. V. Eccleſia eſt, in Avernis miraculis clara. *Idem l. 2. modo 32.*

LIX. Cùm Alexander Bertius ſepeliretur, ejus exequiis etiam Angeli præſentes fuiſſe dicuntur: Nam quatuor feretrum accipere atque ad maximam aram catervatim cœlitibus affluentibus, deportare conſpecti ſunt, cum primùm funus illatum eſt templi Sacrario virgineum corpuſculum, longâ tabe conſumptum, colorem vividum induere animadverſum eſt, maximis poſtea miraculis claruit, qui totus fuit miraculum. *Vita Alex.*

LX. Erat vir pius Eccleſiaſticus, qui ſæpiſſimè B. Virginem ſalutabat iis verbis: Beatus Venter, qui portavit æterni Patris Filium, & Beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum. Quod aliquot annos ſolitus facere, gravi morbo opprimitur, cujus vi & vehementiâ ille dentibus labia & linguam laceravit, commiſeratione omnium dignus. Tunc Angelorum unus (utique ejus cuſtos) ad pedem lecti conſpicuus, verſus ad B. Virginem per hujus ægri fidiſſima obſequia obteſtatus eſt, ei ſanitatem reſtitueret, cum quadam pia & reverenti expoſtulatione, quòd os & linguam illam ejus obſequiis ſacram pateretur tam acerbè lacerari; vix finivit Angelus, cùm B. Virgo aliquot guttis lactis ex ubere expreſſis ejus labia & linguam aſperſit: qui illicò totus con- *Barr. anni Sancti p. 1. c. 5. devot. 3. pro 4. Febr.*

convaluit, gratiisque de genu actis Religionem iniit, ubi moriturus B. Virginem vidit adventantem cum ingenti Sanctorum numero, & Angelorum, à quibus ad cœlum deduceretur morientis anima.

Ibid. p. 2. c. 2. de vot. 1. Hebd. 2. post Pasch.

LXI. B. Henricus Suso solebat B. Virginem ante solis ortum salutare, quod fuit à SS. Angelis doctus, quos audivit manè, cùm sol imminet, admirando concentu B. Virginem salutare, cujus Cantici thema fuit istud: Stella Maria maris hodiè processit ad ortum.

Ibid. p. 2. c. 2. de vot. 24. die Merc. 5. post pasch.

LXII. Anno 1621. Fœmina fuit in Japonia, quæ adhuc gentilis, Amidæ (qui est Deus Japoniorum) nomen quotidiè centies quadragies millies pronunciabat, in quem finem summo manè surrexit, adjuta per spiritum familiarem sive dæmonem: Postea conversa ad veram fidem, toties JESU & Mariæ nomen pronunciavit, ad quod obsequium maturandum deinde fuit ab Angelo custode excitata.

Vit. PP. l. 5. libell. 7.

LXIII. Fuit in deserto senex Anachoreta, qui diu ab omnibus in suo ultimo morbo destitutus, habuit demum ministrum Angelum, qui ei septem dies inserviit. Interim vicini eremitæ memores, se diu cum hoc sene non fuisse, statuunt, se eum adituros, & si æger esset, opem laturos: Adsunt igitur, quibus fores pulsantibus Angelus evanescit: cùm interim senex æger clamat: Ite, recedite, quòd videret ab iis Angelum fugatum. Denique vi emoto pessulo ad senem ingrediuntur, à quo clamoris causam percontati cum essent, senex respondit: dum vos cunctamini, me ægrum invisere, Angelus mihi minister septem dies adfuit; cum verò vos portæ imminetis, ille abscessit, & ad cœlos rediit, hæc ultima ejus vox fuit, & illicò obiit.

Pædag. Christ. to. 2. p. 1. c. 4. S. 5. n. 12.

LXIV. B. Passideus subinde habuit in purgandis ollis, lancibusque adjutorum, custodem Angelum.

Ibid.

LXV. Apud Lucanos in Hetruria ancilla quædam Sancta, Sita nomine, è templo, ubi Deo vacabat, seriùs ad coquendum panem domum rediisset, nisi Angelus fermentatam massam interim subegisset, inque panes efformâsset, & in mensa posuisset, ut clibano immitterentur.

Ibid. n. 3.

LXVI. Sed longè mirabilius est, quod narrat Ximenes Hierosolymitanus de Falcone quodam, imprimis nobili Juvene Constantinopolitano, qui in Angeli sui Custodis honorem, voto nunquam mentiendi se obstrinxerat, illudque dum sanctè servat, etiam cum mortis periculo, eo, per Angelum miro modo liberatur: Cum enim bonus ille, orta fine arbitris rixa ad manus cum sodale quodam veniisset, eumque confodiens occidisset, posset verò negando factum evadere, voti memor mentiri noluit. Fassus ergo scelus protinus ad Judicem trahitur; & lata promptè in eum mortis sententia, indè ad supplicii locum nihil tergiversatus, re Angelo suo commendata, alacer & fiducia plenus deducitur; Ibi flexis humi genibus cervices in ictum parat; & expedito jam gladio instat lictor, quando ex adverso videt rara pulchritudine Juvenem stricto illi ense, nî abstineat, minitantem. Territo visô lictori gladius excidit; â circumstante populo, qui frequentissimus ad spectaculum confluxerat, murmuratur, exclamatur; submittitur alius ab irato Judice, qui protinùs caput eodem situ exspectanti demetat; sed nec ille quid quam audet, neque tertius, quartusque, qui ab Angelo territi omnes pedem referebant. Erat ex occisi propinquis unus aliquis, qui ipse se ad ulciscendam amici mortem, de istorum ignaviâ indignabundus, Judici offert & impetrata licentia theatrum conscendit, ac totus vindictâ ardens, gladium in ictum extollit; verùm & illi se continuò Angelus videndum offert, vetatque voce distincta, ne clientem suum, qui negando homicidium evadere poterat, sed ejus honore & reverentia mentiri nolens, morti se obtulerat, ipse tangeret, sed ad Judicem iret potius deprecaturus pro liberatione illius, quem sciret olim in virum magnum evasurum. Fecit hic, quod jusserat Angelus, & dimittitur reus liber, meliori se mox in Monasterio mortis generi submissurus; Ubi cum veste Monachali nomen assumpsit Angeli, vitamque inibi ac mortem obivit Angelicam.

Ibid. n. 11.

LXVII. Petrus de Natalibus narrat de cive quodam Aurelianensi, qui suscepta ad D. Jacobi Compostellum peregrinatione, iter hoc suum S. Archangelo Raphaëli commendarat, eum enim & ducem habuit à via aberrans, & servatorem in persequentium latronum incursu, & fluminis transvectorem, ne in istorum jam jam imminentium manus veniret. Quin & ab eodem in Patriam, peracta peregrinatione, ex loco, ubi priùs latronum manus evaserat, ac simile jam periculum metuens progredi non audebat, interim dum somno correptus quiescit, translatus est.

Ibid. n. 2.

LXVIII. In vitis P. P. legitur de Abbate Moyse, qui cùm gravi carnis tentatione pulsatus, ad S. Isidorum consilii ac opis causa confugisset, nec productis ab eo Sacræ Scripturæ sententiis, satis sibi ille adversus tentationis impetum, armatus videretur, timeretque abs sancto sene recedere, duxit eum ad editum cellæ locum Isidorus, & aperta occidentem versus fenestra, ingentes cacodæmonum turmas, tanquàm ad prælium instructas: Deinde ad orientem conversus, innumerum cœlestium spirituum multitudinem, arma aurea gestantem ostendens: En ait, fili, quos ad occidentem vidisti, spiritus nequam sunt ad oppugnandos homines semper parati; contra verò quos ab oriente videndos dedit Deus bonos Angelos eos paratos semper esse vult idem Deus, ad homines defendendos. Non est ergo, cur timeas, plures enim nobiscum sunt, quàm contra nos.

Ibid. n. 14.

LXIX. Circa Annum reparatæ salutis 1635. Cordubæ apud Paraquarios Indiæ occidentalis, fuit profectæ ætatis homo, quem libidinibus diu ac multùm assuetum dæmon, proposita exaggerataque vitæ turpitudine, eò impulit, ut vitam pertæsus, salutemque desperans, ipse sibi mortem laqueo afferre cogitarit: Et jam collum resti erat inserturus, quando voce Angeli absterritus, ac de facienda peccatorum confessione monitus, ad men-

tem rediit, & continuò se domo proripuit, Sacerdotem, cui conscientiam expiandam offerret, quæsiturus; sed id ut fieret, passus non est stygius latro, qui viri, cui ille, ob acceptum beneficium, multum debebat, indutus formam, factus obviam, variis moratum sermonibus, sensim sana hominis elisit, illusitque consilia; adeò ut non difficile fuerit (quæ est naturæ nostræ ad malum potiùs, quàm ad bonum adnata prochvitas) ad lubricitatis inveteratam redire consuetudinem, cui postquam sex ipsos annos iterum immersus vixisset, sui ac Dei immemor, majori quàm antè cœpit conscientiæ agitari stimulis, salutisque desperatione vehementissimè urgeri. Et de vita actum erat, & æternâ salute, nisi Angelus etiam ea vice hominem collum laqueo inserentem clara voce absterruisset, & de peccatorum venia per pœnitentiæ Sacramentum impetranda iterum commonuisset. Et tametsi tunc quidem vitæ emendatio, in confitendi voluntate steterit, dæmone amicum, ut ante sex annos, simulante, & à confessionis tribunali, quò properabat, aliò divertente; Non diu tamen pòst audito pro concione Sacerdote vehementer in eos, qui de salute sua desperarent, invehente, tandem monitoris Angeli consilia secutus, ad Sacerdotis pedes accidit; ubi præteritæ vitæ turpitudinem multis cum lacrymis eluit, factus acerrimus suimet accusator; quam autem id seriò fecerit, testata est vita, quam deinceps, non vulgari virtutis exemplo, laudabilem duxit.

Discipulus lit. M. ex. empl. 41.

LXX. In Brabantia, Villâ Banden, fuit virgo religiosa, quâ præsente, cùm Sacerdos in villâ Sacrum faceret, vidit corpus Sacerdotis & sacras vestes mirè decoras. Cùm verò S. Hostiam elevaret, vidit duos Angelos miræ pulchritudinis hinc indè assistere, & ejus brachia sustentare: & cùm S. Hostiam deponeret, manicas utriusque manus, ne quid eas tangeret, decenter constringere; qui etiam elevatis manibus, & inclinato capite depositam adorârunt. Circa tempus sumptionis vidit corpus Sacerdotis tam clarum & perspicuum, ut velut per phialam crystallinam corpus hominis videretur. Missâ completâ, dum Sacerdos vestimenta deponeret, illa ad se reversa, vidit corpus Sacerdotis paulatim inspissari, & in formam pristinam redire. Hæc puella, Oda dicta, habuit gratiam dignè communicantes ab indignis discernendi, & aliquando in Paschate vidit tantùm decem homines dignè communicare.

B. Alanus l. 2. de ortu Fraser. c. 22.

LXXI. B. Alanus testatur, cùm esset B. Virgo adhuc in vivis, tanti Salutationem Angelicam fuisse æstimatam, ut eam Christus, Angeli & Apostoli pronuntiarent. Addit, B. Virginem sibi apparentem dixisse; Quia vim Angelicæ salutationis probè intellexi, ipsamet ego singulari devotione pronuntiavi. Ego Maria juxta humanam naturam & esse, oravi & invocavi Mariam secundùm esse gratiæ & gloriæ. Angeli quoque in cœlo salutant eâ salutatione virginem Mariam, non signis, sed animis; Norunt enim per eam Salutationem sedes Angelorum lapsorum vacuas repletas, Deum hominem factum, & Mundum redemptum esse.

LXXII. Veteris Germanicæ pietatis magnificentia quæ olim amplissimis templis excitandis maximè inclaruit, ne superiori sæculo vulgatâ per eas oras hæresum pestilentia perisse crederetur, Guilielmus Bojus rarè, ac nulla unquam prædicatione satis celebrandæ religionis Princeps Monachii posito templo augustissimo effecit. Eo nihil inter Principum opera hoc sæculo Germania majus habet, aut elegantius. Id verò cœlestium legionum fidissimi ac fortissimi Imperatoris Michaëlis nomine augustius esse voluit; quòd ejusdem sacra die lucis hujus usuram primam hausisset, atque in ejus perpetuo patrocinio vita omni traducta, in æternæ possessionem mittendum se haud dubiè confideret. Hoc habent Principes viri, quòd suæ pietatis perennatura statuere possunt monumenta. *Jo. Rho. l. 3. c. 4. exemp.*

LXXIII. Acceptam à S. Francisco Paulano familiæ Minimorum parente, pietatem constantissimè filii hodieque servant; ille quum modestiâ præcelleret, ratus, surgentem familiam sine aliquo valido patrono, se tueri non posse, Angelorum omnium Imperatorem adoptavit, & præcipua quadam religione à suis coli voluit. Id illi, cum aliis obsequiis plurimis faciunt; tum ejus præcipuè festis diebus solemni absolutione omnium offensionum, sine quibus, quamquàm sub ipso charitatis vexillo, hominum tamen vita non transigitur. Præclarè factum, atque ex Reipublicæ Christianæ sensu, quæ per eadem solemnia Angelum pacis à Deo mitti, publicis votis precatur. Non aliam ob causam arma induit Michaël, quàm ut cœlestis aulæ pacem tueretur. Quare qui cœlo dedit, terris etiam unus omnium optimè dabit. *Ibid. ex 4.*

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Custodia.

I. S. Ignatius creditur Archangelo in tutelam datus esse. Eidem sæpiùs apparuerunt Angeli; sæpissimè etiam dum Constitutiones scriberet, suavissimos cœlestes concentus audiebat, quorum harmonia ineffabili totus dissolvebatur in lacrymas, ac cœlesti amore fervebat. *Bibl. l. 5. c. 3. Gloria S. Ign. n. 4.*

II. Novem primi Patres Romam euntes prope Basileam cùm divertissent, & à Lutherano Parocho, quem vicerant, carcerem exspectare jussi essent, manè illius diei homo adfuit formosa facie, Patresque germanicè allocutus, nutu ex conclavi educit, & cùm per nives periculosas & altas sæpe subridens eos duxisset, illique magnam in corde lætitiam sensissent, repentè, ubi ad regiam viam perventum est, evanuit; agnovêre illi idcirco S. Angelum Custodum fuisse. *Hist. Soc. l. 1. n. 114.*

III. P. Petrum Canisium à Monasterio Ethal in Ameriano flumine equitantem, deque equo jam lapsum, ita ut uno pede in stapede hæreret, vir quidam per medias aquas insecutus est, denuoque in equum sustulit. Invitatus dein ad proximum hospitium ante portam evanuit. *Vita.*

IV. P. Joannes Fernandius Hispanus in Belgium missus, cùm aliquando in loco campestri solus descenderet, superveniunt improvisò *Annal. Castell. Coll. Mac.*

Hæreticorum turmæ, quorum aſpectu territus ille, cùm equum tam citò aſcendere non poterat, magnâ cum fiducia S. Angelum Cuſtodem invocat, & ecce repentè quaſi validi hominis brachiis ſublevaretur, vidit ſe in equo ſuo collocatum, ſtapede ne attacto quidem, itaque aufugit. Alias cùm ſolus equitaret, incidit in Equitem Hæreticum, qui ſtatim intentatâ haſtâ, curſu concitato, equum in ipſum incitavit. Periiſſet Pater, niſi Angeli ope ſervatus eſſet, ubi enim Eques ad ipſum venit, repentè ſubſiſtens rogat: Jeſuitane eſſet? cùmque Pater forti animo annuiſſet, miles confeſtim ferociâ depoſitâ blandè hominem alloqui, manum ad oſculandum petere, ac demum ſine ulla injuria abire.

Vita c. 25. V. P. Balthaſar Alvarez cùm Romam peteret & cum ſocio aquas ingreſſus, ex una parte progredi vereretur, ex altera verò timeret, ne in Latronem incideret, ſubitò per aquas Equitem ſplendidum venientem vidit, qui eos ſalvos & incolumes ex aquis eduxit.

Vita. VI. P. Bernardus Colnagus Romæ frequentiſſimè Angelum Cuſtodem ſuum viderat, à quo & quotieſcunque in occaſione venialis peccati fuit, admonitus eſt.

P. Michael Sper. 1612. VII. Gregorius Vederus Philoſophiæ Profeſſor Ingolſtadii, ſi dubium aliquod nullo labore diſſolvere poterat, illud S. Angelo Cuſtodi propoſuit per preces, & ſtatim ea ipſa nocte ſolutionem in ſomno accepit.

Hiſt. Soc. P. 1. l. 11. n. 66. VIII. Joannes Carera Coadjutor in dubiis ſemper S. Angelum Cuſtodem interrogabat, à quo mox reſponſum accepit. Sed & manè ſemper ab eodem excitatus eſt, qua tamen gratia privatus eſt, cùm ſemel excitatus non ſtatim ſurrexit, nec niſi poſt multas lacrymas iterum obtinuit.

Syllab. Prov. ſerv. IX. P. Jacobo de Samniago S. Michaël, quem præcipuo cultu colebat, non tantùm auxilium ad Indos convertendos promiſit, ſed etiam eundem ad loca, quæ ipſe adire minimè cogitabat, ultrò perducebat, ut tum Infantes aqua ſalutari ablueret, tum aliorum animam agentium confeſſiones exciperet.

Annua 1604. f. 116. X. Cùm Antonius Fauſtinus Coadjutor mortuus eſſet, & ex Dæmone in Energumena quæreretur, quis ei morienti potiſſimùm adſtitiſſet? reſpondit iſte, B. Virginem, S. Ignatium, & S. Angelum Cuſtodem adſtitiſſe, qui non paſſus ſit, eum à quoquam tentari.

Pad. Chriſt q. 2. c. 4. ſect. 5. XI. Guilielmus Elfinſtonius in morte aliquandiu cum Angelo Cuſtode collocutus, quaſi oculis eum aſpiceret, ab eodem ſibi narratum dixit, ſe per Purgatorii ignem quidem tranſiturum, ſed celerrimè evolaturum.

Annua Belg. Coll. Lovan. 1670. XII. Joannes Thenenſis Coadjutor, licet profundi eſſet ſomni, tòtis tamen, quibus Excitatorem egit, triginta annis, non alio inſtrumento, quo excitaretur, uſus eſt, quàm S. Angelo ſuo Cuſtode, cui ante ſomnum ſeriò ſe commendavit.

Vita. XIII. B. Stanislao, cùm Viennæ ægrotaret, nec haberet, qui SS. Euchariſtiam porrigeret, Angeli eandem miniſtrarunt.

Nadaſi in anno An-gel. hebd. 20. n. 2. XIV. Ludovico Freredoux Burgundo, Angelo Cuſtodi devotiſſimo, in examine reſpondenti Angelus Cuſtos in aurem, quid, quove loco reſpondendum eſſet, ſuggeſſit.

Rho. l. 3. c. 4. ex noſtris Ex. 7. XV. Flagitium eſſet, dum de Angelis colendis agimus, Aloyſii, quem Romanæ Rotæ Patres ampliſſimo honoris titulo Angelicum Juvenem appellârunt, diſſimulâſſe virtutem, etenim appellationem eam, quum ille caſtiſſimis moribus, vitaque ab omni mortifera labe immuni meritus ſit, hæc tamen ſi deeſſent, ipſo Sanctorum Angelorum cultu conſequi potuiſſet. Sanè ſi minutis etiam officiis, ſed conſtantibus ea ratio tota continetur, qualis quantusque in his fuerit Aloyſius, edita de Angelis meditatio liquidò manifeſtat; qui enim de illis adeò præclara ſentiret, ac facienda præſcriberet, illis diu multumque aſſueviſſe ſit neceſſe.

Ibid. Ex. 4. XVI. Et domeſticis curis Angelos præeſſe voluit Deus; ea propter illorum familiaritatem omni conatu illos ambire decet, quibus religioſarum familiarum cura eſt demandata, quod cum Petro Cottono manifeſtè illos feciſſe accepimus, occultè plerumque peragentes, quæ in rem ſunt, admonent, ac in partem veniunt ſollicitudinum, vigiles nunquam dormiturientes. Sed Cottonus non exquiſito cultu ac veneratione tantùm, ſed qui Angelis homines aſſociat, illibato pudicitiæ flore, quem conſtantiſſimè vernantem ſervaverat, ut ſibi frequens adeſſet Tutelaris, illoque familiariſſimè uteretur, meritò fuerat conſequutus. In Angelum transmigret, qui illorum frui optat conſuetudine.

Ibid. Ex. 3. XVII. Jacobus Samaniegus perpetuis ac diligentiſſimis obſequiis ita totius cœleſtis exercitûs Imperatorem Michaëlem ſibi demeruerat, ut poſt multa beneficia, quibus Clientem ſuum in dies cumulabat, ad extremum mira quadam dignatione, ſe videndum illuſtri ſpecie collucentem objiceret, ac bonæ ſpei plenum ad barbarorum regiones penetrandas, inferendumque cœcis gentibus Evangelii lumen hortaretur, ſeque tanti operis adjutorem futurum pollicerétur. Manet adhuc impetus ille nunquam remittendus, quo impreſſione facta in Idololatriæ architectos, ac divinorum honorum uſurpatores conſceleratos exclamavit: *QUIS UT DEUS?* quo veluti tonitru attoniti ac fulmine icti conciderunt.

Pad. Chriſt. to. 2. p. 1. c. 4. ſ. 5. n. 14. XIIX. Guilielmus Elfinſthonus patria Scotus, ſanguine & ingenio, & virtute admodùm nobilis, cùm penè adoleſcens nondum integro menſe, poſtquam in Societatem noſtram admiſſus fuiſſet, in lethalem febrim incidiſſet, incredibilem ſemper alacritatem & verbis & vultu, & factis ipſe præſetulit, cùm ſatiari non poſſet gratiis Deo agendis, quod in Religione moreretur. Extremo autem fermè ſpiritu, cùm fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipſam vocem erupit; O glorioſam, inquit, mortem, tot Angelorum agminibus conſtipatam? Quin etiam ingenti atque inſolito elatus gaudio; Non videtis, inquit, non videtis Angelos? Simulque Angelum ſuum cuſtodem compellans, aliquamdiu ita cum eo locutus, quaſi eum oculis aſpiceret, à quo ſibi deinde

nunciatum narravit, se per purgatorii quidem loca transiturum, sed celerrimè evolaturum. Quærente autem, nescio quo, quâ specie & quâ forma is Angelus esset, adolescentem quendam, qui tum aderat, indicavit, cui similimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtoque fervore ita completa est ejus anima, ut corpus ipsum, licèt gravitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquamdiu tamen insolitis motibus super lectulum quasi exiliens & gestiens agitaretur, cum omnium admiratione, qui nunquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retrò post cervical, cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ à nullo percipi potuêre, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare, quo majorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repentè consistens, tanquam placidissimo somno consopitus, spiritum exhalavit.

Cultus.

Rho. l. 3. c. 4. ex nostris Ex. 1.

XIX. Ut hominibus sæpe ex propinquo decidit veneratio, quam è longinquo intenderet opinio; famâ, quo propius ad ejus acceditur cubile, ut in fluminibus accidit, decrescente: ita contra cœlitibus, quo familiarius cognoscuntur, majorem inesse illis dignitatem, admirabilitatemque palam est, quibus & reverentia promptior, & cultus diligentior debeatur. Igitur quum Ignatio non semel se beatus ille Angelorum spectabilem videndum præbuerit exercitus, illum ego in hac etiam religionis parte admirabilem fuisse conficio. Et sanè singulos per ordines venerari, atque in illis rerum bene agendarum spem maximam collocâsse accepimus, quum ardua quæque pro DEI gloria apud mortales amplificanda aggrederetur. Illius etiam prudentissimum ab illorum imitatione documentum non dissimulaverim, quo eorum, qui aliis præsunt, anxietatem tranquillabat. Ajebat enim, ut Angeli nihil eorum omittunt, quæ pro clientum salute sibi præstanda esse intelligunt: neque ideo tamen, si res minus cedat ex sententia, pace tranquillissima non fruuntur: ita Præsidibus fatagendum quidem esse, verùm utut res cedant, sine pacis, amatæque magnis animis quietis ullo detrimento.

Ibid. Ex. 7.

XX. Eximiæ atque attentissimæ religionis vir Petrus Faber fuit, qui cùm per Europam ferè omnem Pontificis Imperio vitiis, atque hæresi bellum peregrinando circumferret, quo feliciter sibi cederent omnia, Superûm opem quæsitissimè implorabat, ut ad oppidum urbemque accedebat, tum conceptis ritè votis, sacrisque Psalmorum carminibus Tutelarem ejus loci Angelum, Archangelumve salutabat, utque subeunti præsens, ac favens adesset, quasque moliretur res, ad communis DEI gloriam promovere vellet, suaque ope juvare, haud dubia bonæ frugis spe precabatur. Gratam cœlestibus eam fuisse Religionem, non dubiis docemur experimentis; Ubicunque enim ille pedem posuit, non modo altè impressa sanctimoniæ vestigia reliquit, verùm etiam animarum lucra inde reportavit. Nusquam libentius vocati adsunt Angeli, quàm si in partem laboris ac curarum pro mortalium salute susceptarum evocentur. Hic illis optimis geniis genius est; nam animorum salute, illorum suppletur Respublica. Quod etiam confirmat Hist. Soc. hunc in modum de eodem scribens:

P. Petrus Faber secundam Feriam semper S. Angelo Custodi dedicavit, eique sede nocte ac die jaculatoriis precibus ardentissimè commendabat. Idem quoties oppidum aut pagum ingressus est, priùs Archangelum, Angelosque Custodes ejus loci in auxilium vocabat. *Hist. Soc. l. 3. n. 29.*

XXI. Alphonsus Rodericus, Angelorum vigilias æmulabatur, vitamque omnem illorum cultu metiri didicerat. Quoties enim velocissimæ temporis fugæ, vitæque furto per momenta nobis sublatæ, campani æris sonitu ex rotati horologii partitione admonemur, toties ille unum ex viginti quatuor, quos sibi Angelos in patronos delegerat, appositò sacro carmine consalutabat. Mira dictu res: vigilabat noctu pietas, excitabatque singulas ad horarum significationes alumnum suum, ut illud faceret officium salutationis. Salve igitur unus omnium mortalium, quos ego legerim, omnium non modò vigiliarum, sed horarum vir, ac proinde immortalitate dignissimus. *Rho. l. 3. c. 4. ex nostris Ex. 5.*

XXII. P. Balthasar Alvarez omnes quidem Angelos religiosè admodum venerati, sed quatuor singulari cultu didicerat. Gabrielem divinæ illius atque incomparabilis Dei adversus homines benevolentiæ ad Virginem olim Legatum. Tum illum, qui Christo in horto adeò graviter anxio, & ad preces tertiò incumbenti Summi Patris mandata detulit; & victoriæ per eam pugnam paulò post referendæ amplitudinem aptissimis ad consolandum verbis explicavit. Tertiò illum, cui nostrorum sacrificiorum quædam est demandata provincia, ut illa juxta precantium vota Deo offerat. Postremò Tutelarem ac Patronum suum, & quum Collegia, aut Provinciam regeret suorum omnium subditorum, ut eos & sibi faciles, & in virtutum exercitatione strenuos validosque præstarent. Duos illos primos sua satis munera commendant, ut pro omni ratione, illorum sit amplitudo. *Ibid. Ex. 8.*

XXIII. De Josepho Arriaga, & Francisco Abbato, sive litterarum ac sapientiæ, sive demissionis ac laboriosæ modestiæ laude quis præcellat Angelorum familiaritatem obsequiis cultuque diligenti posse promereri videtur. Arriaga mirum quanta pietate Custodem coleret suum, eique sapientiam, qua erat instructus, commendaret. Abbatus item licet nulla litteratura idem facere non omittebat. Utrumque familiaria cum Angelis miscuisse colloquia memoriæ proditum est. Et Abbatus quidem, cui etiam pinsenti adfuisse dicebantur, adeò liberasimplicitate hoc præseferebat, ut quùm solitudinem captaret, secederetque à barbitris, interrogatus, quo se reciperet, ad colloquendum Angelis responderet. Neque id quidem mirum erit, ser- *Ibid. Ex. 9.*

vos cum simplicibus sermonem habere; quibus cum Dominus ipse sermocinaturum se pronuntiavit.

Vita l. 2. c. 2. XXIV. S. Franciscus Xaverius, ubi Goam attigit, antequam pro DEI gloria laborare inciperet, DEUM prius, & Archangelum Indiæ Præsidem invocavit, ac tunc primum Episcopum adiit.

Vita p. 1. p. 31. XXV. Joannes Berckmannus Societatis Scholasticus assueverat eorum, qui obviam sibi fiebant, Angelos Custodes salutare.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Albertin. c. 9. de 5. Aug. Cust. I. Sicut Regnum aut Civitas obsessa à numeroso exercitu, & intus plena Conspirationibus, factionibusque contra Personam Regis, nec nisi ac debilibus, sauciisque, ac paucissimis militibus defensa conservari non posset, nisi aliunde subsidium acquireret; ita nec anima ab innumeris Hostibus exterius impugnata & intus à propriis passionibus infestata prævalere non poterit, nisi Angelorum præsidio à DEO submisso.

Idem c. 10. II. Sicut in Aulis Principum necessarii sunt Oeconomi, qui inferioribus servis, eorumque necessitatibus prospiciant, nec tamen ex simili servitute detrimentum honoris patiuntur; ita & hominibus, eorumque necessitatibus oportebat per Angelorum sollicitudinem provideri, idque illi promptissimè faciunt, quia sciunt, hâc ratione se debitum Supremo Regi DEO cultum, obedientiamque exhibere, nec quicquam inde de suo honore & authoritate decedere.

S. Basilius in ps. 33. III. Sicut pro defensione urbium muri sunt necessarii, qui in circuitu undequaque Hostium insultus arceant; sic ad Custodiam Hominis Angelorum præsentia & auxilium est necessarium, utpote per quos fortius, quàm ullo muro Hostium infernalium conatus eluduntur.

Utilitas.

Fab. conc. 4. in festo S. Mich. lit. F. IV. Sicut Angelus terruit Asinam Balaami, ne Dominum suum veheret ad nefariam maledictionem; ita Angeli corripiunt suos clientes, ne ad DEUM per peccata maledicendum procedant.

Idem conc. 3. lit. B. V. Sicut Angelus tenuit manum Abrahæ, ne feriret & immolaret Filium; sic Angeli tenent dexteram DEI, ne perdat eorum clientes.

Idem conc. 3. lit. D. VI. Sicut Lacertula, Sania nomine, si videat serpentem Homini dormienti insidiantem, involat in faciem Hominis, & vellicando excitat, ut à periculo sibi caveat; ita Angelus Custos cernens Hominem in peccato stertentem, internis hortatibus excitat, ut à serpentis infernalis insidiis sibi caveat.

Idem lit. E. VII. Sicut Mater abscondit cultrum, ne infans eum arripiens seipsum lædat; sic Angeli sæpe occasiones peccati subtrahunt, ne eorum clientes sibi ipsis noceant.

Beyerl. tit 6 in festo S. Michael. VIII. Sicut si Solis radii in concavum & mundum speculum incidunt, iisque stupa applicetur, protinus ignem hæc concipiet; ita cùm amoris divini radii in Angelos velut specula purissima vibrentur, mox animas nostras ejusdem amoris igni accendent, si per fiduciam & amorem iisdem jungantur.

Idem. IX. Sicut vitrea vasa mollibus integumentis includuntur, ne ad duriora corpora allidantur, & frangantur; ita vasa misericordiæ DEUS Angelica protectione sepit, ne per peccatum aut violentiam Dæmonum perdantur.

S. Thom. p. 1. q. 113. a. 4. X. Sicut Hominibus per viam non tutam ambulantibus saluberrimè Ductores adjunguntur; ita & cuivis Homini, quamdiu viator est, meritò SS. Angeli velut Ductores fidelissimi & potentissimi sociantur, ut per eosdem à Latronum infernalium insidiis protegatur.

Cultus.

Fab. conc. 3. in festo S. Mich. lit. I. XI. Sicut Discipulus omnem suo Pædagogo reverentiam exhibet, nec insolenter se gerere audet præsente illo; ita, cùm Angeli velut Pædagogi dati sint Homini, omnem illis oportet ab hoc reverentiam & cultum exhiberi.

Idem conc. 4. lit. I. XII. Sicut apes utpote castissima animalcula, quæ ex concubitu non gignuntur, oderunt venereos; ita Angeli, quia sicut carnis, ita & Veneris sunt expertes, obscænos oderunt, castos verò amant, & protegunt.

S. Basil. ho. 44. in ps. 44. XIII. Sicut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ Custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum ac graveolens peccatum.

Fab. in festo S. Mich. conc. 5. XIV. Sicut ingratissimus meritò judicatus fuisset Tobias Junior, si Comitem suum Raphaëlem non quotidie salutâsset, honorâsset, & familiariter cum eo egisset; ita ingratissimi quoque meritò censendi sunt, qui, cùm eadem à S. Custode suo beneficia accipiant, vix semel de die eundem salutant, & honorant, multò minùs verò ullam ad eum fiduciam ostendunt.

§. VII.

MOTIVA.

Cultus Angelici.

I. QUia sunt *Aulici* DEI: si ergo Aulicos hujus Mundi propter majorem propinquitatem & familiaritatem cum Regibus & Principibus terrenis tanti æstimamus, & honoramus, quantò magis Angelos propter summam familiaritatem & propinquitatem cum Rege Regum & Domino Dominantium summè æstimare & honorare par est?

II. Quia sunt *Pædagogi* nostri ab ipso DEO nobis propositi; si ergo Filii Principum magno honore & amore prosequuntur Moderatores suos, quia sic Parentem suum velle sciunt; quidni parem honorem & amorem exhibeamus Angelis, velut Moderatoribus à DEO constitutis, non in profana, sed cælesti sapientia nos instruentibus.

III. Quia sunt *Custodes* nostri; si ergo tantopere fovetur Salvaguardia, seu milites pro præsidio

sidio dati, quantò magis fovendi, & amandi erunt illi Præsidiarii, qui nos ab ipso Dæmone & interitu æterno custodiunt.

IV. Quia sunt *Comites* & *Doctores* nostri; si ergo jucundus Comes est vehiculum viæ: si fido & perito Ductore nihil gratius est viatori iter periculosum peragenti: quantopere nos gratulari debemus nobis, dum tam fidos, jucundos, & peritos Ductores nactos nos esse conspicimus.

V. Quia sunt *Amici* nostri fidelissimi, summeque nos diligentes: si ergo juxta Siracidis testimonium, Amico fideli nulla est comparatio, & qui illum invenit, invenit thesaurum bonum, medicamentum vitæ & immortalitatis; quantò magis de talibus Amicis gratulandum, illique omni obsequio demerendi sunt.

VI. Quia sunt *Coheredes* nostri: si ergo olim jucundissimè illis convicturi, & communi felicitate gavisuri sumus; quidni & nunc istam familiaritatem cum illis inchoemus, & jucundè convivere studeamus?

Mansi disc. 9. n. 4. VII. *Quia Angeli in morte soli propemodùm adstant, & defendunt*; Nam experientia quotidiana nos docet, quòd, dum morti appropinquamus, amici ut plurimum à nobis recedant: Etenim filii nihil nisi hæreditatem cogitant; Uxor de dote sua allecuranda laborat, parentes de temporalium bonorum dispositione nos urgere tunc solent, Medici totam curam suam in corporis salute procuranda collocatam habent; at verò quis est, qui de animæ suæ salute, de Sacramentis conferendis, de suggerendis salutaribus monitis, & cogitationibus bonis inspirandis sollicitus existat? Is est solus Angelus, hic enim se se in defensionem adversus dæmonem armat; is facit, ut infirmus ad confessionem anhelet; is Parochos vel alios religiosos ad eum visitandum acriter monet, is denique ipsemet de procurandis ad æternam salutem remediis sollicitè cogitat. In Annalibus *Annal. Cistert. an. 1136. n. 3. c. 70.* Cistertiensibus legitur, quòd ejusdem Ordinis Sacerdos quidam novitiatûs sui tempore, quod ingenti cum fervore transegerat, jam jam moriturus esset, hæc duobus ejusdem Monasterii & Ordinis fuerit visio exhibita Cohortes namque Angelicas è cœlo descendentes Ecclesiam ingredi, ibidemque ab illis officium defunctorum celebrari & viderunt, & audierunt: Animam solemni officio DEO commendabant, & Divinæ præconia laudis usque ad cœlum sonoris vocibus extollebant. Insuper iidem Monachi signum ad conventum pro assistentia moribundi congregandum, dari solitum, sonare audierunt: Unde clarè liquet, quàm sint Angeli in illo articulo pro nobis solliciti, ut nos in eo momento orationibus & intercessionibus suis adjuvent, multosque alios fideles ad idem *Vit. l. 1. c. 7. n. 9.* faciendum permoveant. Sed in vita S. Philippi Nerii, cujus magnus ille DEI servus P. Camillus de Lellis, Filius spiritualis nec non religionis Clericorum infirmis ministrantium primus fundator extitit, legimus, quòd die quadam, ut nonnullos dictorum Patrum in hoc sancto charitatis exercitio perseverare faceret, iisdem dixerit, se Angelos vidisse, qui duobus illius Instituti Patribus morientium animam recommendantibus, verba suggerebant, quibus infirmos alloquerentur.

IIX. *Quia specialiter illuminant*, ad quod probandum S. Bonaventura illum cap. 6. Apocal. textum adducit: *Accipe librum de manu Angeli*; Et dicit: Quid hoc est, nisi per eum instrui & doceri? Si omnes homines, ut Philosophus ait, scire desiderant: nec scire possumus, nisi doceamur, quantùm illos amare debeamus, à quibus continuè non in vanis, sed salutiferis edocemur? qui adeò malus esset qui, si cœcus esset, illum non amaret: qui sibi lumen redderet? Angelicus Doctor super illa verba: *Quis revolvet nobis lapidem?* scribens, citat S. Remigium dicentem; Significat autem revolutio lapidis reserationem sacrorum, quæ literâ legis tegebantur, lex namque in lapide scripta fuit, & ideò per lapidem signatur. *S. Bonav. ser. 1. de Angel.*

IX. *Quia sedulò ministrant*; quod beneficium Josephus Mansi sic elucidat: si Rex aliquis vel magnus alius Mundi hujus Monarcha in personato servi habitu nobis se in via comitem jungeret, nobisque serviret, quis ejus respectus futurus esset? vel quam ei reverentiam & gratitudinem exhibituri essemus? aut quænam consiliis, ne dum nutibus ejus obedientia à nobis sperari posset? utique nulla, vel admodùm exigua. Jam verò ex fide nobis certum est, quòd Angeli, qui veri sunt Reges cœlestis Paradisi (fecisti nos Deo nostro Regnum, & regnabimus) nos custodiant, nobis tanquàm servi ministrent, nosque instruant, sed in habitu non solùm personato, sed nec unquàm à nobis viso, absit tamen, ut propterea illos despiciamus, aut servitia aut obsequia nobis ab eisdem exhibita contemnamus. Ex dispensatione divina, inquit S. Bonaventura, sunt nobis præsentes, & ideo est ministerium ipsorum continuum. Optimè Regius Propheta novit, quam illis reverentiam deberet, ideo ut se ad debitam illis exhibendam reverentiam excitâret, hisce semet ipsum verbis monuit: *In conspectu Angelorum psallam tibi*; circa quæ verba reflectens se S. Hilarius ita scribit: Scit, se sub specula Angelorum omnem vitam, moresque agere, & ubique hæc divinorum mysteriorum auxilia fidelibus cunctis assistere. S. Bernardus ejusdem Psalmistæ verba: (*Ut custodiant te in omnibus viis tuis*) glossando dicit: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habeas; tunc audeas illo præsente quod vidente me non auderes? an præsentem esse dubitas, quem non vides? Nos enim nō solùm Angelos adeò de nobis benè meritos benefactores nostros offendimus, sed etiā ipsammet divinam & supremā Altissimi majestatem, quæ in vultu & facie ipsorum immediatè resplendet, (*siquidē Angeli semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*) offendimus. Quod absit, ut faciamus; Neque enim Angeli ex *Mansi disc. 13. n. 15.* *S. Bernard. ser. 12. in Psalm. 90.*

alio

alio motivo nobis sunt venerandi, quàm quia imaginem Dei sibi insertam, imò ipsummet in se Deum circumferunt.

Eidem. disc. 16. n. 3.

X. *Quia plurima alia beneficia conferunt*, uti citatus Author sequenti discursu declarat: Si aliquis nobis per quinquaginta vel sexaginta annis serviviſſet in mari, inter syrtes & scopulos, inter procellas & tempestates, inter naufragia & alia similia: Si custodiſſet ab innumeris maritimis monstris, pyratis, Turcis &c. illæsos nos conservando & incolumes. Si præterea nos qualibet horâ per tot annos eripuiſſet à morte, insuper thesauros, sceptra, & regna lucrari nos feciſſet, quam mercedem daremus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis istis? Talia autem sunt bona infinita, quæ nobis in hujus vitæ procelloso mari præstantur ab hisce cœlestibus nuntiis; Hoc mare magnum &c. qui nos post laboriosam hanc navigationem æternaliter cum Deo regnaturos ad beata Paradisi littora feliciter perducunt; Quòd si autem hanc nobis assistentiam & servitutem gratuitò, & sine ullo ipsorum interesse aut lucro præstitiſſent, quantò amplius hæc nostra erga ipsos obligatio adaugeretur? talis autem est custodia & ministerium Angelicum, quod nequaquam ad aliquod à nobis tanquam servis suis stipendium recipiendum ordinatur, sed potiùs huc spectant tantùm, ut nobis benefaciant, nosque omnibus naturæ, fortunæ & gratiæ bonis locupletent: sunt enim ipsi in eo statu, in quo nostro stipendio nequaquam indigent: Bonorum nostrorum non egent, *Angelus qui eruit me de cunctis malis*, inquit S. Patriarcha Jacob, quando se in ultima & decrepita ætate ipsorum ope tot infortunatos ipsi occurrentes eventus feliciter evasisse deprehendit. Quòd si verò homo aliquis reperiretur adeò ingratus, qui beneficia à suo benefactore recepta nequaquam agnosceret, imò cogitationibus suis ad illa sese nunquam reflecteret, quàm atrocibus pœnis talis mulctari mereretur? Et tamen quot reperiuntur animæ fideles, quæ in totius vitæ suæ decursu Angelorum custodum ne vel semel quidem recordantur, multò minùs aliquod illis gratitudinis donativum exhibent.

Gen. 48. v. 16.

§. VIII.

MEDIA

Ad eorum amorem conciliandum.

S. Chryſoſt. or. 2. de precat.

I. *Oratio crebra*; nam, ut S. Chrysostomus sapienter dixit: Cætera illorum omnia, & nostra, ut natura, victus, sapientia, & quidquid dixerit quispiam, longo intervallo inter se distant, precationis autem officium commune est hominibus cum Angelis; Hæc te Angelis jungit, hac brevi sanè illorum Reipublicæ, illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putabit.

S. Bernardus ſer. 1. de S. Mich.

II. *Animorum concordia*, uti S. Bernardus indicat dicens: Sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lacrymis, & cordis intentione; attamen super hæc omnia unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni enim maximè delectentur his, quæ formam quandam suæ civitatis repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Et paulo post: Quomodo civitatis illius participatio est in id ipsum, sic & nos id ipsum sentiamus, id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: nihil verò æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones.

III. *Humilitas*, de qua sic idem Bernardus loquitur: Quid est, quòd sola ab Angelis commendari videtur humilitas, nec tamen sola à Pastoribus invenitur? fortè specialiùs commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetiſſet. S. Michaël, qui supremus est cœlestis militiæ Princeps, templum quoddam in monte Gorgano in Sanctorum Angelorum honorem dedicari & consecrari voluit; qua autem ratione id factum sit, velim audite: In monte Gorgano venerabilis memoria B. Michaëlis Archangeli, ubi ipsius nomini consecrata habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cœlesti prædita virtute. Chrysostomus tabernaculum, in quod S. Abraham Patriarcha tres Angelos hospitio suscepit, hisce verbis considerat: Non auro tectum linivit, sed apud quercum illam tabernaculum figens, foliorum umbrâ contentus erat, & tam splendidum ipsi erat diversorium, ut nec Angelos apud ipsum manere puderet; Non enim quærebant domûs splendorem, sed animæ puritatem; sciebat etenim, quantùm Angelis modestia & humilitas placeret quàm insuper deinceps à Creatore suo in ejus in terram descensu didicerunt; Jacob Angelos vidit in scala illa ascendentes & descendentes; Et verè ita est, nam miseriis, humilitati, & vilitati nostræ Angeli compatiendo condescendunt.

Idem ſerm. 4. de Nativ.

S. Chryſoſt. apud Manſi disc. 14. n. 8.

IV. *Labor sedulus*; Novimus enim oblectari Angelos labore, quia in continuo motu versantur. Unde S. Bernardus ait: Agnoscant homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur, agnoscant, quàm placeat supernis civibus labor. Quæ verba mellifluus Doctor scripsit, dum illos Pastoribus, Agricolis & laboratoribus, non verò iis, qui Hierosolymis otio & deliciis vacabant, apparuisse consideravit; Idem quoque S. Doctor Angelos in scala Jacob in continuo motu versari, conspiciens, vidit Angelos ascendentes & descendentes, nullum quiescentem. Eandem quoque doctrinam tradit Doctor Seraphicus, cujus hæc sunt verba: Simus obedientes, in divinis operibus laborantes, si Angelos volumus habere assistentes, nam non laborantibus, non obedientibus, sed voluptatibus & deliciis vacantibus resistunt Angeli.

S. Bern. Serm. 3. de Nat.

V. *Patientia generosa*; Nam ut rectè S. Laurentius Justinianus advertit, nunquam Angeli lassantur ab opere salutis nostræ, & à profectuum nostrorum studio nunquam deficiunt, potissimè si prospiciunt nos Deum diligere, devotioni insistere, sectari virtutes, spiritualiter conversari. Mundum spernere, æquanimiter adversa tolerare, terrena calcare, & desiderare cœlestia. In sacris Canticis legimus: *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.*

S. Laur. Juſt. l. de obed. c. 7.

Cant. 8. v. 12.

S. Ambros. apud Manss. disc. 16. n. 2.

VI. *Gratitudo*; Nam Angelis specialiter eam deberi, S. Ambrosius sic ostendit: Canis viator & comes Angeli est, quem Raphaël non otiosè sibi & Tobiæ filio adjungendum putavit, mutæ specie bestiæ Sanctus Raphaël, Tobiæ Juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum, quis enim non erubescat, gratiam benè de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Ab hac igitur sanctus ille Juvenis ad gratitudinem Angelo benefactori suo maximo exhibendam magis magisque exstimulatus fuit; Unde cuncta ab Angelo recepta beneficia sigillatim Patri suo recensendo dixit: *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?*

Vit. P. P. l. 5. c. 44.

VII. *Timor*; Ob præsentiam, uti Sanctus quidam Abbas indicavit, qui dum interrogaretur de honore & reverentia, quam Angelo suo custodi deferebat, respondit, quòd Angelos veneraretur memor verborum illorum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear:* timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum, & insinuantem ei actus meos, & verba. Quòd si nos sciremus quendam Regis intimum amicum, & familiarem nobis adesse, qui cuncta verba, gressus & actus nostros consideraret, ut, quidquid agimus, Domino suo referre posset, quàm futuri essemus in verbis circumspecti, quantùm studeremus ad ejus nobis benevolentiam conciliandam; omne illi ex parte nostrâ exhibendo obsequium & reverentiam? Tobias junior Angelum Raphaëlem magnâ reverentiâ semper prosequebatur, tametsi simul cum ipso in peregrini seu viatoris habitu iter ageret: id namque ex verbis illis: *Domine invadit me!* clarè deducitur: Et quidem Domini titulum ei attribuit, dum eum ignoraret, quis esset; at vero postquam sese illi, & parentibus ejus, quis esset, manifestavit, ipse, & Pater ejus trementes ceciderunt super terram in faciem suam; Enimverò si Angelus nobis visibiliter appareret, quantum ei delaturi essemus honorem? Jam vero fides nostra nos docet, ipsos semper nobis præsentes esse propter custodiam, quam nobis exhibent, ac proinde non minùs eos revereri debemus, quàm si visibiliter nobiscum consortium haberent.

VIII. *Puritas mentis & corporis:* cùm enim ipsi sint purissimi Spiritus, & nihil æquè amorem conciliet, ac morum similitudo, meritò ii præ ceteris amari ac foveri ab Angelis creduntur, quos puritate hâc geminata sibi similiores esse conspexerint.

IX. *Amor ardens DEI:* cùm enim illi eundem DEUM ardentissimè diligant, & à nobis etiam similiter diligi desiderent, nullâ profectò ratione efficaciùs eos nobis demereri, atque eorum amorem conciliare possumus, quàm si per amorem cum DEO, velut uni tertio conjungamur, ut eâdem operâ etiam cum iisdem conjungamur. Hinc cùm Tobias peteret, quid pro obsequiis ac beneficiis præstitis rependere deberet non aliud audivit, quàm hæc verba: Benedicite DEUM Cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei.

Tob. 12. v. 6.

X. *Fiducia singularis:* Si enim Christus olim S. Gertrudi fassus est, per similem fiduciam de ipsius in nos caritate, & promptitudine ad benefaciendum, cor sibi transverberari, quidni idem etiam de SS. Angelis sentiamus?

XI. *Familiaritas crebra:* sic enim S. Bernardus suasit dicens: Habetote familiares Angelos, Fratres mei, & frequentate eos sedula cogitatione, & devota oratione, quia semper nobis adsunt ad custodiam & consolationem. Et paulò post subjungit: Si ergo tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus delectari. S. Bern. s. 1. de Aug.

§. IX.
ASCETICA.

I. PLura sunt quæ de Angelis Asceta bene nosse debet; & primò quidem, ut, quemadmodum par est, hanc Angelorum Custodiam inter primos favores & beneficia sibi collata numeret, gratissimoque animo agnoscat. Quem in finem proderit sequentem S. Bernardi admonitionem bene ponderare: Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio caritatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit, studiosè consideremus, Fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandato obtemperant? cujus obediunt voluntati? nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit de te, illis utique sublimibus, tam beatis, & tam proximè sibi cohærentibus, & verè domesticis mandavit. Tu quis es? quid est homo, quòd memor es ejus? aut Filius Hominis, quoniam reputas eum? Quasi verò non sit homo putredo, & Filius Hominis vermis? sed quid, putas, mandavit de te? ut custodiant te. S. Bern. in Ps. qui habitat.

II. Nosse debet solidum modum colendi & amandi SS. Angelos, qui quidem in tribus capitibus à S. Bernardo iterum assignatis consistere videtur, dum ait: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. *Reverentia* itaque consistit in hoc, ut non audeamus illis præsentibus, quod alio homine præsente facere non auderemus, sicque dicemus cum Esther: Vidi te, Domine, quasi Angelum DEI, & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum.

Devotio consistit in prompta voluntate varios honores illis deferendi, obsequendi omnibus eorum consiliis, sicut illi habent promptissimam voluntatem, nostra commoda & salutem promovendi. *Fiducia* denique consistit in assiduo recursu ad opem eorum, ita ut, quemadmo-

admodum D. Bernardus monet, quoties graviſſima cernitur urgere tentatio, aut tribulatio vehemens imminere, invocemus Cuſtodes noſtros, Adjutores noſtros, in opportunitatibus, in tribulatione, inclamemus eos, & dicamus: Domine, ſalva nos, perimus. Et hoc tantò audacius faciamus, quantò clariùs nobis conſtat, quòd fideles, prudentes, & potentes ſint.

III. Noſſe debet, quomodo in agendo cum proximo, quantùm fieri poteſt, Angelos imitari debeamus, quemadmodum S. Ignatius à ſuis Operariis requiſivit. Conſiſtit autem hæc imitatio in tribus potiſſimùm capitibus. 1. Ut, ſicut ipſi nobis puriſſimè propter DEUM inſerviunt, atque adeò nullum reſpectum Perſonarum faciunt, ſed cuivis etiam viliſſimo homini tam libenter inſerviunt, ac pluribus, iiſque præſtantiſſimis operam ſuam impendunt, nihil interea de ſanctitate ſua ac familiaritate cum DEO remittentes; ita idem quoque Aſceta faciat, alioſque, ut faciant, doceat, & hortetur. 2. Ut, ſicut illi omnem conatum & diligentiam adhibent in noſtra ſalute procuranda, ut ſuo modo illud Davidis dictum uſurpare poſſint: Totis viribus præparavi impenſas domûs Domini, non enim homini præparatur habitatio, ſed DEO; ita ſimilis cura ab Aſceta ſalutis alienæ ſtudioſo adhibeatur. 3. Ut, ſicut illi, quocunque eventu ſecuto, in ſuaviſſima DEI voluntate conquieſcunt: ita idipſum etiam imitari Aſceta ſtudeat, memineritque, ipſum etiam DEUM non ſemper optatum operum ſuorum ſucceſſum ſortiri.

1. Paral. 29. v. 2.

S. Aug. in lib. 83. qq.

IV. Imprimis noſſe debet, *quibus dentur Angeli?* Ad quam quæſtionem S. Auguſtinus ſic reſpondet: Unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam; & fortè id ipſum S. Bernardinus ex eodem quoque fundamento aſſeruit, licet is nonnihil univerſaliùs, aſſertionem videlicet ſuam ad animalia quævis minutiſſima extendendo, loquatur, & Damaſceni authoritatem alleget, ſic enim ſcribit: Non ſolùm hominibus dantur Angeli ad cuſtodiam, ſed Damaſcenus in ſua prima parte cap. 10. dicit, quòd muſcæ, & pulices, & formicæ, & omnes creaturæ habent unum Angelum ſecundùm ſpecies ſuas.

S. Thom. p. 1. q. 113. a. 5.

V. Noſſe debet, *à quo tempore homines habeant cuſtodes Angelos?* pro quo dubio S. Thomas citat Origenem, qui aliquos in ea opinione eſſe refert, quòd Angeli nobis à tempore collati baptiſmi aſſignati fuerint; alios autem exiſtimare, deputatos nobis eſſe à die nativitatis. Eſtque hæc opinio à S. Hieronymo approbata; Et rationabiliter, inquit Doctor Angelicus: Beneficia enim, quæ dantur homini divinitùs, ex eo, quòd eſt Chriſtianus, incipiunt à tempore baptiſmi, ſicut perceptio Euchariſtiæ, & alia; at ea, quæ providentur homini à Deo, in quantùm habet naturam rationalem, ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit; & tale beneficium eſt cuſtodia Angelorum. Ulteriùs idem ſanctus Doctor ait, quòd quoad uſque homo eſt in utero materno, pars eſt matris, ſicut fructus eſt pars arboris, ac proinde ſpectet ad Angelum tutelarem illius, cuſtodire etiam fructum ventris ſui, donec ab ea ſeparetur.

VI. Noſſe debet, *cur Angeli tot mala interdum infligant hominibus?* de quo ſic diſcurrit Manſi: Advertendum eſt, quòd Sponſa, per quam anima à Deo electa denotatur, lamentetur dicens: *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Quòd ſi enim ſponſa ſymbolum eſt animæ à Deo ſingulariter dilectæ, quâ ratione tot ei ærumnæ accidunt? ubi eſt cuſtodia Angelica, quæ ipſam defendit? Imò potiùs ipſimet Angeli eſſe videntur illi, qui adeò indignis modis eam tractant. Reſpondet igitur; Modus quidem ille tractandi, quo ſponſa excepta fuit, oculis noſtris diſplicere videtur, non tamen diſplicens aut adverſus eſſe videtur in conſpectu Dei, imò nec in oculis ipſarummet animarum, quæ adeò indignè tractantur. Siquidem quo magis anima aliqua à Deo diligitur, nec non quo ardentius Deum diligit, tanto magis pro ipſo pati deſiderat: Pœna interroget, ſi quis veraciter amet; ideòque bonis terrenis ſpoliari, tormenta aut injurias pro dilecto pati, vitam denique ipſam aut ſanguinem pro Chriſto fundere, optimæ ſunt deliciæ, quæ ardenter Deum amans anima poſſet optare.

Manſi diſc. 6. n. 11.

Cant. 5. v. 7.

VII. Noſſe debet *effectus cuſtodiæ Angelicæ*, quos breviter ſic enumerat Abulenſis: Primus effectus eſt, ad bonum inducere; Secundus, retrahere à malis; tertius, tollere impedimenta profectûs ſpiritualis; quartus, liberare ab exterioribus periculis, nam quiſcunque poteſt incidere in mille pericula, niſi liberetur. S. Laurentius Juſtinianus de iisdem ſic loquitur: Nos inſtruunt in dubiis, ſuſtentant in adverſis, in proſperis humiliant, orationes perferunt, reportant gratiam, cumulant merita, & erga nos infatigabiliter miniſteria ſua exercent.

Abulenſis in c. 18. Matt. q. 63.

S. Laur. Juſt. Ser. de S. Mich.

VIII. Noſſe debet, *quomodo deſerant*; Id quod iterum declarat Abulenſis, nimirum in quantum ei aliquem cuſtodiæ ſuæ effectum, quem aliàs eidem miniſtrare ſolet, ſubtrahit, per quem aliàs ab hac vel illa tribulatione evadere potuiſſet; vel etiam ideo illam deſerere dicitur, quia progreſſus ſpiritualis obſtacula, aliaque ad lapſum irritantia offendicula è medio non aufert: Et quia nemo unquam fuit, quem Deus ſecundùm altam providentiam ſuam non permittat incidere in aliquos defectus pœnæ vel culpæ, nemo eſt de cuſtoditis, quem interdum Angeli non deſerant; quomodo autem derelictio iſta intelligenda ſit, immediatè pòſt exponit, dum ait, id fieri: Non impendendo aliquod auxilium, quod impendere poterant. Similem quoque explicationem S. Thomas tradit, dum ait: Nunquam totaliter dimittit, ſed ad aliquid, prout ſcilicet non impedit, quin ſubdatur alicui tribulationi, vel etiam, quin cadat in peccatum, ſecundùm ordinem divinorum judiciorum.

Abulenſis apud Manſi diſc. 10. n. 5.

IX. Noſſe debet, *cur Angeli gaudeant magis ſuper uno pœnitentiam agente, quam ſuper juſtis?* id quod S. Bonaventura indicat, dicens: Gaudent Angeli de pœnitentia hominis peccatoris, quia deſtruitur culpa, reſtituitur juſtitia, confutatur dæmonum ſuperbia,

S. Bonav. in Luc.

efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira divina, & restauratur Jerusalem superna.

S. Anselm. in c. 1. ad Hebr. X. Nosse debet, *quomodo Angeli Deum assiduò aspicere, & tamen nobis ministrare possint?* ad quod dubium respondet imprimis S. Anselmus dicens: Mittuntur, & assistunt, quia etsi circumscriptus sit Angelicus spiritus, summus tamen spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est; Angeli itaque & missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniant intra ipsum currunt. Deinde etiam *S. Thomas*: Angelus etsi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quoad effectum custodiæ, quia etiam cum est in cœlo cognoscit, quid circa hominem agatur, nec indiget mora temporis quoad motum localem, sed statim potest adesse. Rationem verò hujus velocitatis Abulensis in his verbis tradit: Cùm non sit corpus, neque corpori alligatus non movetur per continuum, ideò neque per tempus, sed subitò fit transitus ejus de cœlo in terram.

S. Thom. p. 1. q. 113. art. 6.

Tob. c. 12. 6. XI. Nosse debet, *quæ gratitudo debeatur Angelis*, ea videlicèt, quam S. Raphaël à Tobia utroque petiit, dicens: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam*: Nimirum pro exhibitis beneficiis & servitiis præstitis Angeli, nihil aliud à nobis gratitudinis & recognitionis loco deposcunt, quàm ut Deo laudes, gratias & benedictiones, mille titulis aliunde debitas, referamus, in ejusque sancto timore perpetuò vivamus.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ps. 96. v. 11. I. EX occasione thematis: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis:* potest ostendi, quantum beneficium sit Angelica Custodia, ideoque dividi concio in duas partes, in quarum prima probetur, cuique homini suum Angelum Custodem attributum esse, ex S. Scriptura, consensu Doctorum, ratione, historiis, uti in Fabro conc. 1. in festo S. Michaëlis videre est. In secunda parte ostendatur beneficii magnitudo, per discussionem circumstantiarum, quis, quibus, quid, de quo mandârit, ad modum, quem §. 9. n. 1. ex S. Bernardo ostendi. Claudatur demum concio cum affectuosa Apostrophe ad DEUM, gratias agendo pro tanto beneficio, promittendoque, quòd velimus audire vocem ejus, &c. Cum alia dein Apostrophe ad ipsos SS. Angelos Custodes, rogando, ut nos suscipiant denuò in tutelam, illuminent, dirigant, corrigant, & demum ad optatam Patriam perducant, ubi pro nostris & illorum beneficiis DEUM cum ipsis perpetuò laudemus & benedicamus.

Exod. 23. v. 20. II. Ex occasione thematis: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & introducat in locum, quem præparavi: observa eum, & audi vocem ejus:* dicatur, quòd, sicut Parentum prudentiorum prima cura est, ut bonos Pædagogos vel Moderatores Filiis suis constituant, ita & DEUS idem fecerit, uti S. Chrysostomus his verbis indicavit: Angelum habet unusquisque credentium; si ergo Angelum habemus, sobrii simus, tanquam si Pædagogi quidam nobis adessent. Itaque in prima parte ostendatur, quàm præclarè officio hoc sint defuncti, idque ex conditionibus ad Pædagogos requisitis, quarum prima est, ut ament Clientem, & libenter in tutelam suscipiant; hoc enim S. Raphaelis splendor, & vestis succincta indicat, quorum ille quidem caritatem, hæc autem promptitudinem ad curam nostram suscipiendam indicat; hinc illud Isaiæ in illis implebitur: Quem mittam? ecce ego, mitte me. Secunda conditio est, ut instruat in virtute, scientia, moribus; quod faciunt Angeli per occultas inspirationes ad fructum in triplici hoc fine obtinendum. Tertia est, ut à malis corporalibus & spiritualibus custodiat, quòd ipsos facere, abundè ex historia Tobiæ & aliorum patet. In secunda parte ostendatur, quæ officia vicissim à Cliente Pædagogis debeantur, videlicet 1. *Gratitudo*, quæ, uti olim Alexander Magnus fassus est, major debetur Præceptori, quàm Parentibus, quia hi tantùm esse, illi bonum esse dederunt; si autem Præceptoribus pro paucis annis tanta gratitudo debetur, quanta debebitur Angelis, qui ab infantia usque ad finem vitæ hoc officio funguntur? 2. *Reverentia:* juxta illud S. Bernardi: in omni angulo Angelo tuo reverentiam habe, &c. 3. *Obedientia*, juxta illud mandatum DEI: Ecce ego mittam Angelum meum; observa, & audi vocem ejus; alioquin enim tota cura frustrabitur, & DEUS graviter puniet, juxta illud: Qui vos spernit, me spernit. Claudatur concio gratias agendo, pro officio Pædagogi tam præclarè erga se exercito: petendo veniam negligentiæ: promittendo accuratam observantiam trium capitum, ex parte nostra observandorum. Quâ de materia videri potest Faber conc. 5. in festo S. Mich.

S. Chrys. ho. 3. in epist. ad Coloss.

Isa. 6. v. 9.

Exod. 33. v. 20.

Luc. 10. v. 16.

III. Ex occasione thematis: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis:* potest qualitas & beneficium Angelicæ Custodiæ pulchrè ostendi ex S. Petri è carcere educti exemplo. Et 1. quidem demonstrari potest, quomodo *adstet* defendendo, consolando, offerendo preces. 2. Quomodo *refulgendo* illuminet tam corporaliter, quàm spiritualiter, ut in Tobia & aliis videre est. 3. Quomodo *excitet* dormientes somnum tepiditatis. 4. Quomodo jubeat *vestes assumi*, id est, removere & vitare occasiones peccandi, ex quibus eduxit. 5. Quomodo jubeat *se sequi*, imitando fervorem in servitio DEI. 6. Quomodo ducat per custodias liberando à tentationibus. 7. Et quidem per *portam ferream*, quæ verò aperta est eis, id est, per mortem, per quam introitus in cœlestem Jerusalem patet. Quæ omnia fusiùs apud Fabrum conc. 2. in festo S. Michaëlis diducta videri possunt.

Act. 12. v. 11.

IV. Ex occasione thematis: *Quam mercedem dabimus ei: aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* potest ostendi, quomodo eadem

Tob. 12. v. 2.

bene-

beneficia, quæ olim Tobias à S. Raphaële accepit, & nos à SS. Angelis Custodibus accipiamus. Ostendatur ergo 1. Quàm promptè se nobis ab ipsa infantia viæ Comitem obtulerit. 2. Quàm potenter nos à pisce immani, id est, periculis & malis corporalibus liberârit. 3. Quomodo felix connubium cum Sara seu Domina, nempe virtute & sanctitate procurârit. 4. Quomodo Dæmonium, ne nobis noceret, compescuerit. 5. Quomodo diteſcere in meritis fecerit, efficiendo, ut DEUS daret mercedem, quam debebat. 6. Quomodo omnibus bonis nos repleverit. 7. Quomodo illuminaverit, & gaudium Parentibus, id est, DEO & suæ Matri fecerit. Quamque adeò meritò dicamus cum Tobia: quid dignum poterit esse beneficiis ejus? quodque ille nihil aliud petat, nisi cum S. Raphaële, ut benedicamus DEUM bene vivendo, hæc enim est optima, Deoque gratissima laus & benedictio, quia purissima, amplissima, & longissima, juxta illud S. Augustini: vis semper laudare DEUM? benefac omnia, quæ facis, & semper laudâsti Deum. Hoc ergo, post brevem actionem gratiarum, promittatur SS. Angelis Custodibus, & non minùs accuratè opere præstetur. Quâ de materiâ iterum Faber conc. 3. in festo S. Michaëlis fusiùs discurrens videri potest.

S. Aug. in Ps. 148.

2. Reg. 22. 36.

V. Ex occasione thematis: *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ:* potest Angelica Custodia clypeo comparari, idque per varios usus clypeorum probari. Nam 1. sicut Lacedæmoniæ Amazones solebant liberos cunarum loco clypeis imponere, ut vel sic olim meminissent, se ad bellum educatos esse; ita Deus ab infantia nos clypeo huic, nimirum Angelicæ Custodiæ commisit, ut & nos meminissemus, militiam esse vitam hominis super terram, & ut in infantia, quo tempore maximè indigemus, hoc clypeo protecti essemus. Hinc S. Bonaventura ait: Magnæ pietatis & benignitatis est indicium, deputare tales Ministros humanæ fragilitati, sine quibus nullo modo esset tuta. 2. Sicut Myrtilus miles utebatur clypeo suo in terra ad se defendendum, dum pugnabat: & in mari, dum naufragium passus, illo inverso pro navi est usus, uti notum illud distychon indicat.

S. Bonav. in festo S. Mich.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum premererq; Salo, dum premererq; Solo.

Sic Angelica Custodia serviat tam in tentationibus voluptatum allicientium, per terram significatis; quàm adversitatum terrentium & affligentium, per mare indicatis, dum scilicet nos abstinere & sustinere docent. Hinc cum S. Theophila Virgo in Lupanar tracta, Sponsi cœlestis opem imploraret, adfuit Angelus aureo scuto instructus, cui inscriptum erat: Quis sicut DEUS Christianorum? quo eam sic protexit, ut primus illam aggredi volens exanimatus, alii excœcati, aut aliter repulsi sint. 3. Sicut olim mortui in clypeo ad sepulturam deferebantur, juxta illud Virgilii: Impositum clypeo referunt Pallanta frequentes. Unde & Mater illa Lacena Filium ad bellum mittens, oblato clypeo dixit eidem: aut cum hoc, aut in hoc redi? ita idem quoque DEUS faciat, & dicat. Ubi autem securiores erimus tempore mortis, quam in hoc clypeo jacentes? Si enim à morte temporali tam sollicitè defendunt, quantò magis ab æterna tuebuntur? Id sanè expertus est Lazarus portatus, & rediens ad Patrem in hoc clypeo. Claudatur concio illis verbis Ecclesiæ: sub tuum præsidium confugimus &c. actis priùs DEO gratiis pro clypeo hoc submisso. Quâ de materia videri potest fusiùs discurrens Philippus Kisselius p. 1. Nili mystici in festo S. Michaëlis, & Henricus Engelgrave in Panth. eodem festo.

VI. Ex occasione thematis: *Angelis suis mandavit de te:* potest caritas Angelorum erga nos, & nostrum vicissim officium ex specie & formâ, quâ plerumque apparere, & à Pictoribus depingi solent, demonstrari, videlicet 1. *in Humana specie:* ut per hanc eorum erga nos amor probetur, cùm nullus ferè amor major sit, quàm inter res similes. Et potest etiam hic amor ex oppositio Dæmonis odio demonstrari, utpote qui teste Pennequin p. 2. Isag. c. 27. in judicio particulari fassus est, se majori impetu ferri in perniciem animarum, quàm torrens violentus per alveum fluat. Quæsitus autem à Christo, cur id faceret? respondit, quia tu illas amas. Quidni ergo similem impetum amoris Angelis bonis ad salvandas animas concedamus? 2. *in Facie juvenili:* ut indicetur vigens semper conatus & hilaritas in nostra salute procuranda, quæ proin potest exemplis confirmari. 3. *Alati,* ad indicandum promptitudinem, quâ ad nostram salutem & commoda feruntur, unde DEUS apud Isaiam olim dixit: Ite Angeli veloces, &c. In secunda parte ostendatur, quomodo nos vicissim tria officia præstare debeamus, nempe 1. *mutuum amorem,* quo nostræ animæ illis agglutinentur, quemadmodum anima Jonathæ cum anima Davidis unita fuerat. 2. *Constantem vigorem* & hilaritatem in eorum cultu & obsequio. 3. *Velocem fiduciam* in adversis, & *celerem obedientiam* in prosperis seu consiliis & inspirationibus bonis, quas suggesserint. Claudatur concio faciendo fœdus novum cum ipsis, de tribus hisce obsequiis accuratè præstandis, quemadmodum ipsi sua tria officia solent præstare. Pro quibus fusiùs diducendis servire possunt ea, quæ Faber conc. 7. in festo S. Michaelis, & Franc. Albertinus c. 10. de Angel. Custodia afferunt.

Ps 90. v. 11.

Isa. 18. v. 2

VII. Ex eodem themate potest pulchrè deduci triplex fructus, ex missione Angelica colligendus, scilicet ut inde conficiatur maxima DEI erga homines caritas, summa Angelorum Humilitas, & excelsa hominis dignitas, quæ omnia tum ex dictis facilè amplificari; tum apud Discupulum serm. 37. fusiùs diducta videri possunt.

VIII. Ex occasione thematis: *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum:* potest ostendi, quàm fideliter & peritè SS. Angeli Comitis fungantur officio, idque ex conditionibus ad Comitem optatum requisitis; demonstrari potest nimirum 1. ut sit *peritus viæ;* quod vel maximè convenit Angelo; ut qui cum veritate quæsitus, num viam ad cœlum nôsset?

Tob. 5. v. 4.

rit? reſpondere queat: novi & itinera ejus (videlicet obſervationem mandatorum DEI) frequenter ambulavi. 2. Ut ſit *benevolus & promptus:* quod itidem Angelis convenire, oſtendit habitus S. Raphaëlis, quando ſplendidus & ſuccinctus, quibus caritas & promptitudo ad nos juvandos ſignificatur, apparuit. 3. Ut ſit *fidelis*, quam conditionem eis convenire, jam pridem docuit S. Bernardus, dum dixit: Fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? tantùm adhæreamus eis, & in protectione DEI commorabimur. 4. Ut ſit *jucundus*; quâ conditione ipſos præditos eſſe, tum vultus, quo pinguntur, ſerenitas & amabilitas indicat; tum cantus ſuaviſſimus, quo DEUM laudant; tum alloquium, quo nunc termini ſeu Patriæ ad quam tendimus, memoriam refricat, nunc viæ, quam ambulamus, brevitatem oſtendit.

§. XI.

ALII CONCEPTUS.

Manſi diſc. 4. n. 7. I. IN Geneſi mentio quidem fit omnium creaturarum tam viſibilium quàm inviſibilium, qualis erat cœlum Empyreum, & tamen Moyſes naturæ Angelicæ nullam aliam mentionem facit, niſi tantùm ſub nomine lucis, ut exiſtimat S. Auguſtinus: *Fiat lux*; ubi novum ſe pro præſenti propoſito noſtro myſterium prodit; Cur enim Angeli lucis nomine exprimuntur; quia nimirùm, experientiâ teſte, hæc in unico momento, mox ut oritur, cunctis tenebris diffugatis aërem totum illuminat, & calefacit, cunctosque effectus ſuos ſumma cum celeritate operatur, ac proinde ſimilitudo iſthæc ſpiritibus hiſce beatis aptiſſimè congruit.

S. Chryſoſt. in Cat. II. Obſervandus ſingulariter eſt modus, quo incarnata ſapientia utitur, dum de cuſtodia & miniſterio Angelorum loquitur; *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex his puſillis; Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis, ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*; Cur obſecro de Angelis tutelaribus parvulorum, qui tum propter ætatem, tum propter ſimplicitatem nihil æſtimantur, loquitur, & non potiùs de Angelo cuſtode Abrahæ, Davidis, Joannis Baptiſtæ, S. Petri vel aliorum ſanctitate & doctrinâ inſignium mentionem facit? Chryſoſtomus duplicem hujus rationem adfert. Primò enim ita Chriſtum loqui dicit propter innocentiam puerilem, quam ſummè diligit; Secundò, quia parvuli ob teneram ipſorum ætatem parviſiunt; Horum igitur exemplum Chriſtus allegare voluit, ut per hoc innueret, quod Angeli nullum habeant reſpectum ad merita & dignitates illorum, quorum ſervitiis & obſequiis ſunt deputati, ſed potiùs ſimilitudinem & imaginem Dei in nobis reſpiciunt, & qui majori premuntur neceſſitate, minoremque habent rerum agendarum experientiam, ſecuriores ſunt de tutelâ, defenſione, obſequiis & indefinenti aſſiſtentiâ Angelorum.

Ibid. ſerm. de Nativ. III. Jacobo Patriarchæ Deus olim cœlum apertum oſtendit, & ſcalam quandam, cujus una extremitas terram altera verò cœlum contingebat; neque hoc tantùm, verùm inſuper Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes ei oſtendit; Quæro autem, numquid, ut Jacob ad gloriam aſcenderet, ſcala ſufficiebat, absque eo quòd Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes conſpiceret? Nequaquam; neque enim nos ad Beatitudinem vocatos eſſe, & cœlum apertum videre ſufficit, niſi etiam, quoad uſque viatores ſumus, cœleſtium ſpirituum directionem præſtò habeamus, ſintque ipſi duces noſtri, qui ſurſum nobis eundi viam oſtendant. Unde Chryſoſtomus ait: Aſpice mirandum proceſſum, Angelos ad nos deduxit priùs; ac deinde deduxit hominem ad ſuperna.

IV. Sponſa in ſacris Canticis ad cavernas invitatur, *Surge amica mea ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* At verò nunquid ipſa erat, quæ dixerat ſponſo: *Oſtende mihi faciem tuam*; Cur igitur nunc ab ea poſtulat, ut in cavernæ latibulo ſe ſe abſcondat? Caſſiodorus ait: in caverna maceriæ moratur, qui præſidio Angelorum ubique circumdatur, & à tentationibus diaboli cuſtoditur. *Caſſiodor. in Cant. c. 2.*

V. In ſacris Canticis legimus: *Vinea mea coram me eſt, mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus.* Septuaginta in bibliis Sixtinis legunt: *Mille Salomoni & ducenti &c.* Obſervandum eſt autem, quòd in eorundem Canticorum cap. 3. dicatur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*; Ubi quærendum, quænam ſit hæc utriusque loci differentia; Ibi enim *mille ducenti*, hîc verò *ſexaginta* exprimuntur? Reſpondit S. Ambroſius: Crevit numerus, ubi crevit & fructus, quia quò ſanctior quiſpiam, eò munitior; quantò enim homo ampliùs creſcit in virtutibus & meritis, tantò ſanctitas ejus magis adaugetur, tantò majori cum contentione Angeli nobis obſequia ſua præſtant, & familiariùs nobiſcum converſantur. *Cant. 8. 12.* *S. Ambroſ. l. 1. de Virg.*

VI. S. Joannes Apoſtolus, dum adhuc mortali hâc carne indutus hîc nobiſcum moraretur in terris, & prout ipſemet in Apocalypſi recenſet, die quadam ad pedes cujusdam Angeli provolutus adorare eundem vellet, illum ſibi dicentem audivit: *Vide, ne feceris*, & ſubito rationem addidit: *Conſervus tuus ſum*, quaſi diceret, paris ambo conditionis ſumus; At verò quis eſt, qui, quanta naturam Angelicam inter & humanam differentia intercedat, ignoret? Quid enim viatorem inter & comprehenſorem, inter corpus è luto plaſmatum, & puriſſimum quendam ſpiritum commune eſſe poterit; Cui dubio S. Petrus Damianus reſpondet: Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, Angelicæ munditiæ eſt contubernalis & cognata virginitas; Porrò Apoſtolus ille in hac virginitatis virtute adeò ſolitè fundatus erat, ut Guerricus Abbas, qui Chriſtum introducit Matrem ſuam interrogantem, an poſt ejus ex hac vita diſceſſum, Gabrielem Archangelum ſibi vellet ſubſtitui, eandem Chriſto in hæc verba reſpondentem quoque ſubintroducat: *S. Petr. Damianus ſer. 1. def. Joan.*

Non

Non opus est, sufficit mihi meus novus in carne Angelus: *Discipulus ille, quem diligebat Jesus.*

S. Greg. Nyss. hom. 7. in Cant.

VII. In Canticis dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per hoc tam forte & copiosum armamentarium ex mente Gregorii Nysseni patrocinium intelligitur Angelorum: Puto autem eam turrim clypeorum multitudine significare Angelicam custodiam, qua circumsepti sumus; ubi notandum est, ly circumsepti, quaquaversum enim circa nos munimenta, valla, & fortalitia in nostri defensionem erigunt.

Petrus Bless. ser. 47.

VIII. Petrus Blessensis discurrens de motivis, ob quæ Angeli ad nos defendendos, nobisque ministrandum tanta solicitudine & Zelo perurgentur, hæc tria tangit; Propter nos, quia naturam nostram, in animabus nostris, quæ sunt rationales spiritus, recognoscunt, nosque sibi conjunctos conformitate naturæ, & quadam cognatione intelligunt, quia sunt participes, & capaces beatitudinis; Propter Deum, cujus viscera vident effusa circa nos, diligunt nos; ac tandem ultimo loco utilitatem, quæ ex nostra custodia in ipsos redundat, adducit, dum ait: Propter se, quia de nobis, tanquam de lapidibus rationalibus & vivis, & restaurandum est suæ civitatis excidium, atque cœlestium ruina murorum. Diligunt concives suos, inquit etiam S. Augustinus per quos suæ ruinæ scissuras instaurari exspectant, ideoque magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis & locis succurrentes inter nos, & te, Domine.

S. Augustinus soliloq. c. 27.

§. XII.

MISCELLANEA.

Custodia.

Albertin. c. 3. de Ang. Cust.

I. GEntiles videntur agnovisse Angelicam Custodiam, dum effectus quosdam fortuitos, quos Philosophi casus contingentes dixêre, considerantes, cùm eorum rationem naturalem investigare non possent, Angelis tribuêre, quos profano vocabulo Lares, id est, Deos particulares domorum dixêre, & Genios, id est, protectores personarum suarum.

Seneca Epist. 3.

II. Seneca in Epistola quadam docet, cuique homini suum assistere Pædagogum, & ab eo in omnibus actionibus erudiri.

Epist. l. 1. c. 14.

III. Sed & Epictetus cùm dixisset, suum cuique Genium & Curatorem assistere, hæc addidit: Cùm igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, non occurrat dicere: solus sum; non enim es, sed Deus intus est, & Genius noster intus, quibus quid opus illato lumine, ut videant, quid facias?

Rab. cont. 1. in festo S. Mich.

IV. Censorinus quoque sic loquitur: Genius ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longiùs abscedat, sed ab utero Matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur; additque appellatum Genium, sive quòd in ejus tutela, ut quisque natus est, vivat: sive quòd nos genitos suscipiat, & tueatur.

Ibid.

V. Menandro teste, omni homini Dæmon assistit, mox ut nascitur, vitæ mystagogus.

Clemens Alex. l. 6. strom.

VI. Clemens Alexandrinus sic scribit: Per Gentes & Civitates dispositæ sunt Angelorum Præfecturæ: neque istud ignoraverunt Romani, in quorum urbe scimus templum fuisse Genii publici, sive Genii Populi Romani. Suos item Coloniis Genios, ipsi Principi seorsim suum, grandiorem aliquem grandiori.

Vit. PP.

VII. Cùm Joannes Thebæus Ammoni seni duodecim annis sedulo serviisset, etsi nullo unquam mitiori verbo dato, idem Ammon moriturus manum ejus prehendens dixit: Hic Juvenis, non homo, sed Angelus est. Quantò magis nos commendare Angelicam sedulitatem debemus, qui tot annis cum tanta patientia serviunt.

Engelgr. in festo S. Mich.

VIII. Cùm quidam Cardinalis in Gallia gemmam centum millibus aureorum æstimatam cuidam ex familia sua custodiendam obtulisset, illa tantâ curâ asservabat, ut diu noctuque sub axilla prope cor alligatam servârit; quanto majori curâ Angeli animas sibi commissas, velut gemmas pretioso & inæstimabili sanguinis Christi pretio emptas, custodient?

Arist. in lib. de secret. secretorum.

IX. Aristoteles ad Alexandrum Magnum inter alia scripsit: An nescis, quod teste Hermogene duo sunt Spiritus, qui te custodiant, quorum unus stat ad dextram, & alius ad sinistram, custodientes, & scientes opera tua, & referentes Factori tuo quidquid feceris? hoc solum in veritate debet te, ô Alexander, retrahere ab omni inhonesto opere.

Cant. 3. v. 7.

X. Angelicam Custodiam per illa Canticorum verba nonnulli indicatam arbitrantur: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Ubi per lectulum anima, in qua cœlestis Salomon suavissimè requiescit, intelligitur; per fortes autem sancti Angeli, de quibus scriptum est: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Necessitas.

Plinius l. 9. c. 42.

XI. Pinna, Concharum genus, nunquam sine comite est, quem Pinnoterem, alii Pinnophilacem vocant, is est squilla parva, alibi cancer dapis affectator. Pandit se Pinna, luminibus orbatum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, & ubi per licentiam crevit audacia, implent illam. Hoc tempus speculatus Index morsu levi significat, quo illa excitata, quidquid incluſit, exanimat, partemque socio tribuit. Quantò magis homo ejusmodi Comite, præsidioque indigebit, qui eum doceat necessariam vitæ spiritualis sustentationem quærere.

Ælianus l. 2 hist. anim. c. 13.

XII. Sed & de Ceto scribit Ælianus, quòd semper ipsũ piscis quidam albo colore, prælongo capite, angustâ caudâ, præcedat, qui nunquam separatur à Ceto, sed ejus caput antegrediens, quasi semo & dux ejus existit, cuncta illi præsentit, & providet, extremaque caudâ præmonstrat tum declinanda, tum persequenda, cibatum ei conciliat, insidiasque à Piscatoribus positas signo prodit, &, ubi occurrunt brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat, tempesti-

vè

vè præsignificat, ut aliò meatum declinare possit. Cùm autem ad nimiam pinguedinem Ceti perveniunt, ampliùs nec videre, nec audire possunt, carnium mole videndi audiendique meatus obstruente. Quòd si eo Duce carerent, haud dubiè illis pereundum esset. An non similem Ducem DEUS homini providit, dum ei Angelum Custodem assignavit.

Cultus.

Seneca l. 1. de benef. c. 8.

XIII. Socrati eùm multi multa pro suis quisque Facultatibus offerrent, Æschines pauper Auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare possim, invenio, & hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum, cogitesque, alios, cùm multa tibi dederint, plus sibi reservâsse. Cui Socrates: quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis nisi fortè te parvo æstimas? habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Simile quid dicent, facientque Angeli Clientibus suis, si se totos illis donaverint, eorumque custodiæ ac directioni permiserint.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Horologio.

II. Franciscus Albertinus de S. Angelo Custode.

III. Franciscus Labata. V. Angelus.

IV. Petrus Pennequin in Isagoge ad amorem divinum. l. 2. c. 22.

V. Pædagogus Christianus to. 2. p. 1. c. 4. §. 5.

VI. Matthias Faber in Festo S. Michaëlis conc. 1. 2. 3. 4. 5. 7.

VII. Henricus Engelgrave in p. 2. cœli in festo S. Michaëlis.

VIII. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ hum. V. eodem; & in promptuario in festo S. Michaëlis. t. 9.

IX. Georgius Scherertus in festo S. Michaëlis c. 2. & 3. ubi proponit historias, quæ de Angelis in novo & veteri Testamento habentur, & cuilibet pulchrum morale subnectit.

X. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

TITULUS XII.

ANIMA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Aug. de qual. anim.

EST actus corporis Organici, potentiâ vitam rationalem habentis. Vel, ut S. Augustinus definivit, est substantia creata, invisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, imaginem habens Creatoris sui. De hac locutus est S. Gregorius, dum ait: tres vitales Spiritus creavit Omnipotens Deus, unum, qui carne non tegitur: alium, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur: tertium, qui carne tegitur, & cum carne moritur. Porrò habet hæc Anima tres status, uti S. Bernardus indicavit, dum dixit: Advertistis tres esse animarum sanctarum status. Primum videlicet in corpore corruptibili: secundum sine corpore: tertium in corpore jam glorificato: primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata.

S. Greg. l. Dial.

S. Bern. s. 207.

Divisio.

II. Dividitur in separatam, & corpori conjunctam: Illa est, quæ post hanc vitam à corpore soluta usque ad diem Judicii existit; ista, quæ vel in hac vita, vel post diem Judicii corpus informat. Conjuncta autem est corpori ob quatuor causas: 1. *Propter Dei bonitatem*, quâ voluit creaturam corpoream esse participem suæ beatitudinis, quod esse non potuit, nisi spirituali creaturæ conjungeretur. 2. *Propter augmentum meriti*, per afflictiones & mortificationem corporis obtinendi. 3. *Propter Universi perfectionem & decorem*; cùm enim esset creatura merè spiritualis, ut DEUS & Angeli: & alia merè corporalis, ut terra & arbores & pecudes: decebat, ut etiam crearetur partim spiritualis, partim corporalis; nempe homo. 4. *Propter servitium Dei:* quod tantò gratius est Deo, quantò majorem occasionem per corpus homo nanciscitur, tum ad amorem suum erga Deum ostendendum; tum verò etiam ad alios exemplo suo ad eundem amorem excitandos.

Potentiæ.

III. Habet tres Potentias, nempe memoriam, intellectum, & voluntatem. S. Anselmus pro tribus facultatibus ei assignat rationem, quâ assimilatur Angelis: appetitum, quo coæquatur brutis: voluntatem, quâ utrisque comparatur: nam hæc inter duas illas facultates media est, quæ modò appetitui, modò rationi suffragatur.

Drex. in Phaeth.

Proprietates.

IV. Tres quoque illi potissimùm conveniunt, Invisibilitas, Spiritualitas, Immortalitas.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. FActus est primus Homo in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem. Igitur sicut portavimus imaginem terrestris, portemus & imaginem cœlestis. *1. Cor. 15. v. 45.*

II. Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. *Sap. 8. v. 19.*

III. In Populo magno non agnoscar; quæ enim est anima mea in tam immensa creatura. *Eccl. 16. v. 17.*

Dignitas.

IV. Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, quia amas animas. *Sap. 11. v. 27.*

V. Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Gen. 1. v. 26.*

Immor-

Immortalitas.

Sap.3. v.1. VI. Justorum animæ in manu Dei sunt & non tanget eos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, &, quod à nobis est iter, exterminium, (seu exitium) illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

Matth.10. v. 28. VII. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

Cura.

Marc.8. v. 36. VIII. Quid proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat; aut quid dabit homo commutationis pro anima sua.

Eccl. 37. v. 25. IX. Est vir sapiens animæ suæ sapiens, & fructus sensus illius laudabilis.

Eccl. 37. v. 30. X. Fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem; non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

1. Petr. 4. v. 19. XI. Itaque & his qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Greg. l. 4. Dial. circa princ. I. MEns refugit credere, quod oculis corporeis non videt. A quibus quærendum est, si unquam viderunt differentiam inter hominem vivum & mortuum. Et ipsis respondentibus, quod magna sit differentia. Ergo in effectu & opere vidistis, animam esse creaturam & naturam magnæ virtutis atque potestatis, quia quidquid in corpore vidistis fortitudinis, pulchritudinis, sapientiæ, totum ex animæ virtute ac fortitudine procedit.

Ibid. II. Ponamus ante mentis oculos ædificari domum, immensas moles levari, pendere magnas in machinis columnas, quis, quæso te, hoc opus operatur? Corpus visibile, quod illas moles manibus trahit, an invisibilis anima, quæ vivificat corpus? tolle enim, quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cuncta, quæ movere videntur visibilia corpora metallorum, quâ ex re pensandum est, quòd in hoc quoque mundo visibili nihil nisi per creaturam tuam invisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando & implendo ea, quæ ratione subsistunt, & vivificat, & movet invisibilia; ita quoque invisibilia implendo movet, atque sensu vivificat carnalia corpora, quæ videntur. Sic ergo anima, licet invisibilis sit in natura, videtur tamen in opere, quod ab ipsa procedit.

S. Greg. Naz. orat. 42. III. Idem homo & caro est, & spiritus, Spiritus quidem anima est propter gratiam, ut immortalis sit, tantique beneficii authorem laudet: Caro autem propter superbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo submoneatur, quòd terra est, atque ita, si quando propter mentem efferatur, propter terram dejiciatur.

Dignitas.

Hugo Vict. apud Mansi tr. 7. disc. 2. n. 6. IV. In ea Creator est, sub ipsa est Mundus, propter ipsam factus; supra ipsam Deus, à quo, & ad quem, & propter quem ipsa facta est.

V. Tantò major est omnibus creaturis, quantò ipsa magis conformis & similis Deo.

S. Aug. l. de anim. quant. c. 2. S. Greg. ho. 29. in Evang. VI. Omnis creaturæ nomine signatur homo, omnis autem creaturæ aliquid habet homo, habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo.

S. Augustin. l. cit. VII. Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter ea omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius.

S. Aug. S. 48. ad FF. VIII. Anima humana omnium creaturarum naturam participat, omne spirituale suum est, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, & Trinitatem ad fruendum; de aliis verò creaturis, quia homine inferiores, illique subjectæ sunt, dubitari nequit: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, &c.*

S. Gregor. l. c. IX. Anima similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aëri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam; Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam.

S. Gregor. Naz. orat. 42. X. Sic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quasi altum quendam Mundum, ab eo, qui aspectu sentitur, ipsum in eo collocat, magnum ni-mirum in parvo.

S. Ambros. l. 6. ex c. 8. XI. Cognosce te, decora anima, quia imago Dei es; Cognosce te, O homo, quia gloria es Dei; audi, quomodo gloria; Propheta dicit: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me*, hoc est, in meo opere mirabilis facta est majestas tua, in consilio hominis tua sapientia prædicatur.

S. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. XII. Spiritualis est Paradisus, mens sancta, mens munda, atque ad sui conditoris imaginem signanter expressa: jure dicitur Paradisus, quæ & cœlestium charismatum est fluentis irrigua, & tanquam fertilium arborum vel herbarum, sic virentibus sanctarum virtutum vernat germinibus adornata.

Hugo Card. in prov. XIII. Dicitur anima templum Dei, multis rationibus; In templo Deus adoratur, similiter in anima fideli. In templo offeruntur sacrificia, similiter in anima fideli: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* In templo sunt Cruces intus & extra; ita in anima debent esse cruces intus per memoriam Passionis, & exteriùs per imitationem. In templo reponuntur Reliquiæ Sanctorum; sic anima fidelis debet semper recolere exempla Sanctorum. In templo est aqua benedicta, quæ fugat dæmones; ita in templo spirituali nostro debet esse aqua lachrymarum, qua fugatur diabolus.

S. Bernardin. S. 51. 2.a. c.2. XIV. O quanto labore, & quam ferventi amore quæsivit animam amorosus Jesus; Virginis uterum vix egressus est, & dilectam animam more infantium vocat A. A. A. id est, anima mea, anima, anima, te quæro.

S. Thomas apud Manfi. disc. 10. n. 13. XV. Omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, & tota laus divina in ipsius inventione penderet, & quasi sine ipso beatus esse non potest.

S. Chrys. ho. in ps. 48. XVI. Vis scire, quantum sit pretium animarum nostrarum? redempturus eam Unigenitus non Mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem; quocirca dicebat Paulus: *Empti estis pretio magno.*

S. Greg. Naz. orat. 1. XVII. Huc Magistra lex tendit; huc inter Christum & legem interjecti Prophetæ; huc spiritualis legis perfector & finis Christus; huc exinanita Deitas; huc assumpta Caro; huc nova illa mixtio, DEUS, inquam, & homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt.

S. Bern. s. 1. de advent. XVIII. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens, non quòd aliquid videatur esse tanquam à seipso, sed quòd tanti eum fecerit ipse, à quo creatus est. Omnes enim divitiæ, omnis gloria Mundi, & quidquid in eo conspicitur, minus est hac gloria, imò nec est aliquid in comparatione ejus.

S. Bern. c. 3. me ad. XIX. Totus quidem iste Mundus ad unius animæ pretium animari non potest; non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne DEI Filius, cum esset in sinu Patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam à potestate Diaboli liberaret? flevit ipsam, nec solùm flevit, sed etiam morti se obtulit, ut pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice mortalis, pro te datur hostia talis.

Idem s. 67. de int. Dom. XX. Quid majus his tibi facere potuit, quàm ut ad similitudinem suam conderet Factor tuus? attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in te ipso agnosce.

Isid. l. 1. de summ. bon. XXI. O homo, quid miraris siderum altitudinem, & profunditatem maris? animi tui abyssum intra, & mirare, si potes.

S. Bernardin. l. c. c. 1. XXII. Magno pretio æstimata es, O anima, pro qua requirenda è summo Cœlorum Dei Filius descendit in uterum Virginis: Quis sapiens pro requirendo obulo itinere centum dierum voluntariè laboraret. Ergo magna quidem res est anima mea, pro qua requirenda Deus in Mundum descendere dignatus est.

S. Bernardin. de dign. anim. a. 1. c. 3. XXIII. Non custoditur magnâ diligentiâ à sapientibus res quæ vilis est, sed pretiosa; in hoc profectò patet, quàm pretiosa sit anima justorum, quando solus Dominus illius vult esse custos. psal. 64. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum.*

S. Aug. to. 9. l. de dilig. Deo c. 6. XXIV. Voluit ad se trahere per similitudinem, quas ad se trahebat per dilectionem: transisse ipsum video in pretium meum, tam copioso munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.

Immortalitas.

S. Aug. l. 4. dial. circa princ. XXV. Hujus autem rei (scilicet immortalitatis) veritatem duo attestantur apertè. 1. Prompta voluntas, quam viri Spiritu Sancto pleni, videlicet Apostoli ac Martyres, qui in hoc errare non potuerunt, habuerunt, animas sic ponendi, ut in æternum viverent. Nunquid enim Sancti Apostoli & Martyres præsentem vitam despicerent, & in morte carnis animas ponerent, nisi certiorem vitam animarum subsequi scirent? 2. Miracula Sanctorum; nam sicut vita animæ manentis in corpore ex motu deprehenditur membrorum; sic vita animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum, quia per hoc arguitur, eos in bona fide fuisse mortuos; non autem in aliena fide fuerunt, nec pro alia mortui sunt, nisi quòd animæ viverent post mortem.

Trismegistus in Asclepio. XXVI. Anima Horizon est æternitatis & temporis; quà enim immortalis æternitatis est particeps; quà verò corpori à DEO infusa particeps est temporis.

S. Bern. s. 14. XXVII. Quid indecentius, quàm curvum recto corpore gerere animum?

S. Aug. in quod form. XXVIII. Quid est, quod velis habere malum? dices mihi, nihil omnino. Non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non tunicam, postremò non caligam; & tu vis habere malam vitam? rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ.

S. Bern. s. de dedicat. XXIX. Ad imaginem DEI facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, non implebit.

S. Chrysost. lib. de recup. lapsi. XXX. Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus; non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo, quod primum est, negligit, & quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit. Qui verò ordinem servat, &, quod primum est, colit, etiamsi negligat, quod secundum est, per primi salutem salvabitur & secundum.

Origenes ho. 2. in Cand. XXXI. Nisi cognoveris temetipsam, & agnoveris, pulchritudinis tuæ causas indè descendere, quòd ad imaginem Dei facta es; quod nisi feceris, jubeo te exire, & in ultimis gregum vestigiis collocari, & hædos pascere, illos scilicet, qui præ pravitate à sinistris statuti sunt.

S. Thomas vill. ps. in Dom. 19. Pent. XXXII. O anima, si videres te ipsam! O si agnosceres tuam excellentiam & pulchritudinem, non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum; quàm pudendum est, generosam creaturam luto voluptatum fœdari, & sponsam cœlestis Regis vilissimo æthiopi copulari?

S. Euseb. Emyss. ho. 2. de sym. XXXIII. Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam.

XXXIV.

S Ambroſ. l. 8. Hexam. c. 7. XXXIV. Grave eſt, ut de te dicat Deus, non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum meum, quem ipſe formavi.

S. Bern. S. de miſer. hom. XXXV. Miſer homo ut miſerum paſcas corpus & veſtias, & carnis voluptatibus, quæ poſt paucos dies à vermibus devorabitur, ſatisfacias, ſollicitus laboras, diſcurris, vigilas, & ſomnum non capis oculis, ut repleas ventrem; & pro anima tua, quæ Deo præſentanda eſt in cœlis, cur non ſollicitus fatigaris?

S. Chryſoſt. in c. 3. Gen. XXXVI. Cum tantæ ſit excellentiæ anima, haud ſcio, quomodo noſtrum ſubverterimus ordinem, & usque adeò inoleverit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiſcentiis obſequi, ut deturbetur à throno ſuo Regina, cujus erat præſidere, ordinare, & imperare.

S. Bern. c. 13. de conv. ad Cler. XXXVII. Unde hæc tanta puſillanimitas, & abjectio tam miſerabilis, ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis, & gloriæ magni Dei, utpote cujus ſit inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita, cruore redempta, fide dotata, ſpiritu adoptata, miſera non erubeſcat ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem?

S. Chryſ. ho. 22. in Gen. XXXVIII. Quare non ſicut viſibilis corporis gerimus curam, ita & animæ, quæ incorporea & inviſibilis? præſertim cùm cura ejus levis ſit & facilis, & nihil inſumatur, neque laboretur.

Idem ho. de anim. XXXIX. Magnoperè deplorans confuſam hominum animis dementiam, denſamque ipſis incumbentem caliginem, invenire vellem ſpeculam aliquam excelſam, quæ omnia mihi genera hominum cernenda ſubjiceret; vellem autem & vocem adipiſci, quæ per omnes terminos reſonaret, & omnibus, qui in terra ſunt, ſufficeret, ſtareque & vociferari, ac Davidicâ illâ voce exclamare: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* quomodo enim non abſurdum eſt in corpore, ſi id qualiscunque etiam morbus invaſerit, & Medicos vocare, & pecunias expendere, & tolerantiam oſtendere, nec priùs deſiſtere omnia facere, quousque id, quod nos infeſtat, amoverimus; cùm verò anima in ſingulos dies ſtimulatur, præcipitatur, atque omni modo ſeipſam perdit, ne brevem quidem habere ſermonem?

S. Laur. Juſt. l. de Spirit. an. inter. XL. Cùm juxta humanæ uſum prudentiæ deteſtabile plurimùm ſit, neglectis margaritis & gemmis, lapidum, qui ſternuntur in via, curam gerere; longè reprehenſibilius eſſe arbitror, contemptâ vita animæ, in ſola corporis incolumitate laborare.

S. Ambroſ. S. 25. in die Cin. XLI. In homine interiori facti ſumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ formati ſumus; & videte, fratres, ſi juſtum eſt, ut caro de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima noſtra, imago Dei, vix vel poſt plures dies accipiat Dei verbum, cùm tamen expediat nobis, ut amplùs Dei imaginem, quàm noſtram carnem honorare debeamus? qui enim de ſola carne cogitant, beſtiis & pecoribus ſimiles ſunt, & qui ita agunt, jam in ſe Dei imaginem contriverunt. S. Baſilius quoque hanc animæ cibandæ curam inſtantiſſimè urget, ſuadetque, ut, quotiescunque corpus paſcimus, de anima quoque refocillanda ſeriò cogitemus. Quandocunque, inquit, corpus eſurit, & nutrimentum appetit cogita, & animam tuam ſuo tunc cibo neceſſario refocillari velle; & quemadmodum corpus, niſi pane ſuſtentetur, vivere nequit, ſic & anima, niſi ſpiritualis ſapientiæ alimento reficiatur, mortua eſt.

XLII. Nihil rationabili anima pretioſius, nihilque poſſidendum eſt charius, quæ Dei eſt ornata imagine, Chriſti redempta ſanguine, atque ſanctorum Angelorum felicitate ditanda: hanc quisquis ſemel amiſerit, ulteriùs recuperare non valet, etiam ex ipſa omnium Sanctorum interceſſione. *S. Laurentius Juſtin. l. c.*

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Dignitas.

I. CHriſtus S. Carpo Cretenſium Epiſcopo revelavit, tanti ſe facere quamvis animam, ut pro ea denuò mori, imò & inferni tormenta ſuſtinere paratus ſit. *Surius in vita.*

II. Sed & S. Gertrudi quondam dixit: tanto adhuc caritatis dulcore erga te cor meum affluit, ut, ſi ſaluti tuæ expediret, aliterque felicitatem æternam conſequi non poſſes, vellem pro te ſolâ tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. *L. 3. Inſin. c. 41.*

III. S. Brigitta ab eodem audivit: Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis atque incomprehenſibilis eſt, ſicut erat tempore paſſionis meæ, quando per mortem meam ex nimia caritate liberavi omnes Electos. Et ſi fieri poſſet, ut toties morerer, quot ſunt animæ in inferno, ego promptiſſima voluntate, & perfectiſſima caritate corpus meum traderem, eandemque paſſionem & mortem pro quâlibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus. *Lib. 7. rev. c. 19.*

IV. Eadem aliquando in judicio vidit, & audivit in judicio Diabolum fatentem, ſe majori impetu ferri in perniciem animarum quàm torrens violentos per campos rapi conſuevit. Cauſam deinde rogatus à Chriſto reſpondit: quia tu illas tantopere amas. *Pennequin p. 2. Ijagog. c. 27.*

V. S. Catharina Senenſis cùm ſemel animæ pulchritudinem vidiſſet, tantam de iis æſtimationem concepit, ut, quoties Operarium aliquem ſpiritualem transeuntem videret, pedum illius veſtigia exoſcularetur. *Surius in vita.*

VI. Eidem aliquando pro Feminæ peccatricis anima deprecanti, Chriſtus illius animam è corpore egredientem oſtendens, dicebat: Vides, Filia, homini meritò pro ſalute rei tam pretioſæ & tam eximiæ pulchritudinis, omnes labores ſubeundos, & cùm ego tanta pro ipſo fecerim, & paſſus ſim, homini non inferiora eſſe toleranda. *Ibid.*

VII. B. Furſeo aliquando Angeli dixerunt, unicam Beatis in cœlo triſtitiam, id eſt, diſplicentiam naſci de perditione animarum. *Pennequin l. c.*

VIII. David animam coram ſe poſitam eſſe, & in manibus à ſe portari dicebat (ad eum modum, quo rem aliquam pretioſam, nobisque *Manſi diſq. 1. n. 1.*

bisque unicè charam in manibus portare solemus) seu, quod idem est, seriam valde circa animam propriam reflexionem habebat, atque ideo Deo tantoperè gratus, acceptusque erat, ut de eo diceret: *Inveni virum secundùm cor meum*; idem quoque universo generi humano summâ, qua poterat, cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum thesaurum, qualis est anima, toto animi conatu considerarent, eique custodiendo incumberet, ideoque omnes
Ps. 65. 16. ad se auscultandum convocabat dicens: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*; Ubi Albertus Magnus ait; Narrabo, quanta fecit animæ meæ, ut sciatis, quid faciat vestræ, nisi per vos steterit.

Ibid. n. 10. IX. S. Theresia, quæ maxima & peritissima fuit vitæ spiritualis Magistra, sequentia meditationis utilissima puncta suis specialissimè commendavit, & ut continuò in eorum mentibus versarentur, præcepit, nimirum unicam esse animam, unicam esse vitam, unicam esse gloriam.

Blos. in mon. spirit. X. S. Gertrudis Virgo à cœlesti sponso suo cœlitus edocta fuit, nimirum ut, quotiescunque Christi crucifixi intueretur imaginem, illum unumquemque hominem his verbis alloqui credat: En vides, quomodo pro te sum vulneratus in cruce? Si saluti tuæ expediret, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto Mundo.

Vit. l. 2. c. 2. XI. S. Carolus Borromæus, postquam in vastæ illius Diœcesis Mediolanensis Archiepiscopum electus fuit, firmiter apud se, nunquam à sua Residentia procul abire aut manere velle decrevit, solitus dicere, paratum se esse Cardinalitiam deserere dignitatem, si hæc illi in accumulando animarum sibi commissarum fructu impedimento foret, quarum unam pluris æstimabat, quàm omnes totius Mundi dignitates. Legatur in ejus vita caput illud, in quo de ejus Zelo salutis animarum tractatur: Refert enim vitæ ejus Historiographus, hanc illi maximam valde fuisse solemnem, quâ dicere solebat, unicam duntaxat animam continuam Pastoris cujusdam curam dignè mereri; Unde cuidam Cardinali Episcopo, quem, ne à sua diœcesi procul discederet, seriò adhortatus fuerat, se excusanti dicendo, Diœcesin suam non admodum populosam esse quoad animas, eamque proinde facili negotio per alium substitutum administrari & gubernari posse, S. Carolus summa cum solicitudine respondit, tametsi Diœcesis vestra multa animarum millia non contineat, attamen vel una tantum anima cujusvis magni pastoris præsentiâ dignissima existit. Hinc in concione
Conc. 11. ad Cler. quadam exclamabat: O si videremus, quid sit è faucibus inferni animam unam liberare, non dubito profectò, quin hodie plurimi ad nos accederent, qui se oblatos fieri postularent, & non modò montes transirent, sed etiam apertissimis & maximis quibuscunque vitæ periculis sese exponerent, ubi spes aliqua esset, vel unius etiam animæ recuperandæ.

Ex Epist. anno 1559 XII. Cùm Indiæ Prorex Constantinus admodùm pius Goæ à præcipuis Regni Administratoribus, suisque Consiliariis admoneretur, quòd Regia vectigalia non parvam jacturam acceptura essent, si tantis impensis Christianorum conversioni intendere vellet, ille verè ac sapienter respondit, plùs ad regni statum amplificandum, & splendorem Regis mei conducit vel unius abjectissimi mancipii in hac Insula conversio, quàm divitiarum immensa copia, vel naves pipere aliisque aromatibus plenissimæ; firmiter enim apud se statuerat: omnia sua in discrimen dare pro unius animæ conversione & incolumitate.

Immortalitas.

XIII. Non erit abs re, hoc loco recensere hi- *S. August. Epist. 100.*
storiam, quam habet S. Augustinus in Epistola ad Evodium scripta de Gennadio rerum naturalium scientiâ apprimè imbuto, de immortalitate tamen animæ dubitante his verbis: Gennadius Medicus dubitabat aliquando cùm adhuc esset Adolescens, & in his eleemosynis ferventissimus, utrùm esset ulla vita post mortem. Hujus igitur mentem & opera misericordiæ quoniam Deus nullo modo desereret; apparuit illi in somnis conspicuus juvenis & dignus intendi; eique dixit, sequere me: Quem dum sequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi audire cœpit à dextera parte sonos suavissimæ cantilenæ, ultra solitam notamque suavitatem. Tunc intento quidnam esset, ait, hymnos esse beatorum atque sanctorum. Sinistrâ autem parte quid se vidisse retulit, non satis memini. Evigilavit, & somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Alia verò nocte eòce idem ipse juvenis eidem rursus apparuit; atque ab illo, utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste, quòd eum bene, planeque cognosceret. Tunc ille quæsivit, ubi se nosset: nec memoriæ defuit, quid iste identidem responderet: totumque visum illud, hymnosque sanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, quâ recentissimos recordabatur, facilitate, narravit. Hic ille percunctatus est: utrùm num id, quod narraverat, in somnis vidisset, an vigilans? Respondit, in somnis. At ille, bene, inquit, recolis: verum est, in somnis illa vidisti: sed etiam nunc in somnis te videre scias. Hæc cùm audisset iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adjecit, & ait: Ubi est modò corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo meo: scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse & clausos, & otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit: scio: Tunc ille? Qui sunt ergo, inquit, isti oculi, quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti, ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit: & continuò, sicut, inquit, illi oculi carnis tuæ utique in dormiente atque in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid operantur; & tamen sunt isti, quibus me intueris, & ista uteris visione: ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, quâ vivas, sensusque, quo sentias. Cave jam de-

in-

inceps ne dubites, vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem: Quo docente? nisi providentiâ & misericordiâ DEI.

Baron. to. 5. ann. 412.

XIV. Michaël Mercatus, S.E.R. Protonotarius, narrabat de avo suo, eodem, quo ipse nomine nuncupato, Michaële Mercato seniore, cui cum Marsilio Ficino nobilissimi ingenii viro summa intercedebat amicitiæ consuetudo, parta & aucta Philosophicis facultatibus, in quibus Platonem ambo affectabantur auctorem. Accidit autem aliquando, ut ex more, quidnam post obitum supersit homini, ex ejusdem Platonis sententia, non tamen sine trepidatione deducerent, quæ labantia, Christianæ fidei Sacramentis suffulcienda essent: eo enim argumento extat ejusdem Marsilii ad ipsum Michaëlem Mercatum erudita quidem epistola de animi & Dei immortalitate. Cùm verò inter differendum eorum progressa longiùs fuisset disputatio, eam ad calcem perductam illo clauserunt corollario, ut junctâ simul dexterâ pacti fuerint, uter eorum ex hac vitâ prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conventis, ambo jurati ab invicem discessêre. Interlapso autem haud brevi temporis spatio, evenit, ut, cùm summo manè idem Michaël senior, in Philosophicis speculationibus vigilaret, ex inopinato strepitum velociter currentis equi, ejusdemque ad ostium domûs cursum sistentis audiret, vocemque simul Marsilii clamantis: O Michaël, O Michaël, vera, verâ sunt illa! Ad vocem amici Michaël admiratus, assurgens, fenestramque aperiens, quem audierat, vidit post terga, ad cursum iterum acto equo candido candidatum: prosecutus est eum voce, Marsilium, Marsilium invocans; prosecutus & oculis, sed ab eis evanuit. Sic ipse novi casûs stupore affectus, quid de Marsilio Ficino esset, sollicitus perquirendum curavit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clausit extremum) invenitque eundem illâ ipsâ horâ defunctum; qua eo modo auditus & visus est sibi. Quid tum ipse? licet enim antiquæ probitatis vir esset, innoxiamque & proficuam omnibus vitam hactenus excoluisset (prout decebat verè Philosophum) ex eo tamen tempore, valedicens Philosophicis disciplinis, solius Christianæ Philosophiæ, cæteris eminentioris, propensior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, Mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris Christiani, qui inter Philosophos sui temporis magna cum laude claruerant, nulli secundus.

2. Reg. 18. v. 23.

XV. S. David mortuo Filio ex Bersabea suscepto, dicebat: Ego magis vadam ad eum, ille verò non revertetur ad me: Ergo superstitem credidit, quia non itur ad quempiam non existentem.

2. Mach. 7. v. 11.

XVI. E cœlo ista possideo, (dicebat unus ex Filiis Machabæorum,) sed propter DEI leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.

3. Reg. 2. v. 16.

XVII. Elias audiens Filiæ Sareptanæ Filium mortuum, oravit ad DEUM his verbis: Domine DEUS meus, revertatur obsecro anima Pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est anima Pueri ad eum, & revixit.

Tob. 2. v. 18.

XVIII. Tobias ad Domesticos dixit: Filii Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam DEUS daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Iterumque postea dixit: Et nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi Spiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quàm vivere.

Ib. 3. v. 6.

2. Mach. 6. v. 26.

XIX. Cùm Eleazarus ad mortem raperetur, inter alia dixit: Etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis DEI nec vivus, nec defunctus effugiam.

2. Mach. 14. v. 46.

XX. Razias stans supra grandem Petram præruptam, & jam exanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans Dominatorem vitæ ac Spiritûs, ut hæc iterum illi redderet, atque ita vitâ functus est.

Vilipensa.

Thomas Cant. l. 2. apum c. 36. p. 2.

XXI. Thomas Cantipratanus refert, de impio quodam homine, quòd, dum in publica quadam taberna in quorundam epulonum contubernio constitutus, quosdam audisset de rebus alterius vitæ miscere sermones, is effusè illos deridens dixerit, animas corporibus mortuis etiamnum superstites immortaliter vivere, merum esse sacrificulorum & Monachorum somnium atque commentum: quod cùm à combibonibus cum applausu exceptum fuisset, accederit, quòd eorum societati vir quidam se jungeret; proceræ staturæ, complexionisque, ut videbatur, fortis & robustæ, qui & ipse potum sibi dari postulabat; cumque qua de re inter se colloquerentur scìscitatus fuisset, impius ille temerè, de animabus post mortem etiamnum vitam agentibus sermonem esse, respondent, subjunxeritque: si quis animam meam à me sibi comparare vellet, illam utique bono, faciliqué ei pretio divenderem, comparatumque indè lucrum potando consumerem: quam pollicitationem procerum hocce monstrum grato animo accipiens, se ejus animam sibi pacto æquo pretio comparare paratum esse dixit: convenitur inter utrumque, moxque promissâ pecuniâ exsolutâ, non priùs à potando cessatum est, donec receptum pro anima pretium in multam usque noctem crapulando abligurítum fuisset; tum verò personatus ille gigas combibonibus tempus jam adesse dixit, quo domum quisque suam ut repeteret, nox ipsa serotina suaderet; rogavit tamen, ut, priusquam sibi mutuò valedicerent, causam quandam, in qua ipsos constitueret Judices & arbitros, æquitate servatâ dirimerent: quam proinde in hunc ferè modum iisdem enarravit: Est, qui equum aliquem funi seu capistro alligatum, justo pacto persoluto pretio, sibi comparavit, dum verò equus extradendus, nunquid justitia postulat, ut & funis sive capistrum, quo cum alligatus fuerat, pariter extradatur?

Omnes idipsum æquissimè à venditore fieri debere, incunctanter respondérunt; Inter hos verò temerarius ille sacrilegus, mysterium propositæ quæstionis advertens, impallescere, fugataque erapulâ toto corpore contremiscere cœpit, qui proinde ab hoc personato gigante, qui verus dæmon erat, in aëra sublevatus, & in æternam damnationem abductus, nusquam ampliùs comparuit. Inimici nostri sunt judices. Ecce qualiter ipsemet dæmon, qui nobis corpus animæ (in summum ejus præjudicium) præhabendum esse suadet, eandem tamen permagni faciat, talisque præcellentiæ esse censet, qualis equi, si cum fune seu capistro comparetur: Quàm igitur delirat ille, qui tantopere sibi in fune seu capistro, cui animal alligatum fuit, complacet, ut, ne illud amittat, equum negligat, & fame extingui patiatur?

Manſi diſc. 17. n. 15. XXII. In vitis Patrum de sancto quodam Eremita scribitur, quòd, cum Cellam suam egressus fortè fortuitò mulierem quandam elegantissimè exornatam habuisset obviam, intra semetipsum suspirans, propriam tacitus reprehenderit animam, dolendo, quòd illam non iis adornâsset virtutibus Christianis, ut DEO magis placere posset, sicut hæc mulier corpus suum summa cum assiduitate composuerat, cultissimoque mundo muliebri condecorârat, ut placeret hominibus, seu potiùs incautas animas seduceret.

§. V.
EXEMPLA DOMESTICA.

Hist. Soc. p. 1. l. 16. n. 113. I. S. Ignatius, si quandoque homines ipsi occurrerent, considerans animarum à Christo redemptarum splendorem ac pretium, vix interdum lætitiæ æstuantis vim, ne se extra effusiùs proderet, temperabat.

Epist. S. Xav. II. S. Franciscus Xaverius, cùm parvulum quendam ad cælos transmisisset, dicere auditus est, hoc sibi præmium sufficiens esse pro tam longinquo & molesto itinere in Indiam suscepto, quòd scilicet unam animam cælo transmisisset.

Vide plura in hac Bibliotheca. V. Zelus. §. VI.

§. VI.
EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. I. Anaxarchus à Nicocreonte Cypri Tyranno captus, & malleis ferreis in saxo excavato contusus, tunde, inquit, tunde bene Anaxarchi carnes & ossa, Anaxarchum autem, id est, animam illius, velut potiorem hominis partem, nequaquam tundes.

Ælianus l. 13. II. Cercidas Megapolitanus cùm in morbum incidisset, & quæreretur, num libenter moreretur? quidni, ait; videbo enim post mortem viros in omni scientiarum genere doctissimos, ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecatæum, ex Poëtis Homerum, ex Musicis Olympum, qui suis literarum monumentis immortale sibi nomen pepererunt.

Beyerlinck. in theatro vit. hum. v. eod. III. Cùm Michaël Mercatus & Marsilius Ficinus de immortalitate disputantes inter se convenissent, quòd, qui prior eorum moriturus esset, apparere, &, quid de animabus post vitam ageretur, significare deberet, accidit, ut paulò post Michaël studiis intentus, equum celeri gressu ad ædes suas accurrentem, simulque vocem istam audiret: O Michaël, Michaël, nimis vera sunt omnia, quæ de immortalitate discurrimus; cumque iterum equus abiisset, Michaël inquirens, quid circa Marsilium ageretur; audivit eum mortuum esse, simulque decrevit, non prophanæ ampliùs, sed cælesti Philosophiæ exercendæ & docendæ reliquum vitæ impendere.

§. VII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut qui in alieno habitant, multis angun- *Senec. apud Manſi diſc. 3. n. 10.*
tur incommodis, semper de aliqua domicilii parte queruntur, ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur, significans se esse non in suo domicilio, sed unde brevi sit emigrandum.

II. Sicut Reges & Magnates, postquam sub- *Ibid. diſc. 4. n. 5.*
lime aliquod valdeque magnificum erexerunt palatium, vel civitatem aliquam è fundamentis erexerunt aut notabiliter restaurârunt, aliquam sibi in loco conspicuo erigere solent statuam, effigiem ipsorum & similitudinem ad vivum repræsentantem, ut posteritati in futuris sæculis, quisnam fabricæ illius author, & fundator sit, manifestum fiat: Eodem quoque modo Deus, postquam vastam hanc Mundi machinam creavit, ut deinceps, quis author illius fuisset, clarè ab omnibus agnosci posset, statuam aliquam, imaginem & similitudinem suam exactè referentem, fabricare & erigere voluisse videtur, dum hominem condidit, qui veluti parvus quidam Mundus erat, ut ex hujus tam nobilis creaturæ aspectu deveniretur in notitiam Creatoris. Unde Venerabilis Beda super illa verba: *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*; ita exponit: Id est, luminosus vultus tuus impressus est nostræ animæ, ut sit dictum ad similitudinem, quasi vultus Dei ita expressè sit in anima nostra, sicut in aliqua statua expressa est alicujus vultûs imago, juxta quod dictum est, *formavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem sui.*

III. Sicut æs statuæ, ejusdem non est cum *S. Chryſ.*
Rege substantiæ, sed tamen hanc ausi ludere, *ho. 3. ad*
pœnas dederunt; sic & in hominibus, & si non *pop.*
ejusdem cum Deo substantiæ sint homines, sicut neque reverâ sunt, veruntamen imago illius vocati sunt.

IV. Sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus *S. Bernar.*
est Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii, sed unus *de inter.*
est Deus, & tres personæ, ita anima est intelle- *dom. c. 47.*
ctus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed una anima & tres vires; At verò paulò antè dixerat: Sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria.

V. Sicut Deus nomine caret, ideòque in- *S. Gregor.*
comprehensibilis est, ita nomine carens, & *Nyſſenus*
ignota spiritualis & immortalis animæ tuæ sub- *apud Manſi diſc. 6.*
stantia, ad imaginem & similitudinem typicam *n. 4.*
nomi-

nomine carentis & incogniti atque immortalis, ſubſtantiam ullus hominum, qui à ſæculo fuerunt, unquam novit. Ex hac autem incomprehenſibilitate Nyſſenus aliam quandam analogiam & ſimilitudinem inter animam & Deum deducit, dicens: quod percipi, cognoſciqué non poteſt, nullius alterius rei eſt argumentum, quàm illam verè ac propriè incomprehenſibilis Dei eſſe imaginem.

S. Aug. de Spir. & an. VI. Sicut Deus Spiritus eſt, ſic & anima Spiritus dictus eſt; Deus eſt immortalis, inquit S. Bernardinus, anima eſt immortalis, & ſi juſta eſt, cum DEO victura in ſæcula ſæculorum. Sicut DEUS, inquit idem Sanctus, eſt interminabilis, & infinibilis, ita anima, licet habeat principium, nunquam habebit finem. Creata eſt, inquit S. Bernardus, vita à vita, ſimplex à ſimplici, immortalis ab immortali, accepit, etſi non eſſe, poſſe tamen eſſe beata: ſummo proinde gradui quantum licet appropians.

S. Aug. ubi ſupra c. 18. VII. Sicut DEUS ubique eſt totus in toto Mundo, & in omni creatura ſua: ſic anima ubique tota in toto corpore ſuo, tanquam in quodam Mundo ſuo; ſicut enim DEUS in omni loco præſens exiſtit, eodem modo de anima ratiocinari poſſumus, ac proinde S. Ambroſius de illa ita ſcribit: Diffuſis cogitationibus atque conſiliis huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia, dum in Italia commorantes, inquit idem Sanctus Doctor, de Orientalibus & Occidentalibus cogitamus, nosque illis, qui Perſiam inhabitant, adeſſe putamus, eodem mox momento oculum cogitationis noſtræ in Africam dirigere poſſumus, ſequimur proficiſcentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur abſentibus, alloquimur ſeparatos, defunctos quoque ad colloquium ſuſcitamus, eosque ut viventes complectimur. Anima noſtra alis imaginationis, cogitationum, diſcurſuum, & deſideriorum ſuorum, in unico momento ab uno polo volat ad alterum; jam eſt in cœlo, mox in abyſſo, amplectitur, & pervagatur totum univerſum, & absque eo, quòd ullum locum tangat, in millenis præſens eſſe reperitur locis diverſis. Unde S. Auguſt. id conſiderans ait: ſpectat omnia, videt abſentia uno momento, ſenſus ſuos per totius orbis fines & mundi ſecreta circumfert, deſcendit ad inferna, aſcendit indè, verſatur in cœlo, adhæret Chriſto, conjungitur DEO.

S. Bernardin. S. 51. de dign. anim. VIII. Sicut DEUS cauſa eſt in mundo, inquit S. Bernardinus, incrementi in plantis, herbis, floribus, fructibus, &c. ſic anima cauſa eſt in corpore augmenti cujuslibet membri.

Pſ. 134. v. 6. IX. Sicut DEUS omnia, quæcunque voluit, fecit, in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſſis, educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de theſauris ſuis, ſic quoque anima liberi arbitrii ſui Dominio à Deo adornata operatur, quicquid ei libet, nunc ridet, mox plorat, nunc iraſcitur, mox ſe benignam exhibet, & voluntatis ſuæ dominam. Una in eſſentia, inquit S. Bernardinus, trina in potentiis nobiliſſimis, libero arbitrio prædita, & dominio in res omnes corporeas. Hinc S. Thom: de Villanova. Grandis, ait, humanæ naturæ dignitas, altiſſimaque prærogativa eſt, ut ad Dei imitationem ipſa quoque quodammodo ſui juris ſit, & ſuo arbitrio derelicta.

S. Bernardinus ubi ſupra.

X. Sicut DEUS eſt incorruptibilis, incorporeus, inviſibilis, immortalis, ita anima pariter nulli ſubjecta eſt corruptioni, non illam humorum malignitas alterat, aëris peſtilentia non inficit, non illam cogit violentia motûs, non afficit illam intemperies elementorum, indiviſibilis eſt, immortalis, æterna, inviſibilis eſt oculis noſtris, tametſi videri poſſit ab oculis Creatoris: Immortalis eſt anima, inquit S. Auguſt. ne à Creatoris ſui ſimilitudine diſcrepare videatur; non enim poterat eſſe imago & ſimilitudo DEI, ſi mortis termino clauderetur. *S. Aug. l. 1.*

XI. Sicut DEUS ſtans in toto Mundo omnia vario modo ornat, ita anima ſtando in corpore variat diverſimodè membra, dando unicuique varias & mirabiles operationes; nam oculo dat viſum, naribus odoratum, auribus auditum, pedibus greſſum. *S. Bernardinus de dignit. hom. S. 51.*

XII. Sicut DEUS non continetur ab univerſo, ſed continet illud, ſic ſecundùm Damaſcenum lib. 1. cap. 18. anima non continetur à corpore, ſed continet illud, ſicut Deus implet totum mundum, ſic & anima totum corpus humanum. Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore, inquit Tertullianus, ita quoque in toto Microcoſmo, id eſt, parvo mundo corporis humani nullum eſt invenire punctum, quod non vivificetur ab anima. *Idem l. c.*

XIII. Sicut Deus regit, & gubernat orbem, inquit, S. Bernardinus, ſic anima vegetat, conſervat, vivificat regit, & gubernat corpus: ſicut Deus ſtabilis manens dat cuncta moveri, ita anima in corpore quieſcendo facit humores diſcurrere per corpus, & membra movet diverſimodè ſecundum corporis diſpoſitionem, & prout placet ipſi animæ. *Idem.*

XIV. Sicut Deus non inficitur ſordibus orbis, quam vis totum impleat orbem; velut ſol, qui non inficitur luto; ſic animus non inficitur corporeâ ſorde, quantumcunque ſordeſcat caro. *Idem.*

XV. Sicut Deus unitam ſibi humanam naturam primò habuit paſſibilem, & poſtea glorioſam, ſic anima primò juncta eſt carni paſſibili, demum glorificanda in cœlo. *Idem.*

XVI. Sicut, quamdiu aurum terræ commixtum eſt, auri nomen non habet, ita quoque anima, quamdiu bonis temporalibus & terrenis immerſa conſpicitur, Spiritûs nomen minimè meretur; Et ideo, quando anima Spiritus potiùs, quàm caro dici mereatur, S. Ambroſius his nobis verbis declarat: Ut poſſit quis dicere, inquit, anima mea in manibus meis ſemper erit, non in carne ſit, ſed in ſpiritu: ſed quando hoc fiet? Erit, ſi ſe terrenis non immiſceat. *Manſi diſc. 18. de anima.* *S. Ambroſ. in c. 52. Iſaiæ.*

Dignitas.

XVII. Sicut Pupilla oculi, cùm ſit exigua, tamen eſt vas ingens, quoniam intuetur una Cœlum, Aſtra, Solem, Lunam, urbes, & alias *S. Macarius ho. 48.*

crea-

creaturas; & eodem modo, quo conſpiciuntur in illa parva pupilla oculi ſimul, & eodem modo efformantur & effinguntur, hoc modo ſe mens habet in corde; ipſum cor eſt vas quoddam exiguum, ibi tamen Deus, ibi Angeli, ibi vita & regnum, ibi tamen Apoſtoli, & cœleſtes orbes, ibi theſauri gratiæ, ibi ſunt omnia.

Manſi diſc. 11. n. 2. XVIII. Sicut ſi Rex palatium aliquod comparaturus, pro quo emendo centum auri milliones abundè ſufficerent, ipſe nihilominùs pro eo omnes theſauros impenderet, omniaque regna ſua obæraret, de eo utique dicere poſſemus, quòd palatium iſtud infinito pretio dignum eſſe æſtimaret; ita cùm Deus noſter pro animæ redemptione non mundum, non cœlum Empyreum, non univerſam Angelorum naturam & multitudinem, non denique unam tantùm pretioſiſſimi ſanguinis ſtillam, quæ univerſæ terræ, Cœlo & Angelis, ſimul & collectivè ſumptis, largè præponderabat, erogârit, facile tibi eſt hinc indicare, quanti hanc animam fecerit, & æſtimârit.

Idem diſc. 13. n. 10. XIX. Sicut experientiâ conſtat, nonnullas inveniri imagines in tali ſitu & poſitura depictas, ut oculos ſuos in te ſolum directos habere videantur, absque eo quòd alios reſpiciant, non obſtante, quòd eodem tempore in plures alios oculos ſuos defixos teneant: Eodem modo Redemptor noſter in cruce ſuſpenſus velut viva æterni Patris ſui imago, Divinæ pietatis ſuæ oculo unumquemque noſtrum in particulari reſpicit, haud ſecus ac ſi copioſiſſimus paſſionis ſuæ fructus ad alios minimè extenderetur, unde laudabiliſſimus uſus obtinuit, quòd imagini *Ecce homo:* verba illa ſubſcribi ſoleant: vide, quæ pro te patior.

S. Bernardinus de dign. anim. n. 1. c. 3. XX. Sicut fatuus eſſet, qui optimum equum extra ad pluviam poneret, & quadrigam optimè in ſtabulo cuſtodiret; ſic quoque fatuus eſt, qui diligenter cuſtodit corpus, & de anima ſua nihil curat.

S. Baſil. de compunct. anim. XXI. Sicut corpus, niſi pane ſuſtentetur, vivere nequit, ſic & anima, niſi ſpiritualis ſapientiæ alimento reficiatur, mortua eſt.

Anonym. XXII. Sicut ſigilli aut imaginis præſtantia ac dignitas ex dignitate objecti repræſentati aut Ideæ colligitur; ita, cùm anima ſit ad imaginem DEI facta, meritò ſummam quoque ex eo dignitatem æſtimationemque haurire creditur.

Granat. in locis comm. v. eod. XXIII. Sicut in nucibus, amygdalis & ſimilibus fructibus præcipua pars nucleus eſt, cortex verò theca tantùm & receptaculum eſt; ſic anima quoque præcipua pars hominis cenſenda, & ab ea, non à corpore velut cortice, dignitas & præſtantia hominis metienda eſt.

Immortalitas.

Anonym. XXIV. Sicut naturalis appetitus materiæ, quo appetit aliam formam ſuſcipere, argumentum eſt corruptionis omnium rerum materialium; ita è contrario appetitus naturalis æternitatis, qui in anima noſtra eſt, immortalitatis eſt argumentum; alioqui enim perperam inſtituta eſſet natura, ſi ea rei impoſſibilis naturalem nobis appetitum inſeruiſſet, cum is omnino fruſtra eſſet.

Cura.

Anonym. XXV. Sicut ille Maritus, qui Uxorem dominari permitteret, & ad viliſſima quæque domûs ſervitia ſe perſuaderi ab illa ſineret, meritò ab omnibus ut inſanus rideretur: ita non minùs ille homo DEO, Angelis, & dæmonibus riſum movebit, qui animam ſuam à corpore, velut conſorte, ad viliſſimum rerum creatarum amorem & uſum abduci patitur.

Idem. XXVI. Sicut is, qui ancillam optimè veſtiret, & paſceret, Dominæ verò ipſi non niſi laceras, ſordidasque veſtes, ac cibum, potumque viliſſimum offerret, meritò imprudens ac ſtultus cenſeretur; ita non minorem ſtultitiam committere putandus eſt, qui neglectæ animæ curâ, omnem ſollicitudinem in corpore bene tractando impendit.

§. VIII.

Motiva.

I. *Dignitas animæ*, quæ colligitur ex quatuor capitibus. 1. *Ex pulchritudine illius*, de qua S. Bernardinus dixit: ſi formarentur tot Empyrei cœli, quot ſunt aquarum guttæ, quot ſunt grana arenæ maris, omnis pulchritudo eorum ſimul ſumpta non poſſet æquari pulchritudini unius animæ. Et paulò poſt: Pictor atque Creator animæ ipſa ſapientia eſt, cujus ſapientiæ non eſt numerus, Deus ſcientiarum Dominus eſt; ad creandum hominem infinitâ potentiâ uſus eſt, voluit eâdem infinitâ potentiâ & ſapientiâ ſuâ formare animam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: Menſura pulchritudinem Dei, ad cujus imaginem facta eſt. Menſura & potentiam, quâ potuit: ſapientiam, quâ novit, & voluntatem, quâ voluit ſic eam creare, & intelliges pulchritudinem ejus. 2. *Ex creatione animæ*, de qua ſic loquitur. S. Laurentius Juſtin. Si id ex te, inquit, nequis addiſcere, diſce ab eo qui creavit cœlum, terram, maria & cuncta, quæ in eis ſunt, qui ſcit ſingula, quanti ſint, quoniam ſingulis impertitus eſt, quicquid habent decoris, quicquid virtutis, quicquid æſtimationis & pretii, iſte docebit, quanti ſit anima hominis, illam ipſe magni pendit, qui opus ſuum agnoſcit: pro eruditione ejus univerſi fecit hanc machinam, ipſiuſque eam ſubjecit imperio, non ut inhæreat illi, fruitionemque captaret ex illa, ſed ut eruditus per illam, aſcenderet ad notitiam ejus, qui fecit omnia. 3. *Ex Incarnatione*; de quo motivo ſic diſcurrit Joſephus Manſi: ſi civitas iſta, quam inhabitas, à valido quodam exercitu quaquaverſum obſeſſa, ad extremum redacta eſſet, adeò ut jactura illius ſecundùm vires humanas eſſet irreparabilis, Deus autem è cœlo copioſas dimitteret Angelorum phalanges, quæ pro tui ſolius defenſione adversùs hoſtes dimicando pugnarent, ſimulque per Angelum quendam notum tibi faceret, hoc ſe tibi ſubmiſiſſe auxilium, ut periculum iſtud indeclinabile evadere poſſes, jamque reipsâ obſidione ſolutâ hoſtem non ſolùm totaliter diſſipâſſet, verùm inſuper te in totius univerſi Monarcham ſublimâſſet,

S. Bernardinus S. 51. de dign. anim. n. 1. c. 3. *S. Laurent. Juſtin. in feſto S. Thom.* *Manſi diſc. 13. n. 14.*

mâsset, haud dubiè favorem hunc inauditum & minimè imaginabilem tibi singulariter præstitum permagni æstimares. Mystica animæ tuæ Hierosolyma in potestatem inimici per peccati obsidionem redacta erat, cùm ecce Deus pro illius liberatione, non jam Angelos misit (licet per illos pacem intimari fecerit; *Et in terra pax*) sed ipsemet in propria persona de cœlo in hanc miseriarum vallem descendit. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis &c.* Tibi verò speciatim, quo fine id fecerit, his verbis insinuat dicens; *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* 4. *Ex Redemptione*; quod motivum S. Bernardinus sic proponit: Quòd si quis quandam pretiosissimi sanguinis Christi guttam penès se haberet, quantâ illam reverentiâ & curâ custoditurus esset? Sed quantùm debes habere charam unam animam, pro qua totus sanguis Christi est sparsus? similem ferè conceptum S. Bernardus, his verbis utens, ait: Si stillantem de Cruce Domini sanguinem collegissem, esset que repositus penes me in vase vitreo, quod portare sæpius oporteret, quid animi haberem in discrimine tanto? certè pretiosissimum animarum thesaurum servandum accepi, pro quo Christus mercator non insipiens, id est, ipsa sapientia Patris, totum suum sanguinem fudit. Quid ergo infelix, quò me vertam, si, quod sibi Christus proprio sanguine pretiosius judicavit, contigerit negligentiùs custodire? utique non solùm irreparabile super nos redundabit æternæ damnationis damnum, verùm, tanquam conculcati sanguinis Agni immaculati rei, severissimè puniemur. Optimè igitur Eusebius Emissenus nos monet dicens: Custodiamus ergo sollicitè, quod tanti Cruoris commercio Christus redemit; Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam, Christi sanguine & passione mundatam. Quod beneficium maximè augetur ex eo, quòd pro unâ etiam solâ æquè omnia pati paratus fuisset; unde par (inquit S. Chrysostomus) esse declarat, ut quisque nostrûm non minùs agat gratias Deo, quàm si ob ipsum solum advenisset: neque enim recusaturus fuisset, vel ob unam, tantam exhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum.

S. Bernardinus S. 40. de anim. dign.

S. Bern. S. 3. de Adv.

S. Chrysost. in c. 2. ad Galat.

II. *Æquitas*; quæ iterum ex tribus capitibus colligitur. Primò *ex unitate animæ*, de qua sic discurrit S. Chrysostomus. Si in corpore, inquit, quamvis infinitis coronis redimitus sis, corpus interim habeas naturâ morbidum & insanabile, etiamsi regnum totum impenderis, ut etiam innumerabilia corpora, & urbes, & pecunias adjicias, non poteris corpus corrigere, quantò id magìs in anima? omnia duplicia dedit Deus naturæ nostræ, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, ut si alterum horum læsum sit, per alterum indigentiam relevemus. Animam verò unam nobis dedit, hanc si perdiderimus, quonam pacto vivemus? Quod confirmans S. Ephrem, Non est nobis, ait, certamen de pecuniis, quarum jacturam licèt quis fecerit, alias pro illis rursus compa-

S. Chrysost. ap. Mansi disc. 19. n. 14.

S. Ephrem. l. de virt. in prol.

rare sibi poterit: de anima nobis periculum, quam si perdiderimus, non ampliùs recuperare poterimus, juxta quod scriptum est, *quid prodest homini, si mundum &c.* Unde naturalis ingenii censura exigit, ut tantò unaquæque res pluris æstimetur, & diligentiùs custodiatur, quantò magìs est proficua, illiusque amissio majorem possidenti jacturam facit, uti rectè concludit S. Laurent. Justin. Secundò *ex corporis cura*; de qua sic discurrit S. Thomas Villanova. O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus! quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem, sed si animæ languor curandus est, quicquid injungitur, durissimum est: modico vino abstinere non sustinet lubricus, exiguo lucro privari non sustinet avarus, & modicum humiliari non tolerat ambitiosus; floccipenditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda salus supra modum diligitur. Unde rectè infert S. Chrysostomus: Quam defensionem habebimus? aut quam veniam? cùm corporis ægrotantis, ubi & argentum expendendum est, & Medici accersendi, & dolor magnus perferendus, tantam habeamus curam, animam verò negligamus? Præsertim neque argentum expensuri, neque negotium aliis exhibituri, neque dolores subituri, sed absque his omnibus electione & voluntate solâ omnino corrigere nos ipsi valentes, & exactè scientes, quòd, nisi id fecerimus, extremum luituri simus supplicium. Tertiò *ex ratione reddenda*, nam, ut iterum S. Thomas Villan. rectè advertit; grandis honor, sed grandis timor; ex hoc pensandum nobis est, cum quanto timore & sollicitudine cavere debet anima justi, ne fortè in ea aliquid turpe aut indecens inveniatur, quod oculos tantæ Majestatis offendat.

Laurent. Just. de sp. an. inter.

S. Chrysf. ho. de ut.

S. Thom. Vill. de dec. Eccl.

III. *Odium dæmonis erga animas*; nam sicut tauro proprium est, quòd, quando ex recepto vulnere saucius, eum, qui ipsum vulneravit, invenire non potest, ut se de vulnere accepto vindicare possit, figuram seu statuam illius in theatro repertam aggrediatur, eamque cum ingenti rabie cornibus, dentibus, & pedibus impetat, atque convellat; idem quoque inimicus infernalis facere videtur; quia enim Deum, qui ipsum in abyssum præcipitem egit, per vindictam lædere non potest, omnem vindictam adversùs hominem toto conatu exercere tentat, utpote in quo imaginem & effigiem Dei invenit, atque ideo in hoc mundi theatro eidem per suggestiones & insultus suos omnè malum inferre satagit; quasi in hoc omnibus viribus connitens, ut imaginem & similitudinem, quam Deus illi impressit, destruere & totaliter abolere possit, scit enim, quòd illâ imagine sublatâ, comparatur jumentis insipientibus; Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Quod confirmans S. Bernardinus, Tantæ, inquit, æstimationis est anima apud diabolum, ut mysticè, cùm vellet divisionem de regno inter se & Deum, popposcerit à Domino dicens:

Mansi disc. 4. n. 15.

S. Bernardinus de an. dig. a. 11. c. 7.

cens: Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Sed insensatus & stultus homo, nihil vilius habet, quàm animam suam.

§. IX.
MOTIVA ALIA.
Pro Animæ cura.

I. QUia est *templum & imago Dei:* si ergo pro tanto piaculo habemus, templum materiale humani sanguinis effusione vel sordibus polluere; quantò major sollicitudo adhibenda erit, ne vivum Dei templum & imago, id est, anima, fœdissimis peccatorum sordibus, & Christi sacratissimo sanguine quodammodo profuso polluatur.

II. Quia nihil *pretiosius* est in universo mundo, exceptis Angelis; si ergo tam sollicitè custodimus gemmas aut alias res pretiosas; quantò magis cavendum erit, ne animæ incomparabiliter magis pretiosæ jacturam faciamus?

S. Chrysost. 19. ad pop. Antioch. III. Quia *unicam duntaxat animam habemus:* quâ perditâ omnia perdidimus, uti eleganter S. Chrysostomus indicavit his verbis: Omnia duplicia naturæ nostræ dedit Deus, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes: si alterutra pars est læsa è duobus, necessitati per alteram servimus. Animam verò unam dedit nobis, hanc si perdiderimus, quid supereſt, quocum in vita maneamus?

IV. Quia in omnibus rebus volumus *optima* habere; cur ergo non & animam optimam? vide §. 3. n. 28.

§. X.
MEDIA.
Ad dignam animæ æstimationem concipiendam.

Hugo Card. in c. 15. Luc. I. *Lectio & notitia S. Scripturæ*, uti Salvator noster indicâsse videtur, dum modum nos docere volens, quo animam nostram hisce bonis caducis & terrenis immersam reinvenire valeamus, parabolam illam de drachma illa sive gemma perdita adducit. Circa quam Hugo Cardinalis ita scribit: Per drachmam significatur quælibet anima, Dei imagine insignita; Et interlinearis ait: Drachma est nummus certæ quantitatis habens imaginem Regis, talis autem nummus est anima nostra, qui Dei in se imaginem expressam refert. Beda modum exponit, quo hæc moneta perditur, dicens: Mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui Conditoris recessit; frequenter enim gemmam hanc inter emolumentorum temporalium, vel carnalium voluptatum sordes & immunditias perdimus, quisnam verò modus ad eam reinveniendam præcipuè est observandus? Accendit lucernam, scripturas & sacros Doctores pervolvendo: Lucerna pedibus meis verbum tuum; quia qui natalium animæ nobilitatem, & quantam Deus noster illius habeat æstimationem, pulchritudinem item & finem, ob quem à Deo creata est, intelligere cupit, necessum illi est ad hoc, ut divini verbi lucernâ adhibitâ sacra volumina pervolvat. Quid autem in specie magis considerare debeat, clarè S. Bernardinus declarat dicens: considera anima mea, primò in quanta altitudine es creata. Secundò, quàm magnus thesaurus es æstimata. Tertiò cum quanta diligentia es custodita. Quartò cum quanto dolore es deperdita. Quintò cum quanto dolore es quæsita. Sextò cum quanto stupore es considerata. Septimò cum quanto pretio es redempta. Octavò cum quanto gaudio es reinventa. Nonò cum quanto præmio eris beata. Quantum anima aliqua ex horum omnium motivorum consideratione haurire lumen potest, ad semetipsum cognoscendum & æstimandum, ne ex hoc tantæ dignitatis culmine decidere aliquando possit? At verò summa nostra infelicitas est, quòd animam nostram huic corporis luto conjunctam, in mediis horum inferiorum bonorum sordibus, nimis faciliter perdamus. Unde S. Bernardus ait: Affectionibus obligata, & illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest; Infixa est in limo profundi, & seipsam non vidit, sed putat formam suam esse luteam illam, quam portat, imaginem. *S. Bernardin. de dign. anim.*

II. *Consideratio fabricæ corporeæ*, de qua sic discurrit S. Bernardus: Corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsitan ut ista corporea exterioris vilioriſque rectitudo figmenti, hominem interiorem, illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi; quid enim indecentius, quàm curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est, & fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, spiritualem verò & cœlestem creaturam suos oculos, id est, internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum. *S. Bernardin. S. 24. in Cant.*

Ad Animæ curam concipiendam.

III. *Frequens invocatio auxilii Divini:* nam juxta Salomonem nemo potest esse continens (atque adeò etiam solidam animæ curam gerere) nisi Deus det. *Sap. 8. v. 21.*

IV. *Humilitas:* nam ita Christus ipse significavit, dum dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. *Matth. 11. v. 29.*

V. *Accurata sensuum custodia:* ita quippe Salomon suasisse videtur, dum dixit: Omni custodia serva cor tuum (& animam tuam) quoniam ex ipso vita procedit. *Prov. 4. v. 23.*

VI. *Abnegatio assidua:* de hac enim locutus est Christus, dum dixit: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Matth. 10. v. 39.*

VII. *Amor & studium Justitiæ Christianæ;* nam justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, & quasi exterminium exitus illorum, illi autem sunt in pace. Tales in fine vitæ cum veritate dicent: In manus tuas commendo spiritum meum. *Sap. 3. v. 1.*

§. XI.
ASCETICA.

I. DE hac sequentia nosse debet Asceta. Primò dignam de ejus pretio & dignitate æstimationem concipere, quam quidem

dem haud difficulter obtinebit, si ea, quæ ex SS. Patribus suprà allata sunt, bene ponderet, addatque memorandam hanc S. Ambrosii sententiam: Pictus es, ô homo, pictus es à Domino DEO tuo. Bonum habes Artificem, atque pictorem; & quid in te pinxit? absque dubio imaginem & similitudinem suam. Imago ad naturam spectat, similitudo ad Divinos mores, atque ita anima tua est expressa effigies DEI, quantùm interminata illa vis ac natura exiguo in opere præsentari potest. Non parùm etiam augebitur hæc æstimatio, si, quanta pro quavis anima Christus egerit, tuleritve, sedulò perpendatur, si inquam, ut S. Bernardus hortatur, memoria refricetur infantilium necessitatum; deinde laborum, quos tulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis Fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis operatus est triginta & tribus annis, & passus in medio terræ.

S. Bern. s. de quadruplic. debito.

II. Nosse debet, in quo consistat perfectio & felicitas animæ; qua de re præclarè discurrit Seneca in hunc modum: Quæ conditio rerum, eadem & hominum est. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est; nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore celata est, neque fiscis atque opibus regiis pressa est, sed stabilis & firma, & junctûris aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris magis solida, gubernaculo parens, velox, & non sentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cujus vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit, quæritur; eo quidque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil attinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm perlucido poculo bibat, sed quàm bonus sit; bonus autem est, si ratio explicita & recta est, & ad naturæ suæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus: hæc est honestum & unicum hominis bonum. Clariùs S. Bernardus: Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, non implebit. Hinc S. Augustinus: væ, inquit, animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid meliùs habituram. Versa te, reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies, & ecce ades. Atque hæc causa est, cur, ut S. Chrysostomus inquit, omnem creaturam sensibilem DEUS armatam & munitam creaverit, alias veloci pedum cursu, alias unguibus, alias pennis, alias cornibus, hominem solum sic disposuerit, ut virtus illius sit ipse DEUS, & in eo, in quo inferiorem ipsum fecit, in ipso fortiorem esse voluerit in se, ut necessitate infirmitatis coactus semper necesse habeat Dominum suum requirere.

Senec. ep. 77. ad Lucil.

S. Bern. de dedic.

S. Aug. l. 6. confess.

S. Chrysost. super Matth. c. 7.

III. Nosse debet, quomodo ad dictam felicitatem & perfectionem suam pervenire queat, nimirum eo modo, quem Hugo indicavit, dicens: Vide homo, dicit Mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit me & te: me propter te, & te propter se: si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde caritatem. Clariùs S. Gregorius: Quoquo se verterit anima, inquit, si vigilanter intendit, in eisdem ipsis DEUM invenit, per quæ reliquit, ejusque potentiam eorum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit: & per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. Hinc S. Bernardus animam sic alloquitur: O anima insignita DEI imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in Spiritu, redempta Sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, quâ haud aliud vilius sterquilinium invenisti? nimirum sursum, ut bene notat Seneca, animum vocant initia sua; erit autem illic etiam antè, quàm hâc custodiâ exolvatur. Si vitia sua deseruit, puruſque ac levis in cogitationes divinas emicuit.

S. Greg. l. 26. mor.

S. Bern. in medit.

Senec. ep. 80.

IV. Nosse debet, *cur homo rectus sit conditus*; nam ut Ecclesiastes ait: *Inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum.* Rupertus Abbas Tuitiensis ait: Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cœlum intuetur, terramque calcans pedibus, erecto pectore incedit: redditque mox rationem, cur divinus ille artifex corpus humanum, utpote animæ mansionem, cœlum versùs erigere voluerit: Sydera vel cœlestia regna supernè positis meditari commonetur oculis. Quod confirmans S. Gregorius, Ad Deum, inquit, suspensa est, à quo formata; & quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem, quod infra appetit, minus est, jure ei non sufficit, quod Deus non est.

Eccles. c. 7.

Rupertus in c. 2. Gen.

S. Gregor. l. 26. mor. c. 28.

V. Nosse debet, *cur inspirando creata sit anima*; id enim ob varia mysteria indicanda est factum, & inprimis quidem Theodoretus ait, Moysen hoc loquendi modo insinuare voluisse, divinæ omnipotentiæ æquè esse facile, animam nostram creare, quàm nobis pronum est respirare. Quòd si urgeas, cur igitur divina sapientia ad illam creandam divinarum personarum consistorium congregârit? Respondet, id factum fuisse ad honorandam natalium animæ nobilitatem, sive ad adeò digni operis majorem honorificentiam. Aliud Mysterium, cur animam nostram inspirando creârit, est, ut nobis insignem quandam, qua anima præ cunctis aliis creaturis præfulget, excellentiam insinuaret, nimirum quòd non educatur è potentia materiæ, sed à DEO immediatè ex nihilo creata, corpori infundatur. Unde Abulensis ait: Notatur, quòd anima hominis est aliis formis perfectior, quia non est educta ex potentia materiæ, sed fuit creata à Deo, & infusa corpori, quod notat spiratio à DEO facta. Denique

Theod. l. 4. in Gen. q. 4. v. 7.

Abulens. ibid.

Pererius in c.2. Gen. nique aliud quoque mysterium à Pererio tangitur, nimirum, ut per hunc admirabilem productionis suæ modum dignitas animæ nobis insinuaretur; hic enim æmulatur modum, ut ita dicam, quo ipsamet divina sapientia procedit, quæ de semetipsa dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi*, siquidem etiam anima nostra de eâdem prærogativâ gloriari posse videtur; sicut enim halitus seu respiratio homini vitam tribuit, ita quoque Deus est, qui animæ vitam donat, & per quem ipsa subsistit.

S. August. l.1. conf. c.1. VI. Nôsse debet, *cur anima ad imaginem Dei creata sit*; Cujus rationem assignat S. Augustinus, dicens: fecisti nos Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. B.

S. Lauren. Just. c.5. de lign. vit. Laurentius Justinianus quoque ait: Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, capacem enim Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.

S. Clemens Alex. l.2. Prod.c.3. VII. Nôsse debet, *cur hominem Deus manu propriâ creârit*, de quo sic loquitur S. Clemens; quoniam ejus figmentum est: & alia quidem solo jussu fecit, hominem autem per se manu fabricatus est, & quid ei proprium inspiravit.

Hugo vict. in summa sent. tr.5. c.2. VIII. Nôsse debet, *cur homo imago Dei dicatur*, id quod Hugo de S. Victore sequentibus verbis indicavit: Creavit ad imaginem suam, quia non est ei usque quaque similis: Filius autem imago est Patris, & non ad imaginem; quia quicquid habet Pater, totum habet Filius per naturam: Homo verò est imago Dei, quod ad imaginem, quia non per naturam, sed participatione vel imitatione habet ea, quæ Deitatis sunt; Quod confirmans S. Bernardinus Senensis, Quælibet anima, inquit, ad imaginem Dei formata, tres potentias habet, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, quæ sunt facta ad imaginem Trinitatis; Primò quidem intellectus, & hic creatus est ad imaginem Filii; Secundò memoria, & hæc creata est ad imaginem Patris; Tertiò voluntas, & hæc creata est ad imaginem Spiritûs Sancti. Et iterum alibi: Imago Dei in anima, inquit, consistit in naturalibus proprietatibus & potentiis, ejus similitudo verò in gratuitis, hoc est, in virtutibus, divinâ charitate & divinâ dilectione. S. verò Thom. de Villan. ait: Imago consistit in potentiis, similitudo in bonis. Primum est debita proportio potentiarum; secundum ornatus gratiarum & virtutum.

S. Leo ser. 1. de jejun. dec. Mens. IX. Nôsse debet, *quo fine condita sit anima*; id quod S. Leo indicavit dicens; Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris, & hanc esse naturalem sui generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat. S. Bernardus verò causam hanc reddit, Consilio sanctæ Trinitatis ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditum intelligeres. S. Ambrosius verò sic de hoc fine discurrit: Ita homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset, & justus, ut patiens atque mitis, mundus & misericors foret, quas virtutes quantò plùs quisque in seipso habet, tantò propiùs est Deo, & majorem sui conditoris gerit similitudinem.

S. Bern. c. 47. de int. dom. *S. Ambros. l. de dign. condit. hum. c.3.*

X. Nôsse debet, *cur anima corpori sit immersa*, ad quod dubium Elias Cretensis, Gregor. Nazianzeni commentator hisce verbis respondet: Hæc una causa est, inquit, cur anima cum corpore copulata sit, nempe ut per colluctationem adversùs ipsum & mundum, & afflictionem, quam hinc perpetitur, non tantùm ut donum, sed etiam ut ærumnarum & afflictionum, quas in hac vita pertulit præmium, futurorum bonorum jucunditatem habeat. Magnam igitur Anima per hanc cum corpore conjunctionem habet prærogativam præ totâ natura Angelica, siquidem hæc pro illo solùm instanti, quod Scholæ Angelicum appellant, mereri potuit; anima verò meritis se divitem facere potest, quamdiu corpori unita fuerit, suisque meritis omnes spiritus beatorum, etiam Seraphinorum, in immensum potest transcendere. Huic accedit, quòd, ut S. Paulus ait: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: ad hanc verò luctam subeundam Anima corpore opus habebat, quia *caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*: ac proinde plurimùm animæ corporis beneficio lucrantur, dum mediante corpore tot gratiis cælestibus locupletantur. S. Bonaventura inter alias rationes, ob quas animam cum corpore unitam esse dicit, etiam in medium affert sequentem: ut anima serviendo Deo in corpore, habeat majus meritum, quia ubi major pugna, major victoria, & per consequens, major corona; difficultas enim corporis multùm valet ad efficaciam merendi; sicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ, sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ. Neque enim sola anima, sed etiam corpus coronabitur gloriâ, utpote quod unà cum anima meriti fuit instrumentum, dum secundùm dictamen animæ & rectæ rationis ei subjectum fuit, seque affligi permisit: atque hic stimulus ille erat, quem S. Chrysostomus ab anima corpori suggeri & monitionis loco proponi volebat, ut tantò libentiùs se pateretur pro animæ salute mortificari; Dicit enim: Nequaquam nos umbra hæc fugitiva seducat. Largissimam profectò mercedem pro contempta voluptate capiemus; atque ipse ad tuam animam loquere: Tristaris, quòd te corporis voluptate defraudo? Sed lætare potiùs, quia tibi cœlorum regna providebo. Tertiam rationem S. Nazianzenus assignat: Hæc nostra temperatio est, ut, cùm imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eosdem deprimat, contrahatque. Idem quoque Laurentius Justinianus his verbis tradit: Ut ex qualitate exterioris hominis discat, non elatè præfetre se, sed ex continuis punctionibus, quas indesinenter propter infirmitates & necessitates carnis patitur, spiritus materiam sumat, se in humilitate custodiendi.

Elias Cret. orat. 1. *S. Bonav. l. 2. de oper. condit. c. 60.* *S. Gregor. Naz. orat. 2.6.*

XI. Nôsse debet, *in quo consistat pulchritudo animæ, & quomodo ornanda sit*; de qua materia sic discurrit S. Chrysostomus: Quæ est pulchritudo

S. Chrysost. in Ps. 44.

chritudo animæ? Eadem hæc est, quæ animam Creatori suo similem efficit, nimirum Christianæ virtutes; Temperantia, æqualis morum moderatio; misericordia in indignos, charitas, mutuus amor fratrum, erga filios pietas, morigera & obsequens erga Deum obedientia, legis plena observatio, justitia, animæ contritio, hæ sunt animæ pulchritudines; atqui non sunt hæc naturæ, sed propensioris studii, ac liberæ voluntatis. Hæc pulchritudo, hæc nostra cum illo, de quo scriptum est: speciosus formâ præ filiis hominum: similitudo, in manu nostra est: Quum penes se non sunt hæc animæ ornamenta, potest is suo jure sibi sumere. Quomodo verò ornanda sit, S. Ambrosius his verbis indicavit: Quisque diligentium attendat primæ conditionis suæ excellentiam, & venerandam in seipso Sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat; at verò ut hæc omnia consequi valeat, curet ut priùs præmittat, quod sequitur: Diligentiùs attendat primæ conditionis suæ excellentiam. S. Bonaventura conditiones Deo desponsatæ animæ sequentibus verbis indicat: In sponso eligendo quatuor sunt, Genus, Virtus, Sapientia, Pulchritudo, quæ omnia summè in filio Dei reperiuntur, & ideo oportet quòd sponsa ejus præparet se & nobilitet; in sponsa eligenda similiter quatuor considerantur, Genus, pulchritudo, divitiæ, mores.

S. Ambros. l. de dig. cond. hum. c. 3.

S. Bonav. in c. 3. 10.

XII. Nôsse debet, *qualis obligatio oriatur animæ ex beneficiis acceptis*, de qua sic discurrit Mansi: S. Lucas c. 15. Evangelii sui nonnulla recensetmiracula; quæ Salvator noster unicuiq; languido manus suas imponendo pattavit; *At ille singulis manus imponens, curabat eos*; circa quæ verba quæstio exoritur, cur scilicet Christus hoc modo infirmos curandi usus fuerit? Ratio autem difficultatem hanc movendi est, quia tot aliis non solùm sanitatem sed & vitam solo verbo restituit: Leprosum enim solo verbo *volo* mundavit: Cœcum per unicum verbum *respice* illuminavit; Filium viduæ â morte suscitavit solùm dicendo: *Adolescens tibi dico: surge.* Cardinalis Toletus ad præsens intentum optimè ita loquitur: Significabat unumquemque beneficio accepto ita obligatum manere, ac gratum se debere benefactori præstare, ac si solus ipse beneficium recepisset; Vitium enim hominum est frequens, minùs se obligatos agnoscere beneficiis, quæ aliis etiam conferuntur, quasi major liberalitas conferentis minùs obliget recipientes, cùm potiùs id eos debeat efficere magis gratos. Quod confirmans Eusebius Emyss. Christus, ait, sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis, sicut ei totum debent universi, sic totum singuli, sed quodammodo plus singuli, quàm universi, quia quantum acciperent singuli, tantum universi. Quid enim interest, si & aliis præstitit, cùm, quæ tibi sunt præstita, ita integra sunt, & ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum? Quam eandem doctrinam pariter D. Chrysostomus tradit lib. 2. de compunctione cordis.

Toletus in cit. 8. capit.

Eusebius Emys. exh. ad pleb.

S. Chrys. de compunct. cord. l. 2.

XIII. Nôsse debet, *in quo consistat sanitas animæ*, quam S. Bonavent. breviter explicat, dicens: sanitas animæ consistit in recta & circumspecta actione, in cautæ locutionis observatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, & utilitate cogitationis. Salus corporalis in humorum consistit bono temperamento, ita ut unus non prævaleat aut prædominetur alteri: Eodem modo salus spiritualis in recta appetituum & affectuum temperie consistit; quia si hi inordinati & minùs bene regulati fuerint, & rectæ rationi; Deo, sanctæque ejus legi non subjiciantur, mox inde talis necessariò intemperies exoritur, quæ mortem spiritualem infallibiliter inducit. Et ideo S. Ambrosius inquit: Hæc est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset erroris, sistatur culpa, ne serpat; cessante incentivo culpæ, salus tua est, atque inoffensus vigor animæ se refundit.

S. Bonav. l. 2. c. 8. de prof. relig.

XIV. Nôsse debet, *quàm turpe sit, tantam corporis curam, & animæ exiguam gerere*; quid enim de eo dicturus esses, qui omne studium, magnorumque sumptuum impendium in habitatione sua superbis tapetum pretiosorum peristramatibus exornanda, marmoribus elegantissimis incrustanda, auro, argentoque illustranda; statuis, picturisque artificiosissimis decoranda, impenderet; seque ipsum postea in sterquilinio omnibus aëris temporisque injuriis nudum, veluti futurum prædam exponeret? Talis est illorum stultitia; qui toto vitæ suæ decursu pro corpore, quod pro brevissimo tempore animæ est domicilium & habitaculum, laborant, vestibus pretiosis illud adornando, cibis exquisitis pascendo, atque ut ejus appetitibus planè satisfaciant, eidem de omnis generis deliciis, voluptatibus, divitiis, honoribus, & aliis centenis ejuscemodi commoditatibus prospiciunt; animam interea adeò turpiter despicientes & posthabentes, ac si simul cum corpore moritura & interitura esset. D. Chrysostomus de modica quadam corporis parte ita loquitur: Pupillam oculorum tuorum, ne minimo lædatur pulvere, diligenter custodis, animam autem tuam tantâ malorum congerie pressam negligis.

S. Chrys. ho. 45. in Matth.

XV. Nôsse debet, *quo sensu verum sit axioma: Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat*: Horum sensum verborum S. Albertus Magnus sic explicat: Trahit amor amantem extra se, & collocat eum in amato, faciens ei intimè adhærere. Plus enim est anima, ubi amat, quàm ubi animat, quia sic est in amato secundùm propriam naturam, rationem, & voluntatem; sed in eo, quod animat, tantùm est secundùm, quod est forma, quòd etiam brutis convenit.

S. Alberius M. l. de adhær. Deo c. 11.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione sententiæ illius: *cujus est imago hæc & superscriptio*? potest pulchrè explicari, quomodo homo sit imago Dei, atque adeò in duas partes dividi concio. In prima ostendatur, in quibus rebus posita sit hæc ratio seu

Matth. 22. v. 20.

forma imaginis, nempe in cognitione & amore Dei; per hæc duo enim perfectè assimilatur illi, & perfectionem illius, beatitudinemque participat. In secunda ostendatur, quantopere hæc cogitatio quemvis excitare debeat, ad omnem peccati maculam & injuriam studiosissimè cavendam; si enim pro maximo piaculo habemus, imaginem B. Virginis aut alterius Sancti in lutum projicere, aut aliam ei sis irreverentiam exhibere; quantò majus censendum erit, ipsius Dei imaginem in stercus voluptatum præcipitare, & gravissimâ peccati injuriâ afficere. Afferri potest eum in finem exemplum Boleslai Regis Poloniæ, qui Patris sui imaginem collo suspensam, quoties ad peccatum tentabatur, pectori appressit, dixitque: Absit Pater, ut rem aliquam tibi, mihique minùs honorificam committam. Vide Fabrum in Dom. 22. post Pentec. c. 5. & 6.

1. *Cor.* 3. *v.* 16. II. Ex occasione sententiæ S. Pauli: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* potest monstrari 1. quàm verè nobile templum sit anima, eumque in finem comparatio institui cum templo Salomonico, dicique, quòd anima in tribus illud longè excedat, nempe in sumptibus factis, in cultu Dei, favoribusque collatis. 2. Inferri potest, quantopere cavendum sit, ne hoc templum polluatur, per transgressionem Verbi Divini, & Sanguinis Christi perditionem per peccatum mortale factam; aut certè si pollutum sit, quàm celerrimè iterum reconciliandum sit, Deoque consecrandum, aquâ lacrymarum verè benedictâ eum in finem adhibitâ. Exaggerari etiam potest illa S. Pauli l. c. sententia: Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Vide Fabrum in festo Dedic. conc. 6. n. 4. & conc. 8. n. 3. & conc. 10. totâ.

Eccl. 26. *v.* 20. III. Ex occasione sententiæ Salomonis: *omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ*, id est, à peccato abstinentis, & in gratia Dei constitutæ. Eum in finem servire potest, quod *Sap.* 7. *v.* 8. idem Salomon de Sapientia dixit, nempe 1. *Præposui illam regnis & sedibus*; quia talis anima possidet summum regnum sui ipsius juxta illud Senecæ: Rex est, qui metuit nihil: Rex est, quique cupit nihil: hoc regnum sibi quisque dat. Et Christus apud S. Lucam: Ecce enim regnum Dei intra vos est. 2. *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius*; quia in anima sancta verum aurum charitatis Dei & proximi, & argentum puræ conscientiæ, gemmæ virtutum aliarum, & uniones bonorum operum reperiuntur. 3. *Super salutem & speciem dilexi illam:* quia verè nihil pulchrius animâ justâ est, ut olim Christus S. Catharinæ Senensi ostendit; & verò etiam ex ipso corpore colligi potest, si enim hoc (velut domus animæ) tam speciosum est, quantò pulchriorem fore credendum est ipsam animam, pro qua corpus velut habitatio præparata est?

Gen. 1. *v.* 27. IV. Ex occasione sententiæ: *Creavit Deus hominem ad imaginẽ & similitudinem suam:* ostendi potest, quàm sapienter Deus hominem ad imaginem suam *ex nihilo* creaverit. 1. Ut per hoc semper in humilitate conservaretur, discerretque omnia soli Deo adscribere; si enim ei, qui arborem plantavit, meritò & fructus adscribuntur, quidni & Deo, qui solus animam creavit, fructus quoque illius boni adscribantur? 2. Ut meminisset, quòd, sicut à nulla re in creatione sua dependebat, ita in vivendo quoque solum Deum respicere, ejusque gloriam & honorem quærere debeat, si quidem dignitatem & felicitatem suam sustinere velit, id quòd apte expressit S. Augustinus, dum dixit: Scio, Domine, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed etiam in me ipso. Et omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est mihi. Ut adeò meritò quisque saluberrimam illam Senecæ sententiam sibi applicet: Nolo tibi deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modò intra te metipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt: leves sunt, nisi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus. 3. Ut meminerit, omnem spem suam in Deo ponere; ad quem enim opus quodque magis confugiat, quam ad Artificem suum? Unde eleganter S. Chrysostomus hominem ad hanc fiduciam sic hortatur: Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? quidni ergo dicat cum S. Davide: Mihi autem *Ps.* 78. *v.* 28. adhærere Deo meo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam?

V. Ex occasione thematis: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* ostendi potest, cur *Matth.* 16. *v.* 26. homo animæ suæ curam omnibus præponere debeat, nempe 1. Quia caritas incipit à seipso, utpote qui sibi proximus est. Certè omnes creaturæ totis viribus ad suum finem & perfectionem tendunt. 2. Quia anima est fundamentum & finis omnium bonorum, quæ appetimus; si ergo hoc corruat, necesse est, omnia alia eum ipso corruere, & in exitium labi. Hinc 2. *Reg.* 12. pulchrè huc applicari potest parabola Davidi à *v.* 3. Nathan proposita de viro unam tantùm oviculam, quæ erat ei sicut Filia, habente, & tamen per vim ablata. 3. Quia anima est talentum pretiosissimum homini à Deo concreditum; si ergo, cui multùm datum est, multùm requiretur ab eo, quàm severam rationem Deus ab homine ob hoc pretiosissimum talentum malè collocatum, aut omnino perditum, exiget?

VI. Ex occasione thematis: *Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo:* ostendi potest, quis sit finis animæ in corpore creatæ, nempe ut ad cœlestem Patriam per viam mandatorum tendat; hic ei corpus velut equus assignatus, erga quod proinde tria officia exercere debet. 1. Cibum & stabulum illi non ad luxuriam & satietatem, ne recalcitret; sed ad necessitatem & honestam relaxationem, uti & somnum ad necessariam quietem concedere. 2. Frenum applicare per mortificationem, ne vel extra semitam mandatorum excurrat, aut cibi, potusve, aut luxuriæ immodico usu & appetitu iter impediat. Hinc Apostolus monet: mortificate membra vestra, quæ sunt

super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, in quibus & vos ambulâstis aliquando, cùm viveretis in illis.

Prov. 26. v. 3. 3. Flagellum & calcaria castigationis adhibere, si fortè contumaciam ostenderit, aut extra orbitam abduxerit; hinc Salomon dixit: Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. Si ergo quivis eques mansuetum & tractabilem equum quærit, aut facere studet, quidni & simile studium adhibeat anima, ut corpus suum mansuefaciat, & in servitutem redigat?

Cant. 2. v. 10. VII. Ex occâsione thematis: *Surge, properâ amica mea, columba mea formosa mea, & veni:* potest anima columbæ à Noë olim ex arca dimissæ comparari, quæ, cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, ad eum in arcam reversa est. Ostendatur itaque 1. quomodo anima à Deo dimissa non invenerit in creaturis, ubi pes, id est, affectus illius requiesceret. Eum in finem exemplum Salomonis afferri potest, qui, etsi dixerit: Vadam, & affluam deliciis, nec prohibuerit cor suum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaverat, in omnibus tamen his vanitatem & afflictionem animi expertus est. 2. Ostendatur, quomodo in solo Deo quietem suam reperire queat juxta illud S. Augustini: Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Hinc meritò S. Anselmus animam talem sic alloquitur: Quid vagaris, ô anima, per multa quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit.

Gen. 8. v. 9. *Eccl 2. v. 1. & 10.* *S. Aug. l. 1. confess.*

1. Thess. 5. v. 23. VIII. Ex occasione thematis: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querelâ in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur:* potest explicari triplex ratio, ob quam anima corpori est juncta, & inde doctrinæ morales erui. 1. *Propter perfectionem universi:* ut esset creatura partim spiritualis, partim corporalis; unde quia spiritualis pars haud dubiè potior est corporali, rectè quoque infertur, hanc illi, & non vicissim servire debere ad finem suum. Id quod præclarè S. Bernardus indicavit his verbis corpus alloquens: Propterea noli, corpus, noli præcipere tempora, potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere, ut nunc anima pro te laboret; magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantùm ejus impedis recreationem, tantùm impedis tuam, quòd nimirùm ante reparari non poterit, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem Hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua, anima vero peregrina & exul apud te est hospitata. Quæso te quis Rusticus, si fortè nobilis & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domûs suæ, aut sub gradibus suis, vel ipsis cineribus accubabit, cedens Hospiti suo locum, sicut dignum est, potiorem? & tu ergo fac similiter. 2. *Propter augmentum meriti:* quia virtus in infirmitate & tentatione, qualis vel maximè in corpore reperitur, perficitur; unde non negligenda occasio, sed corpore utendum ut equo, applicando frenum mortificationis, & flagellum vel calcaria mortificationis, ut nos ad optatam perfectionem & meritum provehat. 3. *Propter participationem solatii:* ut scilicet, sicut corpus in laboribus & afflictionibus participat; ita in requie etiam & consolationibus particeps fiat, juxta illud S. Pauli: sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Unde exhortandi Auditores ad corporis incommoda alacri at æquo animo sustinenda.

2. Cor. 1. v. 7.

§. XIII.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

I. DIversitatem animarum in hac vita operantium pulchrè Josephus Mansi per aranæ & bombycis similitudinem ostendit: Etenim aranea, inquit, se ad subtilissima quædam fila texenda eviscerat, sed non alio id fine facit, quàm ut in reti illo ex hisce filis laboriosè fabricato muscas capiat; at verò quid tandem ei accidit? Postquam miserum hoc insectum telam suam multis laboribus contexuit, servus familias scopam adducit, quâ hanc tot laboribus fabricatam telam totaliter abolendo destruit, & disperdit, imò & ejusdem telæ artificem omni conatu persequitur, ut mortem inferat; Non verò idem Bombyci contingit, quin potiùs unusquisque vermiculum hunc quærit, illumque delicatè fovet, & nutrit, quia fila serica contexit, ex quibus pretiosissimi deinceps panni seu vestes sericæ conficiuntur: & ideo, cùm aranea muscas tantùm capiat, bombyx econtra Principes & Reges post se captivos ducit: siquidem hi ambo labores ejus ambiunt, quibus non regia solùm conclavia, sed & sacra altaria adornant, & ideo bombycini partus ob eorum pretium & æstimationem ab uno Mundi polo ad alterum deferuntur. Hi autem figura sunt earum animarum, quæ bonis cœlestibus adipiscendis vacant, quæque ex industria ad Creatoris sui servitium se applicant, & continuò pro salute æterna consequenda laborant, & fructificant; *Thesaurizant Thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt;* Hæ profecto animæ à gratiis, cœlestiumque consolationum dulcissimo manna exinanitæ non sunt, sed potius iisdem refertissimæ; unde David ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Mansi disc. 1. n. 14.

II. Videbitis aliquando nobilissimam palatii alicujus faciem & introitum; mirabili architectura ex marmore, pretiosis statuis, sculptutis, aliisque ornamentis mirè adornatam & elaboratam tandem verò dum ex curiositate plura ejusmodi artis magisterio absoluta opera videndi ad interiora palatii penetralia ingredimini, conclavia fœno offenditis referta, ambulacra passim araneatum telis obsepta, hortos ex urticis & vepribus

Idem disc. 9. n. 23.

pribus ſylveſcentes, fontes deſtructos, meram denique cunctis in locis deſolationem conſpicitis; dumque ingemiſcentes cauſam tantæ deſolationis inquiritis, hæc ſola adducitur, quia Princeps, vel Dominus, Palatii illius incola, illud pro tempore deſeruit, ſuoque in diſceſſu tapetes omnes, omnem pretioſam ſupellectilem, univerſas, quibus conclavia illuſtrabantur, picturas, cunctaque ornamenta ſecum ſuſtulit, & ideò, dum nulla jam palatii interioris cura habetur, omnia in eo deſolata apparent, & horreſcunt ingredientibus. Eodem prorſus modo de anima quadam ratiocinari licet; hæc enim, dum imagini & ſimilitudini Creatoris ſui correſpondebat, omnibus erat donis, gratiis, virtutibusque Chriſtiano homine dignis decenter adornata, adeò ut ipſum quoque ſpecioſitate ſuâ in admirationem raperet Paradiſum? At verò dum ſponſus & incola animæ Deus eandem ob propriam animæ culpam deſeruit, ſibi deinceps minimè ſimilis eſſe videtur: Quomodo mutatus eſt color optimus? Jam enim vitiis repleta, paſſionumque & affectuum inordinatorum tyrannidi ſubjecta eſſe conſpicitur, & cùm antea Deus de illa dixerit: *Delicia mea eſſe cum filiis hominum*: jam in ea prætet effrœnium appetituum ſentes, lolia, urticas, & ſtirpes, nihil quod oculis Dei placeat, in ea conſpicitur; intellectus factus eſt cœcus, voluntas deſes & iners, memoria ingrata, iraſcibilis, vindicativa: Orientur in domibus ejus urticæ & ſpinæ, & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum. Unde S. Thomas Villanovanus ait: Nullus virtutum germinat affectus, nullus bonorum operum producit fructus.

Dignitas.

Idem diſc. 10. n. 10. III. S. Matthæus parabolam illam refert de Rege, qui præparavit nuptias filio, ad quas inter multos, qui ad eaſdem convenerant, præſumptuoſus ille, qui ſine veſte nuptiali nuptiale triclinium ingredi præſumpſerat, ad ignem condemnatus fuit: *Mittite eum in tenebras exteriores*; Quo facto ſapientiſſimus Magiſter noſter parabolam illam his verbis concludit: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Circa quæ verba meritò inquirendum venit, quomodo intelligenda; cùm enim unus tantùm convivarum condemnatus fuerit, cæteris omnibus menſæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potiùs dicendum fuiſſe videtur, ſcilicet multi electi, non verò pauci electi, ſiquidem ex multis unus tantùm periit? Ad quam difficultatem alia nequit dari reſponſio, quàm quòd Deus unius duntaxat animæ ſalutem tanto in pretio & æſtimatione habeat, ut, dum illam perdit, innumeras ſe perdidiſſe arbitretur. Unde S. Auguſtinus ait: certè unus erat ille, qui non habebat veſtem nuptialem, quare dicit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi?* quia in unius perditione ſic afficitur, quaſi multos perderet.

Cura animæ.

Idem diſc. 3. n. 5. IV. In prælio Gedeonis adversùs Madianitas, tunc quæ ſecum abſcondita habebant, lumina emicare cœperunt, quando vaſa fictilia, in quibus recluſa tenebantur, fuêre confracta; ita quoque (quia omnia in figura contingebant) lumen gloriæ in fidelium animabus tantò ampliùs reſplendebit, quantò ipſorum corpora, quæ verè vaſa ſunt fictilia & fragilia, crudeliùs fuerint afflicta & lacerata.

V. Plutarchus de Demetrio refert, quòd is Rhodum obſidens, eandem igne conflagrare, & penitus deſtruere omiſerit, tametſi id promerita fuiſſet, idque ob hoc ſolùm, quia in mœnibus admirabili artificio certi cujuſdam Philoſophi, Protogenis videlicet imago depicta erat: Idem quoque Plinius his verbis ſcribit: Rhodum non incendit Rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret à parte ea muri locatam; qualis igitur nobis erit confuſio, ſi cum hoc gentili & crudeli milite comparemur; hic enim ob Philoſophi cujuſdam effigiem muris Rhodenſibus impreſſam, eidem civitati, ne illam perderet, pepercit, cùm tamen nos myſticam animæ noſtræ Jeroſolymam, de qua ſcribitur: *Gloriosa dicta ſunt de te civitas Dei*: tam frequenter, tantaque cum facilitate & temeritate ad flammas condemnemus infernales, non obſtante quòd eidem impreſſa ſit imago non hominis alicujus, ſed ipſiuſmet Dei, qui illam fundavit: *Ipſe fundavit eam altiſſimus.* *Manſi diſc. 4. n. 11.*

VI. De magno illo Cardinali Reginaldo Polo, qui verus Angliæ Polus Arcticus & Fidei Catholicæ in eo Regno columna & fulcrum fuit; legitur, eum corpus ſuum tam flocci feciſſe, ut ſolitus fuerit dicere, eum, qui ſibi vitam hanc erepturus eſſet mortalem, nihil eſſe facturum amplius, quàm quod illi nocte cubitum eunti ſervus facere ſolet, dum eum veſtibus ſuis exuit; Quo Cardinalis dicto, ut veriſſimo ſuppoſito, quæro ex te, quiſquis es, quidnam majoris facias, veſtemne, an corpus, quod tali veſte contegitur? utique, niſi delirus ſis, reſpondebis, ſtolidum eſſe eum, qui plutis veſtem æſtimat, quàm corpus: nunquid verè ita eſt? Et tamen hæc eſt innumerabilium hominum ingens ſtultitia, quòd, tametſi aliàs in cæteris ſenſati ſint & ſapientes, corpus tamen, quod nihil eſt aliud, quàm ſimplex quædam animæ veſtis, majori in pretio habeant, quàm animam. *Idem diſc. 16. n. 2.*

VII. Berchorius refert, quòd Alexandro Magno præſentata gemma quædam fuerit, eâ virtute & naturali proprietate prædita, ut in bilancem ſeu libram poſita, cujusvis alterius rei ponderi, etiam immenſo, imò vaſtiſſimo cuidam monti præponderaret, ita tamen, ut dum eidem gemmæ vel modicum quid pulveris inſpergebatur, ſubitò hanc ſuam miram virtutem amiſerit; quòd ſi verè ita eſt, aptior hâc gemâ animæ noſtræ figura inveniri minimè poterit; Hæc enim à Deo cum tali virtute & valore creata fuit, ut univerſus Mundus ei comparatus, eidem præponderare non poſſit. Imò ſui pondere & æſtimatione omnia creata in immenſum excedit, quia Deus ipſe dedit omnia, quæ habuit, & emit *Apud eundem diſc. 18. n. 8.*

eam;

eam; Imò ſemetipſum, quantus eſt, eidem comparandæ ſuperimpendit: Veruntamen, ſi vel minimo pulveris atomo, id eſt, affectu quodam terreno contaminetur, hic ipſam omne pretium amittere facit.

S. Chryſ. ho. de anim.

VIII. D. Chryſoſtomus Philoſophum quendam fuiſſe refert, qui in domum quandam viri præpotentis auro ubique fulgentem, marmoribus elegantiſſimè incruſtatam, columnis pretioſiſſimis ſuffultam, quaqua versùm peripetaſmatibus tapetibusque phrygio opere artificioſiſſimè elaboratis veſtitam ingreſſus, videnſque pavimentum inſuper ſtragulis magno pretio æſtimatis, ubique contectum, in faciem exſpuit Domini domûs; cumque de hac inurbanitate ab eodem graviter reprehenderetur, confeſtim ſe excuſavit dicendo, ideo ſe faciem illius hâc contumeliâ affeciſſe, quòd nuſquam alibi in domo id facere licuiſſet: nuſquam etiam in hâc ubique tam eleganter exornata domo locum invenire potuerit viliorem, quàm vultum domini illam incolentis. Ex qua hiſtoria Sanctus Doctor egregiam elicit moralitatem ad condemnandum illos, qui nulli alteri rei tantàm adhibent operam & ſtudium, quàm ut bona ſibi terrena acquirant ad deliciosè tractandum corpus, dum interea pretioſiſſimam illis à Deo inditam animam marcidam & emaciatam prorſus negligunt: Vide, inquit, quàm ſit ridiculus, qui exteriora nimis ſollicitè exornet, & apud omnes qui mentis compotes ſunt, eſt contemptibilis; & meritò ſanè, nam cùm parietes quidem & ſolum, aliaque omne accuratè exornes, animam verò velut pannis obſitam, ſqualentem, jejunantem, plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quodnam ſupplicium non ſuſtinebis?

Manſi diſc. 18. n. 11.

IX. Si Regem aliquem inter aulæa regia, & in penetralibus reconditioribus equos, aliaque jumenta aſſervantem, ſibi verò ſtabulum pro ſua manſione eligentem videres, quid diceres? & tamen eadem ſtultitia quotidie à tot committitur Chriſtianis, qui corpori & ſenſibus ſuis exterioribus divitias, delicias, honores, voluptates, omniaque alia hujus vitæ bona accumulant, cùm tamen ob hoc comparati ſimus jumentis inſipientibus; animam verò intra ſtabulum ſqualentem negligunt, ſiquidem hæc in hoc corporis ergaſtulo putredine & immunditiis pleno abſque ulla bonorum auxiliorumque Spiritualium & æternorum proviſione habitare cogitur; quòd enim illi commoditates & ſolatia præparentur temporalia, ut potior pars hominum indefeſſo ſtudio facit, hoc nihil eſt aliud, quàm animam in ſtabulo inter immunditias, & fœtida ſtercora poſitam negligere, ſiquidem de his omnibus Apoſtolus optimè dicit: *Omnia arbitror ut ſtercora*: & ideò dum hoc facimus, animam adeò nobilem velut brutum & irrationale quoddam animal tractamus.

S. Chryſ. ho. 21. in c. 8. Matt.

X. Apud Marcum c. 1. & Lucam c. 4. ſi rem benè diſcutias, invenies, primum opus, quo Chriſtus brachii ſui potentiam oſtentavit, fuiſſe expulſionem dæmonũ ex hominibus, quos occupârant, poſt hæc verò cœpiſſe alia facere miracula, & emaculare leproſos, dare viſum cœcis, brachiorum, pedumque uſum reſtituere paralyticis, claudis, mancis, impertiri ſanitatem ægris, vitam mortuis. Eſt ea S. Joannis Chryſoſtomi obſervatio hom. 21. in cap. 8. Matt. operis imperfecti, ubi ſic habet: Sciendum eſt, quòd Lucas quidem, & Marcus ſtatim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in ſecundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium laborantem. At ſi quæras, cur ab Energumenorum curatione potiùs, quàm aliorum infirmorum, aut malè habentium curatione exorſus fuerit Dominus, reſpondet ibidem: Eâ videlicet causâ, quia major cura eſt ei de ſalute animæ, quàm corporis. Dæmones, quando corpora humana invadunt, id eo maximè conſilio & voto faciunt, ut deſtruant, vaſtentque animas. Itaque illos primùm aggreditur, ejicitque Dominus; hoc enim præ cæteris rebus omnibus agere debet Chriſtianus, ut animæ negotia primò curet, velut curavit Chriſtus, quia major cura eſt ei de ſalute animæ, quàm corporis.

S. Baſil. ho. 10. in hexam.

XI. S. Baſilius expendit finem, ad quem homo conditus fertur: Non dixit: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut veſcatur ligno fructifero, ſed ut præſit, imperet, tum demum eſitet: Quæ concernunt carnem, ſecundas obtinent, nam primas ſibi aſſerit primogenia præſidendi auctoritas attributa animæ. Comedere, bibere, carnis ſunt opera; præeſſe, imperare, ad animam ſpectat. Priùs ergo Dominus de his, quæ ad animam hominis pertinent, ſtatuit, quàm de rebus corporis; ut ſignificaret, illam in omni occaſione huic præferendam, eamque diligenter, ac ſtudioſè curandam; utque omnes intelligerent, eſſe illam dominam, corpus verò mancipium. Eam ergo ob cauſam Adam priùs præeſt, quàm comedat; quæ enim concernunt carnem, ſecundas obtinent, nam primas ſibi aſſerit primogenia præſidendi auctoritas attributa animæ.

Abulenſ. in c. 8. Matt. q. 59.

XII. Acceſſit Chriſtum quidam Scriba, & velut ingenti ſerviendi Deo deſiderio teneretur, perpetuoque illi adhærere vellet, ajebat: *Magiſter, ſequar te, quocunque ieris*: Matt. 18. 19. Non admiſit Dominus obſequium, quin multas illi in medio poſuit difficultates, dicens, eſſe ſuaruti animalibus diverticula, foveas vulpibus, avibus nidos; ſe verò tam pauperem vitam ducere, ut nullum in mundo locum habeat, in quo vel delaſſatum jejuniis, & vigiliis caput reclinare queat. Percontatur Toſtatus, quare Chriſtus, qui alios ad ſui ſequelam invitare ſolebat, hunc, qui ſe ultrò offerebat, & ſcholæ ejus velle nomen dare videbatur, à ſuo contubernio repulit; qui hoc nomine admitti dignus erat, quòd admitti rogabat. Reſpondet magnus Doctor, jubetque Lucam adire, qui rem hanc ita narrat, ut ex circumſtantiis, à quibus eam deſcribit, proclive ſit, cauſam, ob quam ſcriba ille repudiatus ſit, divinare. Is verò c. 9. v. 57. ſic habet: *Factum eſt autem, ambulantibus illis in via, dixit quidã ad illum: ſequar te, quocunque ieris.* Dum Chriſtus fortè tranſiret, ſcriba ille in via, quaſi ex occaſione, ac præter rem, dare ſe diſciplinæ Domini, & ſalutis ſuæ ſtudio volebat, non præmeditatò, non conſultò, & maturo conſilio, idcirco & repulſam paſſus eſt; nam quæ animæ ſunt, non

illa cæsa, non velut ab aliud agentibus per viam, obiter, sed ex composito, & ab exo occupatis, & hæc solùm cum cogitantibus, tum curantibus, tractanda sunt.

S. Gregor. Naz. orat. 1.

XIII. S. Gregorius Nazianzenus egregiè hanc doctrinam confirmavit, dum expendit ea, quæ ad opus nostræ Redemptionis concurrerant, dicens: Huc magistra Lex tendit, huc inter Christum & legem interjecti Prophetæ, huc Spiritualis legis perfector, & finis, Christus, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio, Deus, inquam, & homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe, in unum coiêrunt. Hæc ille; in quibus mihi hæc postrema verba ad trutinam vocate, diligenterque expendite; Hæc omnia pro uno illo generis nostri Principe in unum coiêrunt. Si videres in unam infirmi cujuspiam potionem hyacinthos, adamantes, aurum, uniones, quæ neque numerum haberent, nec pretium, adhiberi, quid diceres? Illud puto, plurimùm positum esse in illius incolumitate, maximoque in pretio esse sanitatem, quæ tanto pretiosissimarum rerum impendio procuratur. Vide nunc, inquit Nazianzenus, quo loco Deus animarum nostrarum salutem habeat, quam ut curaret, legem & Prophetas in unum coëgit, & quod caput est, se ipsum, suam divinitatem, suam humanitatem, sua attributa, sapientiam, omnipotentiam, & quæcunque talia, in remedium nostrum convertit. Hæc omnia in unum coiêrunt. O! quales species, è quibus salutis nostræ medicamentum conficitur? Quàm pretiosæ! Et quomodo Deitas velut consumitur; Deitas exinanita. Vide quid Deo valeat animarum salus, & an earum negotium velut in cursu, aut perfunctoriè, ac non magis multâ cum maturitate, summaque attentione, & omni virium contentione procurandum?

S. Bern. S. de quadr. debico. cit. à Nyss. Dom. 5. post Pent. §. 5.

XIV. S. Bernardus alicubi sic loquitur: venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi: cùm tibi colligeres omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in jejunando: vigiliarum in orando: lachrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis operatus est triginta & tribus annis, & passus in medio terræ? Tot annos, ærumnosissimam vitam, inter miserias tam multas & magnas exegit, ut salutem animabus adferret. Quantum verò temporis redemptioni corporum dabit? *In momento, in ictu oculi &c. mortui surgent incorrupti.* 1. Cor. 15. 52. Tantumne temporis curandis animabus impendit & revocandis in vitam meliorem corporibus solum momentum! Discite hinc, quantum inter curam utrorumque intersit. Momento corpora reviviscunt, animæ triginta, & ampliùs annorum longo labore curantur. Nimirum animabus diu multumque vacandum, ad corpora si modò velut per viam, obiterque attendas, satis hoc sit.

Nyssenus l. c.

Manst tr. 7. d. se. 17. n. 13.

XV. In Authore quodam de duobus fratribus legisse me memini, quorum unus sapiens, alter verò delirus erat, quòd, dum simul in eodem itinere constituti ad bivium quoddam pervenissent, interque se de via eligenda deliberarent, stultus viam eligerit amæniorem & deliciosiorem: sapienti verò magis via aspera placuit, & difficilis; cumque diu inter se concertâssent, tandem sapiens, ne fratrem suum delirum contristaret, ejus voluntati & opinioni cessit, seque ab illo vinci permisit: demum verò alioquousq; progressi in latrones inciderunt, à quibus apprehensi, in tetrum carcerem fuerunt abducti: tandem verò cùm ad ejus, qui caput & præfectus latronum erat, tribunal educerentur, sapiens totam culpam in delirum, hic verò in sapientem conjecit, utpote qui sanæ rationis Judicio præditus, à stulto se vinci & superari permisit; Judex verò utrumque culpæ reum esse pronuntiavit, stultum quidem, quòd se ab eo, qui se sapientior erat, gubernari non permiserit; sapientem verò, quòd sano judicio pollens, ab eo, quem stultum esse noverat, permiserit seduci. Enimverò tametsi nobis necessum non sit, ut D. Chrysostomus ait, de mendacio adstruere veritatem, attamen ex hac fabula utilissimam quandamelicere possimus moralitatem; corpus enim & Anima sunt veluti duo fratres germani, licet inter se conditione valde inæquales, siquidem anima sapiens est: *Spiritus est, qui vivificat:* Caro verò e contra fatua est, & stolida; *caro non potest quidquam*; anima ratione prædita est, & intellectu, ideoque per sanæ rationis discursum sibi potest consulere: corpus vero instar stolidi jumenti, insipiens est; Et ideo anima à via ardua & difficili minimè terretur, quia hæc est, quæ ad cœlum perducit: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*; & ideo temperantiam, mortificationem, pœnitentiam, suique ipsius abnegationem, bonorumque terrenorum contemptum eligit, & diligit. *Spiritus quidem promptus est*, corpus verò asperioris vitæ arduitatem exhorrescit: *caro autem infirma*, & ideo jejuniorum, macerationis carnis, vigiliæ, custodiæ seusuum deterrita difficultate, viam eligit deliciosam, amat voluptates, divitias, honores, cunctasque alias vitæ præsentis commoditates: dumque inter se diu concertando conflictantur, quia *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversùs carnem*, tandem anima se suis continuis persuasionibus nihil proficere videns, à corporis importunitate supetata, carnem suo modo vivere sinit, illique compatiens frænalaxat: Unde fit, quòd, dum simul gradiuntur, in latrones & viæ prædones, id est, appetitus inordinatos, pariter incidant, qui illos vinculis irretitos in captivitatem abducunt: funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur: ac tandem dum coràm supremo Judice comparent, ut suam quæque pars sententiam accipiat, jambæ ad infernum condemnantur; anima quidem, quia se, suppresso rationis lumine, à sensualitate vinci permisit: Corpus verò, quòd animam aggravaverit, suisque affectibus inordinatis suppresserit, & ideo corpus & anima perduntur in gehennam.

§. XIV.

§. XIV.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Drex. in Trism. l. 3. c. 1. §. 3.

I. AD cœlestia & Divina animi nostri se habent ut Promethei statuæ, quæ etiam Solis radiis expositæ nec vigorem habebant, nec movebantur; at ubi conscenso Olympo Prometheus virgulam Soli admovit & incendit, & redux in terram statuæ suæ inseruit, illico in membris motus, & in statuis fuit repertus.

Sen. ep. 121.

II. Maximum est argumentum animi ab altiori venientis sede, si hæc, in quibus versatur, humilia judicat, & angusta, si exire non metuit; scit enim, quò exiturus sit, quia, unde venerit, meminit.

Man. l. 4.

III. Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.

Ovid. 6. Fast.

IV. Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Immortalitas.

Man. l. 4.

V. An dubium est, habitare Deum sub pectore nostro,

In cœlumque redire animas, cœloque venire?

Dignitas.

Cranat. in loc. com. f. 92.

VI. In anima nostra sublime quiddam ac Divinum esse, vel hoc ex argumento colligitur quòd, cùm Deus reliqua animalia conderet, solummodo dixerit: Producant aquæ reptile animæ viventis, & omne volatile super terram; anima enim piscium, volatiliumque ex eadem materia cum corpore desumpta est, at quando homo formatus est, corpus quidem ex limo terræ fabricatum, anima verò velut spiraculum vitæ à Deo inspirata est.

Sen. ep. 3.

VII. Tutum iter & jucundum est ad quod natura te instruxit; dedit tibi illa, quæ, si non deseris, par Deo consurges. Parem autem Deo pecunia non facit; Deus autem nihil habet. Prætexta non faciet, Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui: nemo novit Deum, licet multi malè de illo existiment, & impunè. Non turba servorum lecticam tuam portantium, Deus ille maximus, potentissimusque ipse omnia vehit. Nec forma quidem & vires beatum te facere possunt; nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo? animus, sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in corpore humano hospitantem? hic animus tam in Equitem Romanum, quàm in Libertinum, quàm in servum potest cadere.

Cicero de nat. quæst.

VIII. Nihil magnum est in humanis rebus, nisi animus magna despiciens.

Sen. ep. 77. ad Lucil.

IX. Omnis suo bono constat vitæ fertilitas: commendat vinum sapor, & velocitas cervum. Quàm fortia dorso jumenta sint, quæris. In cane sagacitas prima est, si feras investigare debet: cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere. Illud cuique optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. In homine optima quidem est ratio; hâc antecedit animalia cætera, Deum sequitur. Ratio ergo perfecta primum hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satis superque communia sunt. Est fortis, videlicet & leones: velox est, & equi: corpus habet, & arbores: habet imperium ac motum voluntarium, & bestiæ ac vermes: habet vocem, quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem & nobiliorem luscinæ.

Cicero l. 2. de leg.

X. Omnium animi immortales sunt, sed bonorum, fortiumque divini.

Sen. ep. 99.

XI. Valentior omni fortuna animus est, beatæ ac miseræ vitæ sibi causa est.

Idem ep. 8.

XII. Cogita, in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnum.

Curâ.

Drex. in Trismegist. l. 3. c. 1. §. 2.

XIII. Isocrates, cùm Discipulum horti studiosissimum, sed in ornandis moribus languentem vidisset, nec in studiis quidquam proficere advertisset, his verbis eum allocutus est: Obsero, ne hortum habeas cultiorem, quàm animum.

Ibid. §. 3.

XIV. Stilpon interrogatus, quem hominem judicaret statuis simillimum? hominem, respondit, stupidum, & animi sui negligentem.

Ibid. §. 2.

XV. Demonax Philosophus de hominibus sui curam negligentibus dixit: stultissimi mortalium omnem sollicitudinem suam ponunt in exstruendis ædibus, & hominum, qui ædes illas inhabitaturi sunt, nullam penitus rationem habent. Et quid magis miremur, quàm, cùm omnes & cupiant optimè vivere, & sciant, non alia re, quèm animo sic vivi, nec fieri posse, quin si optimè vivant, animus colendus sit, tamen animum sæum minimè colant.

Ibid. c. 3. §. 3.

XVI. Europa Regis Agenoris Filia ad litus Tyrii maris in prato nitidissimo taurum conspicata, quamvis primò metueret, tamen ubi mitem, blandientem, & ad sessionem invitantem vidit, tandem adire, tangere, herbas porrigere, & demum tergo insidere cœpit; verùm mox ab eo in mare abducta, frustra ad litus respexit, suique lusûs audaciam damnavit. Idem animæ cum corpore contingit, nisi ab initio blanditias ejus damnet; abducetur enim paulatim à litore cœlestis Patriæ in mare iniquitatis & malorum, frustraque amissam Patriam suspirabit.

Juven. sat. 8.

XVII. Summum crede nefas, animam præferre pudori,

Et propter vitam vivendi perdere causas.

Ovidius.

XIIX. Non immeritò cecinit Ovidius:

Ut corpus redimas, ferrum patiêris, & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aquâ.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

§. XV.

AXIOMATA.

I. ANima magis est, ubi amat, quàm ubi animat.

Matth. 16. v. 26.

II. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Anonym.

III. Omnia si perdas, animam servare memento.

IV. Salus animæ in Sanctitate justitiæ, & melior est omni auro & argento.

V. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

§. XVI.

AUTHORES.

I. Franciscus Labata V. Anima.

II. Hieremias Drexelius in Trismegisto. l. 3. cap. 1.

III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

IV. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

V. Antonius Dauroltius in Catech. historiali. c. 8. tit. 11.

TITULUS XIII.

ASCESIS.

Proœmium Generale.

QUid sit Ascesis, breviter insinuant Ascetæ, dum dicunt, eam esse scientiam, quæ ad perfectionem consequendam dirigit; de cujus necessitate & utilitate, omnibusque doctrinis ad eam spectantibus quoniam alibi jam fusius egi, supervacaneum credo, ea denuo repetere, & recoctam crambem obtrudere. Illud tamen non omittendum hoc loco censui, ut, quoniam dicta & facta Ascetica præ reliquis conducta sunt, ad amorem perfectionis, atque adeò etiam ipsius Asceseos tanquam Directricis ingenerandum, ea autem vix ab ullo Ascetico Scriptore, tali præsertim modo ac ordine proposita invenio, saltem in hoc titulo proponam, fructu, ut spero, tanto ampliore, quanto majorem ejusmodi dicta (quæ quasi vox viva censentur) factaque habent efficaciam tum ad instruendos, tum ad recreandos legentium animos. Unde in duas partes dividetur hic Titulus, quarum prima Dicta, altera Facta Ascetica complectetur.

PARS I.

DICTA SEU AXIOMATA ASCETICA COMPLECTENS.

Proœmium.

PEr Dicta hoc loco non intelliguntur quæcunque sententiæ ab Ascetis ore prolatæ, sed tales, quæ tum ob brevitatem suam, tum ob doctrinam, quam continent, specialiter notari merentur; ideoque axiomata, id est, celebria & indubitata, ac notatu dignissima effata nominari possunt. Qualia quidem passim tum in libris Ascetarum, tum in vitis Sanctorum occurrunt; sed quia non cuivis commodum est, ea percurrendo tales libros seligere; multa præterea propter brevitatem suam non satis intelliguntur; ideo pergratum fore arbitror, si selectiora talia Dicta hac in parte enumerem, &, ut melius percipiantur, brevem Exegesin, seu declarationem subjungam.

§. I.

DE AXIOMATIS AD DEUM SPECTANTIBUS.

AXIOMA I.

Nemo bonus, nisi solus Deus.

Matth. 19. v. 16. ITa Christus Luc. 18. c. cùm Princeps quidam ei dixisset: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Respondit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.*

Exegesis.

Pro hoc Dicto rectè intelligendo sciendum est, duplicem esse bonitatem, *absolutam*, & *respectivam*; illa convenit soli Deo, quia solus hic in se, & à se bonus est, & omne bonum velut fons

fons complectitur. Iſta creaturis competit, quæ ſolùm bonæ ſunt participativè, & cum reſpectu ad Deum; voluit ergo Chriſtus dicere: ſolum Deum eſſe eminenter bonum, & infinitè continentem, quidquid in creaturis bonum apparet. Hinc Thomas Kemp. rectè monet: *Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi ſit, niſi purè Deus, aut de Deo ſit. Totum vanum exiſtima, quidquid conſolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, ſub Deo deſpicit univerſa. Solus Deus æternus, & immenſus; implens omnia, ſolatium animæ, & vera cordis lætitia.*

l. 2. de Imit. c. 5.

AXIOMA II.

Deus meus, & omnia.

UTi S. Franciſcus dicere ſolebat, & in his verbis conſiderandis integras quandoque noctes tranſigebat; ſicut vita ipſius apud Surium teſtatur.

Surius 4. Oct.

Exegeſis.

Quia Deus eſt fons omnis boni, ut ipſemet indicavit apud Jeremiam: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Hinc merito exclamat pius Auctor: *Ecce Deus meus, & omnia, quid volo amplius & quid felicius deſiderare poſſum? O ſapidum & dulce verbum: ſed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti ſatis dictum eſt: & ſæpè repetere jucundum eſt amanti. Te ſiquidem præſente jucunda ſunt omnia: te autem abſente faſtidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiamque feſtinam.* Rectè ergo S. Auguſtinus hortatus eſt animam, dicens: *Quid vagaris, ô homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama unum bonum, in quo ſunt omnia, & ſufficit, deſidera ſimplex bonum, in quo eſt omne bonum, & ſatis eſt.* Et iterum: *ſi quæris, quære, ſed non ubi quæris; quære in fonte, quia ibi omnia vivunt; quod factum eſt, in ipſo vita erat. Ecce ergo viam vitæ, â multis ad unum: ecce viam mortis ab uno ad multa.*

Jer. c. 2. v. 13.

l. 3. c. 34.

l. de ſpir. & anim. c. 64.

AXIOMA III.

Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.

ITa S. Auguſtinus propriâ experientiâ doctus exclamabat l. 1. Conf. c. 1. Hinc alibi faſſus eſt: *Scio Domine, quia malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed in me ipſo; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt.*

L. conf. c. 13.

Exegeſis.

Rationem hujus dicti fundamentalem aſſignat S. Bernardus dicens: *Ad imaginem quippè Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari poteſt, repleri non poteſt; capacem namque Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.* Unde S. Auguſtinus ad Deum ſuſpirans dixit: *Da, quod peto, quoniam, ſi cuncta, quæ feciſti, mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo, niſi teipſum dederis.* Hinc & ipſe Deus apud Jeremiam dixit: *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te, Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te.*

Hom. ſuper Ecce nos reliquimus.

Soliloq. c. 3.

Jer. c. 2. v. 19.

AXIOMA IV.

Minùs te, Domine, amat, qui præter te aliquid amat, quod propter te non amat.

ITa iterum S. Auguſtinus lib. 10. Confeſ. c. 24. & rectè.

Exegeſis.

Quia, ut Thomas Kempenſis benè advertit: *Dilectus tuus talis eſt naturæ, ut alienum non velit admittere, ſed ſolus cor noſtrum vult habere, & in eo tanquam Rex in proprio throno ſedere.* Hinc omnibus illum diligere volentibus dicit, quod olim Chriſtus capere ipſum volentibus dixit: *Si me quæritis, ſinite hos* (ſcilicet creaturas) *abire.* Coanguſtatum enim eſt ſtratum noſtrum, ita ut alter decidat. Imò dividere cor cupientibus non permittit, ſed dicit quodammodo cum illa muliere: *Date ei cor vivum, & nolite dividere.*

lib. 2. c. 7.

Io. 18. v. 8.

Iſaiæ 28. v. 20.

AXIOMA V.

Quales impetus habebas ad Mundum, tales habeas ad Artificem mundi.

ITa hortatus eſt S. Auguſtinus, & proprio ſuo exemplo confirmavit; dum, quantùm priùs dilexit mundum, tanto amore ferebatur poſtea in ipſum Deum; uti ipſemet teſtatur dicens: *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum, & quas dimittere metuebam fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas à me vera tu, & ſumma ſuavitas: ejiciebas eas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed homini ſecreto & interiori: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.*

S. Aug. l. 9. Confeſſ. c. 1.

Exegeſis.

Ratio eſt, quia, cùm Deus infinities dignior ſit amari, quàm mundus; Mundus autem ardentiſſimo plerumque amore diligatur â ſuis amatoribus: æquum eſt, ut ſimili quoque amore Deus â peccatoribus perfectè converſis diligatur. Hinc & Apoſtolus monuit: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire injuſtitiæ ad iniquitatem; ita nunc exhibeatis ſervire juſtitiæ, ad ſanctificationem.* Imò Baruch Propheta hoc gradu non contentus, ampliùs requirit dicens: *Sicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Deo, decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.*

Rom. 6. v. 19.

Baruch. c. 4. v. 28.

AXIOMA VI.

Diminutio cupiditatis augmentum eſt charitatis.

UTi S. Auguſtinus rectè pronunciavit, ut etiam Thomas Kempenſis confirmavit dicens: *Tene breve & conſummatum verbum: Dimitte omnia, & invenies omnia. Relinque cupidinem, & invenies requiem.*

l. 3. c. 32. de Imit.

Exegesis.

Ratio dicti est, quia *bonorum Authori*, teste S. Gregorio in homil. *aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus.* Hinc, ut S. Bernardus pronunciavit, ipsi Apostoli spiritu sancto repleri nequiverant ante Christi Ascensionem, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, adhærebant. Meritò ergo S. Gregorius l. 7. hortatur: *Quisquis defluere devitat, fugiat, ne per hoc, quod amat, in hoc cogatur devenire; quod vitat. Quanto enim acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili refrigescit à summis; utraque enim simul, & æqualiter amari non possunt.*

S. 3. de Ascens.

S. Greg. l. 7. ep. 16.

AXIOMA VII.

Tantum quisque vivit Deo, quantùm moritur sibi.

ITa Christus S. Catharinæ Senensi in Dialogo cum ipsa habito dixit. Et Thomas Kemp. sub aliis terminis proponit, dicens: *Tantùm homo in Deum transit, quantùm à se exit.*

l. 3. c. 56.

Exegesis.

Cùm enim amor proprius omnium malorum radix sit, rectè infertur, hoc impedimento sublato, facilè hominem Deo adhæsurum; Unde S. Augustinus præclarè sic hortatur: *Prima hominis perditio fuit amor sui; si enim non se amaret, & Deum sibi præponeret, Deo subditus esse vellet, non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei, disce amare te, non amando te.* Quod etiam alibi confirmat Thomas Kemp. dicens: *Melior, ac sanctior nostri amor locum in nobis accipiat; nec enim fuerit, quò intret ad te amor Dei, nisi exulet amor tui. Ubi seipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit; solus namque hic dominari vult, qui præcepit, ut feraris in Deum ex toto corde, ex tota anima Partem non accipit, gloriosa indolis est: totum deposcit, ut totum largiatur.*

S. 47. in cap. 17.

l. 3. opusc. 5.

AXIOMA VIII.

Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus.

ITa Amos Propheta, per hoc indicare volens, omne malum pœnæ, seu à causis secundis profectum, iisque seu creaturis rationabilibus, seu irrationabilibus, quocunque item modo & ratione eveniat, totum prodire à manu Dei, suavissimaque ejus providentia ac dispensatione. Deus est, mi homo, qui rexit & direxit manum ejus, qui te percussit. Hinc in fastis Regum circa pœnam illam, quam sumpsit Deus de Davide per filium ipsius Absolonem, ob crimen adulterii, ac illatæ cædis Prophetæ, dicit Deus, quòd ipsemet pœnam hanc ei velit infligere; *Ecce ego*, inquit, *suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis, & dabo proximo tuo; tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in solis.*

Amos c. 3. v. 6.

2. Reg. 12. v. 9.

Exegesis.

S. Augustinus hanc veritatem præclarè per sequentia verba explicat: *Impietas eorum tanquàm securis Dei facta est. Facti sunt instrumentum irati, non regnum placati. Facit enim per illa plerumque hoc Deus, quod facit & homo; Aliquando homo iratus apprehendit virgam, jacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum; cædit inde filium suum, ac deinde projicit sarmentum in ignem, & filio servat hæreditatem; Sic aliquando Deus per malos erudit bonos.* De horribili illo excidio Hierosolymitano legimus, quòd, cùm Titus Vespasianus, dum obiret civitatem conspicaretur fossas omnes capitibus, mortuorumque cadaveribus impletas, totamque illam circa regionem ex fœtore ceu peste infectam, elatis in cœlum oculis clarissima voce Deo in testem vocato, exclamârit, se tantæ stragis auctorem non esse. Et barbaro illo Tyranno Alarico, ad diripiendam soloque æquandam Romam profecto, occurrit veneranda canitie senex quidam Monachus, rogando illum, ne tot vellet esse malorum incentor, quæ eo die in illa Urbe deberent fieri, cui ille; Ego ultrò meaque voluntate Romam non eo, sed est, qui me quotidie vellicat, illucque impellit ea voce: Vade Romam, & civitatem everte, quod evidenti est argumento, omnia hæc ex Dei arbitrio, dispositioneque contingere. Hinc Regius David, maledicente sibi Semei, pulvere lapidibusque impetente, cùm regii famuli cogitarent de ipso vindictam sumere, hâc illos voce repressit: *Dominus illi præcepit, ut malediceret David, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Verum quid magni est, recognoscere in instrumentis divinæ providentiæ, justitiæque homines, quando & ipsi reprobi, & in malo obfirmati, obstinatique Dæmones hoc munus obeunt. Accuratè id notavit S. Gregorius in illum locum Scripturæ: Spiritus Domini malus arripiebat Saul, ubi idem spiritus & spiritus Domini vocatur, & spiritus malus, malus per desiderium perversæ suæ voluntatis, spiritus autem Domini ad demonstrandum, ipsum fuisse à Deo submissum ad torquendum Saulem, & quod Deus operaretur per ipsum; hoc enim modo contextus ipse rem explicat, dum dicit: *Exagitabat ipsum spiritus nequam à Domino.* Atque ob hoc ipsum docet id S. Pater, Dæmones persequentes justos vocari in Scriptura Dei latrones, *latrones* quidem, ob eorum malitiam; *Dei*, ex data ipsis ad inferenda supplicia potestate. Idem ponderat S. Augustinus; *Non dixit Job*, inquit, *Dominus dedit, diabolus abstulit*, sed (referendo omnia in supremum Numen) *Dominus dedit, Dominus abstulit*; probè sciens, plus diabolum non posse, quàm ei Deus velit permittere. Pergit verò hic sanctus: *Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.*

S. Aug. in Ps. 79. sumentum verba posuerunt signa sua.

Hist. Eccl. p. 1. l. 3. c. 1.

Ibidem l. 9. p. 2. c. 2.

2. Reg. 16. v. 10.

l. 14. mor. 20.

S. Aug. in Ps. 31.

AXIOMA IX.

Heu amor non amatur!

ITa B. Jacoponus Ordinis S. Francisci, qui, cùm in carcere Romæ detineretur, & Amici suspiria

ria

ria continenter trahentem reperirent, & causam tanti doloris inquirerent; *quia*, respondit, *amor non amatur*. Aut certè ut S. Bernardus alicubi queritur, non eo modo, quo decet; dum *amat charitas, amat immensitus, & nos rependimus cum mensura*.

Exegesis.

S. Bern. ser. 83. in Cant. Ratio est, quia ex una parte, teste S. Bernardo, cùm amat Deus, non aliud vult, quàm amari; quippè scient, ipso amore beatos, qui se amaverint; ex altera verò parte amor non nisi amore compensatur; atque adeò meritò dolendum est, quòd tantus amor tam parcè compensetur. Hinc meritò hortatur S. Augustinus: S. Aug. l. 4. conf. c. 12. *Rape ad eum animas, quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus.* Idque & verbis agamus & precibus, & supplicatione ad Deum conversi, nobis & aliis hunc amoris thesaurum impetremus; quia, ut suo sensu didicit, & deinde Lib. 4. c. 10. conf. inexpertos monuit idem Sanctus: *Quaquà versum se vertit anima, ad dolores figitur, præterquam in te.*

AXIOMA X.

Non diligit utilitatem suam, qui Deum non diligit.

1. Jo. 4. v. 16. QUia Deus solus tota, & sola est utilitas humanæ naturæ; Scriptum verò est: *Quoniam qui manet in charitate*, id est, qui Deum diligit, *in Deo manet, & Deus in eo.* Talis est ergo utilitas humana, ut eam, nisi qui habet, diligere nemo possit: Et quæ à suo dilectore non possit omninò sejungi. Hoc ergo ipsum, quod dicunt homines, diligere se quidem utilitatem suam (quis est enim, qui hoc non sit etiam jurare paratus?) sed eam non habere, hoc ipsum, inquam, testimonium est, eos aliud diligere non ipsam suam utilitatem. Nihil enim aliud homini faciendum est, ut utilitatem suam habeat, nisi diligere. Sed ipsi homines conantur assiduè facere eam, quasi non sit; sicut pagani Deum. Nam si solus Deus utilitas est hominum, quo carere non potest, nisi qui eum nequaquam diligit: Non facienda utique est, cùm sit æterna; sed tantùm diligenda. Hoc solùm prorsus est totius miseriæ nostræ causa: quòd scilicet utilitatem aut non cognoscimus, aut non amamus, aut non quantum vel sicut cognoscenda, & amanda est, cognoscimus, & amamus.

AXIOMA XI.

Non rectè novit Deum diligere, qui non scit relinquere Deum, propter Deum.

Bartol. l. 4. §. 37. ITa S. Ignatius Lojola, qui teste Daniele Bartolo dicere solebat; relinquere Deum propter Deum, magnum lucri spiritualis esse compendium, nullum dispendium. Intelligitur autem *per Deum relinquere*, hoc loco conversationem eum eo inchoatam; sivè per orationem, sivè per Lectionem, aut aliam similem actionem interrumpere, ut alteri actioni à voluntate Dei aut Superioris imperata vacetur.

Exegesis.

Quia cùm diligere nihil aliud sit, quàm idem velle cum alio, meritò diligere Deum non censendus est, qui, quando Deus ad certam actionem vocat, contra hanc expressam voluntatem cum eodem conversari cupit; Hinc meritò Abbas Smaragdus dixit: *Propter obedientia perfectionem omnium aliorum actio relinquenda est operum, quia magis placet Deo obedientia, quàm victima.* Id quòd Deus ipse pulchro exemplo confirmavit in virgine religiosa, quæ divino amore flagrans, speciosum forma præ filiis hominum videre desiderarat, cui mox ille visendum se quoque præbuit, formâ pueri admodum liberali: Cumque ad commune opus superioris mandato averteretur, puerulo JEsu ait: *En dulcissime Domine mi, JESU Christe, pro explenda obedientia tuo nomine abeo, donec ad te redire liceat.* His dictis è cellâ exiit, & quod facere jussa erat, animo voluntario, hilarique vultu peregit: Deinde ad cellam reversa, dum eam aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis ejus se ingessit, adeò ut vix eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum suum Dominum in perfectâ ætate, tanquam elegantissimum juvenem viginti & quatuor annorum adstantem; Qui interrogatus ab ea, quomodo ex pusillo tam grandis factus esset, respondit: filia charissima, profunda velocis atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam brevi tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, si mihi sine medio cupis uniri. Post quæ verba Dominus disparuit. Smaragdus in c. 5. Reg. S. Bened. Blosius in apolog. pro Taulero c. 20.

AXIOMA XII.

Justum est hominem subditum esse Deo.

ITa impius Antiochus 2. Mach. 9. v. 12. postquàm tot malis afflictus exclamavit. *Justum est, hominem subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*; nec justum duntaxat, sed etiam connaturale, ut P. Vincentius Caraffa per rationem mox afferendam indicavit.

Exegesis.

Ut proprius terræ situs subter aquam, aquæ subter aërem, aëri subter ignem, igni denique subter cœlum; ita homini proprium, & velut nativum esse debet, non modò necessitate, sed & maxima sua voluntate subjectum esse Deo, eique affixum, ut sanctissimæ illius voluntatis motibus faciliùs circumagatur. Cæterùm nihil sublimius ejusmodi submissione. Supra humana omnia hominem evehit: adeò ut fortunæ vel prosperæ blanditias, vel adversæ terrores despiciat:

ciat. Securus utique quem præter Deum nihil attingere, nedum movere possit; cùm Deo proximè subjectus affixusque sit; atque intra Deum procul absistant omnia.

§. II.
AXIOMATA AD SE IPSUM SPECTANTIA.

AXIOMA I.

Tantùm quisque se amat, quantum se odit.

TEste S. Augustino, conformiter dicto Christi dicentis: *Qui invenit animam suam, perdet illam: Et qui perdiderit animam suam, inveniet illam.* Modus autem odio se habendi desumendus est ab odio, quo alios prosequimur; sicut enim hos nec æstimamus, nec laudamus, nec honoramus, nec amamus, nec fovemus; &, si hæc eadem ab aliis præstentur, dolemus; gaudemus verò, si contraria fiant; ita eodem modo nos odisse debemus. *Matth. c. 10. v. 39.*

Exegesis.

Quia, dum dicto modo quis propter Deum se odit, vitiorum radicem, concupiscentiam, tollit, & varias virtutes exercet; ideoque verè amat se ipsum, amovendo à se maximum malum & summum bonum procurando: Unde S. Augustinus rectè dixit: *Magna sanè*, inquit, *ac mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat: odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices, qui oderunt custodiendo, ne pereant amando.* Meritò ergo quisque in hoc odium effervescit, dicitque cum S. Bernardo: *Exurgat Deus, cadat armatus iste, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? certè si rectè sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.* *Tract. 51. in Joan.* *apud Rodriquez p. 2. tr. 1. c. 4.*

AXIOMA II.

Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.

ITa Thomas Kemp. l. 1. c. 25. & confirmavit S. Franciscus Xaverius, qui ad suos assiduò hæc verba: *Vince te ipsum:* repetere solebat; cumque aliquando illi causam tam frequentis repetitionis requirerent, hoc responsum dedit: Hoc S. Patris nostri Ignatii mandatum est: hoc si fiat, sufficit. Quòd autem sic res se habuerit, testatur Lyræus, de eo sic loquens: De nulla re sæpiùs, quàm de sui victoria loquebatur Ignatius: *Vince te ipsum:* illi perpetuò natabat in labiis, hæc inter sodales ei colloquendi materiem, coram Auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppeditabat. *l. 2. Apopht.*

Exegesis.

Ratio est, quia cùm *sensus hominis, & cogitatio hominis ad malum prona sint ab adolescentia sua*, teste S. Scriptura, facilè patet, non posse hominem sine magna violentia ab amore sui, & rerum creatarum inordinato avelli, atque adeò meritò, dici, illum præ cæteris in perfectione profecturum, qui majori sese violentia à creaturis abstraxerit. Unde sponsa non tantùm pulchra ut luna, & electa ut sol, sed etiam terribilis ut castrorum acies ordinata dicitur, ut indicatur, per hanc sui victoriam ad tantam perfectionem, & sanctitatem ipsam pervenisse. Hinc Christus dixit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Id quod S. Ignatius suo quondam calculo confirmabat; cum enim adolescentem quendam minister Romanæ domûs graviter accusaret apud Ignatium, & quasi minùs quietum, morigerum, atque tractabilem insectaretur: Ignatius non vulgi trutina, sed veritate & spiritualis prudentiæ statera rem æstimans respondit Ministro: Mitiùs quæso & blandiùs. Equidem istum ipsum quem tu tam acriter reprehendendum putas, plùs ego in Dei via paucis mensibus profeciisse arbitror, quàm duos integro anno. Nominavit autem duos omnium ex Domesticis candidissimos, & levitate quadam ingenii, ac morum suavitate maximè amabiles. *Cant. 6. v. 9.* *Matth. 11. v. 12.*

AXIOMA III.

Non est pax impiis.

ITa S. Scriptura apud Isaiam; & confirmavit id ipsum D. Martinus Braccarensis in Maximis suis dicens: *Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.* *Isaiæ. 48. v. 21.*

Exegesis.

Cum enim res quælibet non nisi in centro suo quiescat, fieri non potest, ut impii, qui à Deo velut centro suo separati sunt, pacem & quietem inveniant; id quod clarè S. Augustinus indicavit dicens: *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hinc ulteriùs dicit: *Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, aliquid se melius habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem & dura sunt omnia, & tu solus, Domine, requies.* *l. 1. Conf.* *l. c. c. 16.*

AXIOMA IV.

Nullum malum nisi peccatum.

ITa S. Petrus dicens: *Quis est, qui noceat vobis; si boni æmulatores fueritis?* *1. Pet. c. 3. v. 13.*

Exegesis.

Quia malitia est carentia boni; nemo autem bonus est, nisi solus Deus, ergo cùm solùm peccatum privet hoc bono, meritò solùm peccatum malum dicitur. Hinc Eudoxia Imperatrix S. Chrysostomum cùm graviter affligere minaretur, quidam ex Aulicis dicebat: Frustra ei minaris, quia solùm peccatum timet. Sed & S. Franciscus Xaverius in hunc sensum dicebat: Qui nihil spectat aliud, nisi divinam gratiam, Evangelii prædicationem, animarum salutem, quid tandem recusét, aut pertimescat? si enim versabimur, non modò in littoribus Barbarorum, verùm etiam Dæmonum regno; tamen nulla barbaria, neque dæmonum rabies quidquam nocere nobis poterit, nisi permissu concessuque præpotentis Dei. Unum omninò timemus, ne Deum ipsum offendamus: cujus offensionem si vitaverimus, exploratam de nostris hostibus victoriam nobis, illo propitio, pollicemur. *Vit. apud Surium.* *Thom. Kemp. l. 1. c. 25. Gen. 8. v. 21.*

AXIO-

AXIOMA V.

Nemo læditur, niſi â ſe ipſo.

ITa communis Aſcetarum ſchola, cui etiam Epictetus conſentit dicens: *Homines perturbantur, non rebus, ſed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Verbi cauſa: Mors non eſt malum, alioquin enim & Socrati ſic viſum eſſet, ſed opinio de morte, qua malam eam facit. Cùm igitur impedimur, & diſtrahimur, non alios culpemus, ſed nos ipſos, id eſt, opiniones noſtras.* c.10. Enchirid.

Exegeſis.

Ratio eſt, quia cùm ſolum peccatum verè malum ſit, ut ſuprà demonſtratum eſt; ad hoc autem nemo invitus cogi poſſit, rectè infertur, quemvis, ſi peccato conſentiat, proprii ſui mali fabrum eſſe. Hinc rectè S. Petrus ait: *Et quis eſt, qui noceat vobis, ſi boni æmulatores fueritis?* An non diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, teſte S. Paulo: *Nunquid Deum aliquis eripere invito poteſt? aut occaſio hominem fragilem facit, & non potiùs, qualis ſit, oſtendit?* Aliter paulò hoc dictum declarat Epictetus dicens: Memento, non eum, qui convitietur, aut verberet, autorem eſſe contumeliæ: ſed opinionem de eis tanquam contumelioſis conceptam. Cùm igitur te quiſpiam irritârit, opinione tua te irritatum eſſe ſcito. Quapropter inprimis operam dato, ne viſa tibi aſſenſum extorqueant. Nam ſi ſemel tempus & moram impetrâris, faciliùs ipſe tibi imperabis. 1. Petr. c. 3. v. 13. ad Rom. 8. v. 26. Epictet. Enchirid. c. 27.

AXIOMA VI.

Si vis vitam, muta vitam.

ITa S. Auguſtinus, qui propria experientia hoc axioma confirmavit, vitamque ſuam priorem ita mutavit, ut verè dicere potuerit cum S. Paulo: *vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Gal. 2. v. 20.

Exegeſis.

Quia, cùm vita vera & bona in charitate conſiſtat; vita autem, quam plerumque homines vivunt, in concupiſcentiis & peccatis conſumatur, rectè infertur, neminem veram vitam poſſeſſurum, niſi qui vitam mutaverit; hinc Apoſtolus monet: *Deponite vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris; renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate.* Eph. 4. v. 23.

AXIOMA VII.

Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis ſenſualitas.

ITa Thomas Kempenſis lib. 1. de Imitatione Chriſti c. 15.

Exegeſis.

Rationem hujus dicti idem mox ſubjungit dicens: Quia naturalis inclinatio, propria voluntas, ſpes retributionis, affectus commoditatis, rarò abeſſe volunt. Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re ſe ipſum quærit, ſed Dei ſolummodò gloriam in omnibus fieri deſiderat. Nulli etiam invidet, quia nullum privatum gaudium amat, nec in ſe ipſo vult gaudere, ſed in Deo ſuper omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, ſed totaliter ad Deum refert, â quo fontaliter omnia procedunt, in quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quieſcunt.

AXIOMA VIII.

Non habitus, ſed vita facit Monachum.

ITa iterum Thomas Kempenſis l. 1. c. 17. his verbis: *Habitus & tonſura modicum conferunt, ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum, verum faciunt Religioſum.*

Exegeſis.

Quia *ſpectaculum facti ſumus*, teſte S. Paulo: *Mundo, Angelis & hominibus*; ſicut ergo veſtis autorem non facit laudabilem, ſed actio perſonæ conformis, ita quoque nec habitus facit Religioſum, ſed morum mutatio, & perfecta mortificatio, ut dicere poſſit cum S. Paulo: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; hoc enim convenit perſonæ ejus. 1. Cor. 4. v. 9. Gal. 6. v. 14.

AXIOMA IX.

Scire Deum, ſola vera ſcientia.

ITa S. Paulus exiſtimans, ſe nihil ſcire, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum; quod ipſum etiam Poëta quidam hoc Diſticho expreſſit: 1. Cor. 2. v. 2.

Chriſte, ſciant quæcunque alii, mihi ſufficit una
Cognitioque tui, cognitioque mei.

Sed & S. Auguſtinus præclarè id confirmans ait: *Infelix homo, qui ſcit illa omnia, te verò neſcit; Beatus verò, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat: Qui autem te, & illa novit, non propter illa, ſed propter te ſolum beatus eſt.* In Confeſſ.

Exegeſis.

Quia ſcientia duplici modo conſiderari poteſt. Primò ſecundùm ſe; & ut ſic nihil aliud eſt, quàm cognitio, & ſine dubio vana eſt; quid enim juvat cognoſcere, ſine poſſeſſione? Quid prodeſt alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? & ſi de Trinitatè diſputare parùm prodeſt, quid erit de aliis diſputare, quid eſt aliud ſcientia, niſi adjumentum & ſpecies oculi intueri? Si ergo quis habet perſpicilia, non habet cauſas gloriandi præ alio, quò minùs videt, quomodo qui habet ſcientiam, gloriari poterit? Si verò ſcientiam quò ad fructum ſpectemus, tum maximè dici poterit, quòd ſine charitate vana ſit: uti

2.Cor. 13. v. 1. præclarè S. Paulus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans &c.* quasi diceret: quas habeo causas gloriandi, cùm majorem fructum faciat cymbalum, faciens, ut omnes propè percutiant cor? atque utinam tantùm non prodesset, & non noceret? quis enim nescit, quàm multa bona negligentur ab iis, quos scientiæ cupido invasit, quàm multas orationes facerent, quàm ferventer proximi saluti se impenderent, si non vellent plus, quàm oportet, scire? Id quod rectè P. Layman indicavit dicens, studia esse malam bestiam, quæ multas imperl. 1. c. 3. fectiones excusaret? Unde meritò Thomas Kempensis: O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicuti ad movendas quæstiones, non fierent tanta mala, & scandala in populo, nec tanta dissolutio in Cœnobiis. Sed væ talibus, quia potentes potenter tormenta patientur; de talibus verificabitur illud S. Pauli: *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificârunt, & gratias egerunt, sed evânuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum; dicentes enim, se esse sapientes stulti facti sunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in passiones ignominiæ.* Hinc rectè P. Vincentius Caraffa S. J. Generalis dixit: Quia vita Religiosi, ut Angelicus docet, tota est divinis obsequiis mancipata, instar holocausti perfecti, debet omne studium scientiarum ordinari ad studium amoris Dei, & conjungere scientiam cum amore, sicut Beati in cœlo; ad similitudinem verbi æterni, quod procedit à Patre, non ut verbum tantùm, sed ut verbum spirans amorem. Ita scientia nostra non debet esse solùm scientia, sed scientia effectiva, & spirativa, scientia spirans charitatem & amorem, reducendo semper, quantùm potest, scientiam ad effectum.

Rom. 1. v. 21. de Sapient. c. 2.

AXIOMA X.

Una est vincendi ratio, lætitia spiritualis.

ITa S. Antonius dicere solebat; uti P. Vincentius Caraffa de vera lætitia testatur. Hinc Philipp. 4. v. 4. Apostolus quoque tam sollicitè monet: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.*

Exegesis.

Quia est medium efficacissimum ad tentationes Diaboli vincendas, & propterea à S. Augustino *delectatio victrix* appellatur. Solet nimirum capitalissimus hostis ea potissimùm tempora observans technas suas explicare, araneam, ex genere insectorum funestum animalculum imitatus, cui retia sua nonnisi humido & caliginoso cœlo contexere mos est, quibus exinde imbelles muscas prædetur; seu certè *ranam aquaticam*, cui, teste Bellonio, nomen est, *diabolus marinus*, tum ob fœdum atque horridum corporis aspectum, tum vel maximè ob naturam ac mores, quibus jam natantibus insidiatur eos membris virilibus apprehensos solitus in profundum attrahere, ac dein vorare; tum verò, quòd se in limosis ac fæculentis locis detinet, ac volutat, ut aquam perturbet, quam ubi subjecerint pisciculi, certam ei cedant in prædam. Hinc gaudium spirituale vocat Origenes flagellum Dæmonum: *Quoties*, inquit, *in Domino gaudemus, toties Diabolum flagellamus.* Quia optimè nôrunt, à lætitia spirituali animæ provenire totam suam ruinam: siquidem anima non potest esse sine aliqua delectatione, ut ait S. Gregorius; *Aut igitur delectatur summis, aut infimis*: ac dum gustat res cœlestes, contemnit oblectationes terrenas, quas Dæmon proponit, atque hæc potissima ratio fuit, cur S. Ignatius, qui omnia sua divinæ gloriæ lubens dedicârat, sicut tristitiam à se semper procul repellere conatus est, ita & à suis eandem quàm longissimè voluerit esse amotam, cujus non vulgare specimen, atque experimentum, teste Daniele Bartolo, nobis exhibuit, dum sic scribit: Tyro etiamnum Romæ erat Franciscus Costerus Mechlinienſis, atque in risum mirè proclivis: cumque obviam ei per domum die quadam factus S. Pater, & ridentem clarè advertisset, mox ad se evocato in hæc verba locutus est: Franciscè, audio te semper ridere. Dejectis ille mox vultu & oculis acrem aliquam reprehensionem exspectare: Sanctus autem iterato dicere: & ego dico tibi, fili mi, ut rideas & gaudeas in Domino semper: Religiosus enim nullam habet tristitiæ sequioris causam, sed lætitiæ multam: Quapropter denuo tibi dico, semper sis lætus & hilaris, & eris indubitate, si humilis atque obediens esse contenderis.

Lib. 4. vitæ ejus. §. 37.

AXIOMA XI.

Creaturis quasi memorialibus utendum.

ITa suasit S. Franciscus Borgia, de Anima Christi hebd. 2. & id ipsum propria praxi confirmavit.

Exegesis.

Hinc loc. cit. sic scripsit: Creaturis uti debemus, quasi memorialibus, ut recordemur ex eis divinæ potentiæ, & magnitudinis. Cùm enim flos exhalat odorem, quid est, nisi vestigium suavitatis Creatoris? Cùm arbor crescit, ignis omnia consumit, aqua vivificat aridam, totum est demonstratio virtutis, & operum Altissimi. Unde videntes, quid naturaliter fiat in creaturis, ipsum intueri debemus in illis, ut subeat memoria, & admiratio ipsius operum, & signorum amoris, quo continuat opera sua propter homines ingratos pro suis beneficiis. Similem in modum adhortatus P. Vincentius Caraffa dixit: Percurre terram, & si aliqua in ea inveneris, quæ dulce quid sapiant, noveris guttulas esse, ac stillas decidentes à fonte divino æternæ dulcedinis, gustandas proinde non seorsim, sed ut fonti conjunctas, & cum sua origine. Separatæ afferunt mortem, unitæ vitam, & satietatem omnis boni. Hæc est vera sapientia haurire guttas, sed in suo fonte: gaudere creaturis, sed in suo Creatore.

AXIO-

AXIOMA XII.

Horæ unius negotium eſt æternitas.

ITa Mater S. Symphoriani parvulum filium ad Martyrium animavit; alii verò paulò aliter dicere conſueverunt: *Momentum*, unde pendet *æternitas*.

Exegeſis.

Quia ut Idiota dicere ſolebat, qualem mors invenit hominem, talem homo invenit mortem, bonam ſcilicet vel malam; nam qualis mors, talis ſors: vel: ſicut vita, mors ita. Hinc rectè hortatur pius Aſceta in Chriſti Perſona: *Thom. Kemp. l.3.c.47.* O ſi vidiſſes Sanctorum in cœlo coronas perpetuas, quantâ quoque nunc exultant gloriâ (qui huic Mundo olim contemptibiles, & quaſi vitâ ipsâ indigni putabantur) profectò te ſtatim humiliares uſque ad terram & affectares potius omnibus ſubeſſe, quàm uni præeſſe; nec hujus vitæ lætos dies concupiſceres, ſed magis pro Deo tribulari gauderes, & pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres. O ſi tibi hæc ſaperent, quomodo auderes vel ſemel conqueri? Nonne pro vita æternâ cuncta laborioſa ſunt toleranda? Non eſt parum quid, perdere aut lucrari Regnum Dei. Leva igitur faciem tuam in cœlum: Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc ſeculo magnum habuêre certamen, modò gaudent, modò conſolantur, modò ſecuri ſunt, modò requieſcunt, & ſine fine mecum in regno patris *lib.2.c.13.* mei permanebunt. Hinc P. Vincentius Caraffa dicere ſolebat: *ut aliquid rectè faciamus, oportet nos eſſe ſicut rotas in curru Ezechielis Prophetæ, undique plenos oculis; quos habemus ſemper defixos in æternitate, quæ nos exſpectat, ſeu beata ſeu miſera, prout in hac vita meremur.*

AXIOMA XIII.

Aut pati, aut mori.

Pinnequin. p.1.c.19. n.6. ITa S. Thereſia dicere ſolebat; uti & S. Magdalena de Pazzis: *purum fel, nullum mel.*

Exegeſis.

lib.5. vitæ c.10. Quia ut S. Ignatius dicere ſolebat: *Compendioſiſſima ad perfectionem via eſt, ſi multa adverſa, magnaq; pro Chriſti amore patiare. Et pete tu hanc gratiam à Deo. Nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit: hoc enim beneficio multa, magnaq; ejus continentur beneficia.* Et aliàs: *Cuidam graviter adverſa ferenti, ſi te faciat Deus multa pati, ſignum*, inquiebat, *eſt velle te magnum fatere Sanctum: Si verò tu cupias magnus fieri Sanctus, roga eum, ut magnam tibi patiendi materiam donet, neq; enim lignum aptius excitando foco amoris Dei, quam lignum S. Crucis eſt, quo uſus Chriſtus ad ſacrificium charitatis immenſæ.* Quod etiam confirmans P. Vincentius Caraffa, O bona crux! dicebat: Si capis hoc ſapis. Breviſſima via perveniendi ad apicem virtutum, præcipuè charitatis; via eſt, quâ itur ad montem Calvariæ, ut ibi crucifigamur. Si, cui multa Deus immittit, quæ patiatur, ſignum eſt, quod eum valdè amet, & compendio ſanctum facere velit. Hinc S. Xaverius dicebat: *Equidem ſic mihi perſuadeo; Crucis Chriſti Domini amatores vitam, ejuſmodi exercitam arumnis beatam ducere: Crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis inſtar putare. Quæ enim mors acerbior eſſe poteſt, quàm ſine Chriſto, ubi ſemel guſtaveris eum, vivere; eumque deſerere, tuas, ut ſequaris, cupiditates? Mihi credite, nulla crux eſt cum hac comparanda.* Hinc ex quo inferebat P. Caraffa: Ut qui ori Chriſti crucifixi fel dulce facere vellet, miſcendo mel conſolationis terrenæ, is tolleret, vel minueret illum ſaporem divinum, quem percipit ille, qui purum deguſtat. Ita ſi doloribus adhibeantur media delicata, perdunt ſinceram illam dulcedinem, quæ ſola placet guſtui animæ Chriſtum amantis, quamvis carnali palato non aliud videatur, quàm amaritudo. S. Franciſcus Borgia verò dicere ſolebat pro confirmatione horum omnium: Si quis videt tribulationes ingredi ſua limina, gaudeat: quia ſunt præcurſores Domini, qui patent ei locum. Et ſi deſiderat ſubire montem Calvariæ, ut videat Chriſtum crucifixum & dicat: *Verè Filius Dei erat iſte*; delectetur cruce, quæ venit: Quia eſt ſignum, quòd citò ſit evaſurus in montem. Nam priùs impoſuerunt eam Chriſto, quàm montem aſcenderet. Sic etiam tonitrua & fulgura ſignum fuerunt, quòd Moyſes jam ſubierit montem. *l.1.ep.1.*

AXIOMA XIV.

Contra minas, & convitia veritas & patientia, & in bene agendo perſeverantia ſunt arma omnium potentiſſima.

ITa P. Jacobus Laynes ſecundus Societatis Jeſu Generalis dicere ſolebat, idque propria experientia didicerat, uti ex vita ipſius colligere licet.

Exegeſis.

Hinc Thomas Kempenſis in Perſona Chriſti hortatur: *Fili ambula coram me in veritate, & in ſimplicitate cordis tui, quare ſemper. Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incurſibus malis, & veritas liberabit eum à ſeductoribus & detractionibus iniquorum. Si veritas te liberaverit, verè liber eris, & non curabis de vanis hominum verbis.* Et iterum: *Teſtimonium hominum ſæpè fallit; meum judicium verum eſt, ſtabit, & non ſubvertetur: Latet plerumque, & paucis ad ſingula patet: nunquam tamen errat, nec errare poteſt, etiamſi oculis inſipientium non rectum videatur. Ad me ergo currendum eſt in omni judicio, nec proprio innitendum arbitrio; juſtus enim non conturbabitur, quicquid à Deo ei acciderit. Etiamſi injuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit. Sed nec vanè exultabit, ſi per alios rationabiliter excuſetur. Penſat namque, quid ego ſum ſcrutans corda & renes, qui non judico ſecundùm faciem & humanam apparentiam; nam ſæpè in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum judicio creditur laudabile.* *l.3.c.4.& 46.*

Hinc jam olim cùm Assueri tempore, quid omnium rerum fortissimum esset, disputaretur, illius sententia prælata est, qui veritati hoc præconium adscripsit. Quod verò etiam patientia scutum sit fortissimum contra ejusmodi minas & convitia, idem Author sequentibus verbis indicavit: *Fili nunquam securus es in hac vita, sed quò ad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria: Inter hostes versaris, & à dextris & à sinistris impugnaris, si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere; Insuper si non ponis cor tuum fixe in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. Oportet te ergo omnia viriliter pertransire, & potenti manu uti adversus objecta. Nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miseria.* Thom. Kemp. l. 3. c. 35.

AXIOMA XV.

Omnis terra, & nulla terra nobis patria est.

ITa sæpè memoratus P. Vincentius Caraffa in Epist. ad Societatem, sed & Seneca epist. 28. idem confirmat dicens: *Cum hac persuasione vivendum est. Non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est.*

Exegesis.

P. Vincent. Caraff. ep. ad Societ. Illic statua hæret, ubi erigitur; nec illò versum, ubi olim est ficta, magis, quam aliò propendet. Sic nostrum quemlibet par decet omnem ad locum collegium, habitationem facilitas & æqualitas: nec major in patriam, quàm in aliam partem propensio. Omnis terra & nulla terra nobis patria est. Ad omnes vocamur, ubique gentium; pari studio juvandos. Unum, si qua nobis patria, cœlum est; ubi nos Pater verus, ubi Paterna hæreditas exspectat. Omnis æquè cognata natio, gens omnis una est, adoptionis divino jure, fraternitate Christi Jesu, patrimonii æterni promissionibus conflata. Hinc iterum Seneca, *magna*, inquit, *& generosa res est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes, & cum Deo terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam Ephesum, aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est, quodcunque supernè universa circuitu cingit. Hoc omne convexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina secernens etiam conjungit, intra quod disposita Numina actus suos excubant.* ℣. 101.

AXIOMA XVI.

Subitus calor longum teporem vincit.

ITa S. Hieronymus in epistola ad Paulam, per hoc eam ad fervorem in servitio Dei animans, ut, quod per teporem præcedentem neglectum est, per subsequentem fervorem compensetur.

Exegesis.

S. Thom. in ep. ad Eph. c. 5. Hinc S. Thomas dixit: Contigit quandoque, quòd aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc est tempus perditum; sed quomodo redimet, cùm homo non sufficiat ad debita persolvenda? Respondeo. dicendum est, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò priùs institit malis. Nam ut S. Hieronymus ait, subitus calor longum teporem vincit. Hinc cùm quondam S. Gertrudis peteret à DEO, & Sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, & defectuum non recordaretur amplius, rapta est à Christo in cœlum, & cum veste laciniis & centonibus consuta coram Patre cœlesti apparuit; ubi, quàm primùm Christus pro ea peroravit, & pretium vitæ ac sanguinis obtulit, derepente vestis illa, in qua omnes illius defectus distinctè repræsentabantur, laminâ aurea, instar chrystalli lucidâ cooperta fuit. Nec malè alii idipsum per viatorum exemplum declarant, qui, ubi se tardiùs processisse, & Socios longè ante se reliquisse advertunt, præcedentem tarditatem celeritate cursus compensant. Hinc meritò S. Ignatius suos his verbis hortatus est: *Quo circa per Jesum Christum vos oro, & obtestor, ut nullam unquam in divino servitio teporem admittatis, quandoquidem arcum frangit remissio*; & contrà, ut sacra Pagina testatur, *anima operantium impinguabitur.* in epist. de perfect. c. 3. Prov. c. 13.

AXIOMA XVII.

Qualis vir, talis oratio.

ITa Martinus Braccharensis in Maximis; & Seneca in Proverbiis.

Exegesis.

Quia ex abundantia cordis os loquitur. Hinc idem Martinus colligit, quòd imago animi, sermo sit; & ideo meritò dixerit non nemo: *Loquere adolescens, ut videam te.* Apertiùs verò hanc causam indicavit Thomas Kempensis, dum dixit: *Quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur: cùm tamen rarò sine lasione conscientiæ ad silentium redimus? ideo tam libenter loquimur, quia per multas locutiones ab invicem consolari quærimus: & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus; vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare.* Lib. 1. c. 10. n. 1.

AXIOMA XVIII.

In Societate obedientem, & sanctum esse una res sunt.

ITa P. Vincentius Caraffa l. 2. vit. c. 6. ubi Author vitæ sic loquitur: Supereſt mihi de obedientia dicendum, quam tanti faciebat Vincentius, ut affirmaret legum, Præsidumque observantiam & sanctitatem, diversa quidem esse nomina, sed rem eandem. Propterea ut erat hujus perquàm studiosus, ita nunquam eum quisquam vidit ab ipso societatis ingressu ad finem

usque

uſque vitæ, id eſt, ſpatio 45. annorum vitium ullum; etiam leve contra obedientiam admittere.

Exegeſis.

Ratio eſt quia ex una parte Sanctitas in charitatis, & aliarum virtutum ei ſubordinatarum poſſeſſione conſiſtit; ex altera vero obedientia; teſte S. Gregorio: *Sola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertâſque cuſtodit.* Hinc & à S. Auguſtino, *Mater aliarum virtutum* appellatur. Et B. Catharina Bononienſis dicebat: *Quis dubitare poteſt de ſua ſalute, ſi vitam finiat in obedientia, quæ ſuo Domino ſimiliorem facit, quàm ulla alia virtus.* Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro ſuo fundamento, & credat firmiter; ſe meliùs ſalvandum per illam, quàm per ullam pœnitentiam, jejunium, & contemplationem.

S. Gregor. l. 35. mor.

§. 7. de arm.

AXIOMA XIX.

Totum ſummum, totum perfectum.

ITa P. Vincentius Caraffa in Epiſt. ad Societatem ſic loquens: Autor erat Hieronymus Paulino, nihil in ſe mediocre eſſe contentus eſſet: totum ſummum, totum perfectum deſideraret. Non diſſari animo S. Parens noſter ſummum nos virtutis apicem ſpreta vult mediocritate prenſare, & divino fultos auxilio perfectiſſima conſectari.

Exegeſis.

Quia ſummos ſumma decent. Hinc S. David templum Deo ædificaturus dicebat: *Totis viribus præparavi impenſas domus Domini; non enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Præterea ſicut jaculatores, ut centrum metæ faciliùs, certiùſque attingant, ſemper paulò altiùs collimant, ita perfectionis ſtudioſi, ut eam aſſequantur, ad altiora defigunt animum.

AXIOMA XX.

Nos rès ſibi, ſed ſe rebus ſubmittere oportet.

Vit. l. 5. c. 11.

ITa S. Ignatius dicere ſolitus, teſte Ribadeneira: In rebus gerendis illud inprimis tenendum, ut te rebus, non res tibi ſubmittas: hoc eſt, ut rei gerendæ, non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque utilitati diligenter ſervias & tempori.

Exegeſis.

Quia cùm negotiorum felix ſucceſſus plerumque ab opportunitate temporis dependeat, atque adeò ea differri non expediat, niſi te illis accommodes, & ſuo quæque tempore adminiſtres, confuſio ordinis, & negotiorum, atque adeò infelix quoque ſucceſſus ſequetur.

AXIOMA XXI.

Non qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.

ITa S. Paulus, quod etiam Jeremias confirmavit, dicens: *Sana me, Domine, & ſanabor. Salvum me fac, & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es.*

2. Cor. 10. v. 18. Jerem. c. 17. v. 14.

Exegeſis.

Quia laus vera ſupponit perfectionem operis, propter quod aliquis laudabilis efficitur; atqui hanc perfectionem non cognoſcit is, qui ſe commendat; cùm meritò dicere poſſit cum S. Paulo: *Et ſi nihil mihi conſcius ſum, non tamen propter hoc juſtificatus ſum.* Cùm ergo ſolus Deus hanc perfectionem cognoſcat; ille ſolùm probatus cenſeri debet, quem Deus commendat. Hinc rectè S. Auguſtinus dixit: *Securitas laudis in laude Dei eſt; ubi laudator ſecurus eſt, ubi non timet, ne te laudato erubeſcat.* Meritò ergo dicebat S. Franciſcus: *Quantum unusquiſque eſt in oculis tuis, tantum eſt, & non amplius.*

1. Cor. 4. v. 4.

In Pſal.

AXIOMA XXII.

Qui gaudet laudibus, perdit laudes.

ITA Wigo de tranquill. animi c. 7. cui etiam S. Auguſtinus conſentit dicens: *eſſe humilem, eſt nolle laudari in ſe; qui ergo in ſe laudari appetit, ſuperbus eſſe convincitur.*

S. Auguſt. in Pſalm.

Exegeſis.

Non enim poteſt laudari, qui vult laudari. Ille laudatur, cujus bona jactantur. Qui autem vult laudari, non ſolùm vacuus eſt vero bono, ſed inſuper plenus magno & Diabolico malo; nimirum magna arrogantia. Non ergo laudatur. Hinc rectè Wigo citatus dicit: Contemptus, aut parvi habitus doluiſti? Hoc ipſo contemnendum, ac parvi habendum fuiſſe, & ideo Jure id factum demonſtras. Niſi enim contemnendus, ac parvi habendus fuiſſes, contemni, aut parvi haberi nequaquam timuiſſes, aut doluiſſes. Hoc enim ipſo ſolo, vel maximè contemnendus, & parvi habendus es, quòd id times, aut doles. Prorſus non timet vilis haberi, nec contemni, niſi vilis & contemni dignus.

AXIOMA XXIII.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

ITa commune proverbium, & rectè, quia teſte S. Auguſtino: *Officium noſtrum non initio, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantum ſi bonum eſt; ſed præcipuè ſi bonum eſt, propter quod facimus, cogitemus.*

S. Aug. in Pſ. 118.

Exegesis.

Quia cum homo ad Deum, velut ultimum finem amandum & honorandum creatus sit, nisi omnia ad illius gloriam per bonam intentionem ordinat, nullius momenti erunt, uti rectè agnovit idem S. Augustinus dicens; *Quod bona intentione non facis, non tibi proderit; quia quomodo feceris, non quomodo evenerit, tibi imputabitur.*

Idem sup. c. 6. Matt.

AXIOMA XXIV.

Quid sis interest, non quid possideas.

ITa Martinus Braccarensis in Maximis. Hinc S. Augustinus dicere solebat: *Senti de Augustino, quidquid vis, sola in oculi Dei conscientia me non accuset.*

S. Aug. l. contra Secundinum.

Exegesis.

Ratio est, quia omnia bona terrena cuique tanquam dispensatori conceduntur; Unde non tam exiget Deus ab eo, quid concesserit possidendum, quàm quomodo illud dispensaverit, atque adeo quid sis (an scilicèt bonus, vel malus dispensator) interest, non quid possideas; cùm etiam ille, qui pauca accepit, auditurus sit: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Hinc sapienter Epictetus monuit: Nullâ alienâ præstantiâ efferaris animo. Si equus semet jactans diceret; sum pulcher: ferendum esset. Tu verò cùm insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere: scito, te bono equo superbire. Quid igitur est tuum? Usus visorum. Quapropter cùm in usu visorum ita moratus fueris, quemadmodum natura postulat, tum efferêris, tum etiam aliquo tuo bono lætaberis.

Matt. 25. v. 23.

Epictet. c. 11. Ench.

AXIOMA XXV.

Non quàm multis placeas, sed qualibus stude.

ITa iterum Martinus Braccharensis, in Maximis; ubi etiam addit: Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed plurimis.

Exegesis.

Quia cùm plerique hominum mali sint, & secundùm affectum judicent, placere illis non possunt opera bonorum; atque adeò illis displicere laudabile est; solum ergo proborum judicium attendendum est. Hinc rectè Epictetus monet: *Cùm facis aliquid, quod faciendum esse statuisti, nunquam recuses inter id agendum conspicis tametsi futurum est, ut vulgus de eo secus judicet. Nam si perperam facis, rem ipsam fuge. Sin rectè, quid eos vereris, qui non rectè reprehendunt.* Nec malè Epicurus apud Senecam sic scribit: *Hæc ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili* (addit Seneca) *condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes, cur placeas tibi, si is es, quem multi intelligunt? Introrsus bona tua spectent.* Ideo Democritus rectè dixit: *Unus mihi pro populo, & populus pro uno.* Bene & ille, quisquis fuit (ambigitur enim de Auctore.) cùm quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis pertineret, ad pauciſſimos perventuræ? *Satis sunt*, respondit, *mihi pauci, satis unus, satis nullus.*

c. 57.

Epist. 7.

Idem.

AXIOMA XXVI.

Facillimè bonus eris, si ea vitaveris, quæ vituperaveris.

ITa iterum Martinus Braccharensis in Maximis. Et ideo pius Asceta quoque monet: Ubique profectum tuum capias; ut si bona exempla videas, vel audias; ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraveris, cave, ne idem facias; aut si aliquando feciſti, citiùs emendare te studeas. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab aliis notaris.

Thom. Kemp. l. 1. c. 25. n. 3.

Exegesis.

Quia in aliorum actionibus considerandis plerumque satis oculati, & severi censores sumus, utpotè ab amore proprio non excæcati; quare si ea, quæ in aliis vituperamus, diligenter vitemus, non facilè ulli vitio succumbemus, sicque boni efficiemur.

AXIOMA XXVII.

Nihil impudentius animâ cupiente in vanitatibus confoveri.

ITa Wido de tranquillitate animi c. 10. ubi etiam doctrinam hanc similitudine mox subjicienda aptissimè declarat.

Exegesis.

Quia cùm rogas Deum, ut non auferat tibi aliquid, cui inhæsisti cupidè; idem est, ac si mulier â viro suo, in ipso adulterio deprehensa, cùm debeat petere veniam criminis, roget potiùs, ne interrumpat ei ipsius adulterii voluptatem. Non satis tibi est â Deo recedere, nisi ipsum ad hoc inclines, ut ea, quibus corrumperis fruendo, augeat, conservet, & coaptet; id est, formas corporum, sapores, & colores? quæ est adeò impudens mulier, ut dicat viro suo: Quære mihi illum aut illum, cujus consuetudine fruar; quia placuit mihi plus te; alioquin non quiescam? Tu tamen hoc facis viro tuo, id est, Deo, cùm præter ipsum aliquid diligens, id ipsum ab eo petis. Cùm dicis Deo, *da mihi hoc aut illud.* Hoc est dicere; *da mihi, in quo te offendam, & âte fornicer.* Cùm enim aliquid aliud ab eo, quàm ipsum petis, ipsa petitione tua scelus ei tuum; & defectionem ab eo ostendis, & nescis. Misericors vindicta, si sponsus sponsam suam adulteram deprehendens, ea tantùm subtrahit ei, quibus ad suam turpitudinem abutebatur.

Quàm

Quàm verò impudica, & inverecunda eſt ipſa, ſi ad injuriam hoc accipiat? Nulla alia ferè tibi eſt cauſa dolendi, niſi talis: id eſt, de ſubtractis libidinibus tuis. Ipſi ergo dolores tui arguunt libidines tuas ita, ut non ſit opus aliis teſtibus. Hæc ſolet à ſponſi oculis quælibet inverecunda & impudica mulier abſcondere: lachrymas, quas pro damnis, quæ contingunt adultero, & quas pro injuriis ab adultero, ſibi irato, illatis fundit; ipſas quoque injurias, ſimiliter & gaudia. Vide nunc, an id ſaltem tu erga Deum facias, an non apertè coram eo pro damnis adulterii tui, id eſt, mundi hujus, lugeas, & de proſperis exultes. *Frons ergo mulieris meretricis facta eſt tibi.* *Jer. 3. v. 3.*

AXIOMA XXVIII.

Occaſio hominem fragilem non facit, ſed, qualis ſit, oſtendit.

ITa Thomas Kempenſis l. 1. c. 19. dicens: *Quanta autem virtutis quiſque fuerit, melius patet occaſione adverſitatis. Occaſiones namque hominem fragilem non faciunt, ſed, qualis ſit, oſtendunt.*

Exegeſis.

Hinc in eadem occaſione v.g. ſectandæ voluptatis, alius per contemptum illarum ingentem ſibi laudis, meritorum, & aliorum fructuum copiam parat; alius in ſcelera per admiſſam voluptatem proruit, & grandia mala ipſamque damnationem ſibi accerſit. Unde ſicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; ita iis, qui eum oderunt, & offendere non verentur, univerſa in malum cedunt.

AXIOMA XXIX.

Omnium malorum radix, meum ac tuum.

ITa Martinus Braccharenſis in Maximis dicens: Quietiſſimam vitam agerent in terris, ſi duo hæc verba â natura omnium rerum tollerent; *meum ac tuum.*

Exegeſis.

Quia omnes lites ac turbationes mentis oriuntur in nobis â concupiſcentiis noſtris; atqui hæc ipſa concupiſcentia (inordinata intellige) nihil aliud eſt, quàm mei & tui appetentia; ergo meritò dicitur, iis ſublatis homines quietiſſimam vitam ducturos, ſicuti de facto Beati ſimilem vitam ducunt; eò quòd non reperiatur apud illos meum ac tuum; frigidum illud verbum, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram invehens, innumeraque gignens bella, ut S. Chryſoſtomus in oratione de S. Philogonio loquitur.

AXIOMA XXX.

In Chriſtianis non laudantur exordia, ſed finis.

ITa S. Hieronymus l. 1. contra Jovin. his verbis: *Non quaruntur in Chriſtianis initia, ſed finis & perſeverantia. Paulus malè cœpit, ſed benè finivit. Judæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.*

Exegeſis.

Quia, ut rectè S. Gregorius dixit; *Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; quia fruſtra velociter currit, qui priùs, quàm ad metas venerat, deficit.* Hinc meritò S. Bernardus dicebat: *Abſque perſeverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur: vigor virtutum conſummatio eſt. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* *Lib. 1. mor.* *Epiſt. 129.*

AXIOMA XXXI.

Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipſum.

ITa ſæpè citatus Martinus Braccharenſis in Maximis, ubi & cauſam addit: *Alium potes effugere, te nunquam.*

Exegeſis.

Hinc rectè Epictetus: Pædagogo pueros nos tradiderunt Parentes, qui ubique obſervaret, ne quid læderemus: *Deus autem jam* viros inſitæ conſcientiæ cuſtodiendos tradidit, quæ quidem cuſtodia & conſecratio nequaquam contemnenda eſt, quia & Deo diſpliceret, & conſcientiæ ipſi nos hoſtes efficeremur. Unde & Poëta canit: *apud Balsam in Panar. v. eodem §. 2.*

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi Diſplicet Authori prima eſt hæc ultio, quòd ſe
Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ. *Juvenalis Satyr. 13.*

Quam ob rem Bias interrogatus, quid in vita metu careret? reſpondit: Bona conſcientia; è contrario verò infernus quidam & carcer animæ eſt rea conſcientia, teſte S. Bernardo. *S. Bern. ſer. 23. in Cant.*

§. III.

De Axiomatis ad Proximum ſpectantibus.

AXIOMA I.

Da mihi animas, cætera tolle tibi.

ITa Melchiſedech Sacerdos, qui oblatis variis ab Abrahamo hoſtium ſpoliis, nihil aliud, præter captivos reductos acceptavit, uti in ſacris videre eſt; quòd dictum meritò ab iis, qui curam animarum ſuſceperunt, obſervari oportet, ut ſcilicet per curam & laborem nihil aliud quærant, quàm ipſarum animarum ſalutem, & lucrum. *Geneſis c. 14. v. 21.*

Exegeſis.

Quia cùm omnium divinorum diviniſſimum ſit, teſte S. Dionyſio Areopagita, cooperari Deo in ſalutem animarum, major apud ipſum gratia iniri non poterit, quàm huic ipſius voluntati, *S. Dionyſ. c. 3. de Hier.*

Chryſoſt. hom 3. l. ad Cor. 1. tati, quò ad ejus poteris, velificando. *Etſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam,* aurea Chryſoſtomi vox eſt. Imò *majus eſſe miraculum* cenſet M. Gregorius, *prædicationis verbo, atque orationis ſolatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum ſuſcitare.* Ampliùs quid dicam: majus hoc opus, certè Deo pluris eſt, quàm ipſa cœli, terræque creatio. Aves ſcire, quo id pacto? Laboris utrinque impendium attende. Ecce *ipſe* ſolùm *dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Non ſic in præſenti animarum negotio: pluris hæ ipſi, puta ſanguine pretioſiſſimo, vitâ quin ipsâ ſtetere. Sanè quo in pretio cenſuque apud Deum ſit alienæ ſalutis adminiſtratio, ipſe admodum Servator noſter iis apud dilectum Diſcipulum verbis luculenter expreſſit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterùm ſumam eam*; itaque exemplo meo cæteri homines redivivi, æternum mihi convivant. Ubi notant Sancti, minimè eum, ut poterat, dixiſſe: *Propterea me diligit Pater, quia in principio omnia per me creavit*, ſed: *quia ego pono animam meam*, pro recuperandis ſcilicet animabus perditis; ut hinc diſceremus, nihil planè cœleſti Patri hoc opere eſſe antiquius. Unde & Doctor Angelicus in illa Domini verba paulò antè poſita: *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*, obſervat, Chriſtum non hoc tantùm velle, ſe Patrem ea cognitionis plenitudine agnoſcere, quâ Pater nôrit ipſum (jam enim aliàs dixerat, *nemo novit Filium, niſi Pater*; *neq; Patrem quis novit, niſi Filius*) ſed, quemadmodùm obſequens filius, ſi cujus facti cauſam rogetur, reddere hanc ſolet: *Ego enim novi Patrem meum*, quaſi dicat, ſic ei placere, ſic velle ipſum novi; ad eundem modum ergo Chriſtum, qui ſe animam ſuam pro ovibus ſuis (rem ſcilicet nobiliſſimam pro re nihili) poſuiſſe dixiſſet, cauſam hujus rogatum, reſponſurum fuiſſe: *Ego agnoſco Patrem*, hoc eſt, pernovi voluntatem, adeoque voluptatem Patris mei, & quàm ipſi ſint in deliciis hæ oviculæ: hoc adeò me ſubigit, nec invitum, pro iisdem vitam ponere. Acres igitur hoc ipſum nobis ad captanda animorum lucra ſtimulos ſubjicere debet, nôſſe tantam propterea apud Deum gratiam iniri. Quare haud injuriâ D. Chryſoſtomus id, quod Dominus Petrum tertiò interrogavit: *Amas me?* totieſque affirmanti ſubjecit: *Paſce agnos meos*; Sic interpretatur, quaſi ei diſertè dixiſſet, hunc, quem dicis, tuum mei amorem, factis oſtendas volo; animabus, inquam, quas ſanguine meo mercatus ſum, paſcendis, fovendis, confirmandis.

Ps. 148. v. 5.

Joan. 10. v. 17.

S. Thomas Joan. 10. v. 15.

Matth. 11. v. 27.

Chryſoſt. de B. Philogon. & de Nativit. Dei Joan. 21.

AXIOMA II.

Pluris facienda eſt ſanitas Fratrum corporalis, quàm omnes mundi theſauri.

ITa S. Ignatius dicere ſolebat, teſte Ribadeneira l. 5. c. 8. quod dum enarravit Lyræus, in hæc verba prorupit: O aureum viri ſanctiſſimi juxta, ac prudentiſſimi Apophthegma, dignum profectò, quod non Apollinis cujusdam Delphici foribus, ſed omnium præpoſitorum cordibus inſcribatur, tum ad tanti, tamque excellentis herois laudem ac commendationem, tum verò ad præſtantiſſimam Rectorum omnium inſtitutionem! quem namque is ſumptum ferre, quam impenſam ultrò ſuſtinere, curamve refugiſſet, ut ægris fieret benè; qui & Migdonias opes, & Arabum Gazas, Crœſique divitias, ſi fortè ſuppetiviſſent, etiam minimi familiaris ſui ſolatio, ſalutique vel comparandæ, vel cuſtodiendæ ſtatuerat erogare?

Exegeſis.

Ratio, quæ ad hanc charitatem movebat, erat, quia, *cum homo ægrotare cœpit, rarò aliquid boni poteſt in aliorum utilitatem facere; quando verò ſanus eſt, multa bona poteſt præſtare.* Quæ cauſa fuit, cur Pyrrhus Rex Epirotarum, cùm Diis immolaret, non Regni ſui dilatationem, aut contra hoſtes victoriam, non opes aut gloriam, ſed ſanitatem tantùm petere ſoleret, teſte Cælio Rodigino; & Albertus Auſtrius interrogatus, quænam eſſet jucundiſſima poſſeſſio, reſponderit: *ſanitas, cujus theſaurus tam pretioſus eſt, ut quidvis potiùs perpeti debeat homo, quàm eam ſibi eripi ſinat.* Neque verbis hunc ſuum affectum magis, quàm operibus declaravit S. Ignatius. Accidit, cùm ipſe graviſſimè langueret, & ad illum ſublevandum, Patrum, qui Romæ tum quidem erant, precibus cogeretur, temporaneum Vicarium admittere, omnibus, quæ domeſticus Miniſter ad ſe referre ex præſcripta officii ſui regula deberet, in Vicarium rejectis, illa tantùm exceperit, quæ ad curam, ſalutemque eorum, qui ægra eſſent valetudine, pertinerent; hæc enim ad ſe tunc quoque referri volebat. Addit verò idem Ribadeneira ad rei tantæ confirmationem, quod ipſe hâc in parte fuerat expertus: Cùm, inquit, ægrotanti mihi de nocte ſanguis ex brachio eſſet extractus, cuſtodesque, qui excubias agerent, Ignatius appoſuiſſet, reliqui verò ſe quieti dediſſent, ad multam noctem, aliis dormientibus, bonus ſollicitusque Pater vigilabat. Bis terve miſit, qui brachium exploraret, circumligatúmne eſſet commodè: ne fortè ſolutâ venâ ſanguis efflueret, & ſubitum (quod nonnullis evenit) interitum adferret, & erat tunc dictus Ribadeneira circiter quindecim annos natus. Imò contigit non rarò, ut alios excitari nolens, aut ſomnum eorum interturbari, ipſemet præſertim Novitios, tanquam minorem ſui curam gerentes adiret, &, num benè haberent, brachiumque tutò colligatum foret, inquireret. Aliàs duo Tyrones, unus Hiſpanus, Gallus alter, ut Auctor eſt Daniel Bartolus, vix pedem in domum intulerant, cùm in morbum inciderunt; erat autem res familiaris admodùm anguſta, plures domi variis morbis proſtrati, quare fuit, qui eos cenſeret ad noſocomium deportandos, donec valetudinem recuperaſſent: Nequaquam verò, nequaquam id fiat, ait vir ſanctus: An domi noſtræ locus non erit eis, qui mundum totum pro Deo reliquere? Quæratur locus, illis proſpiciatur, & Deus propter illos nobis quoque providebit.

Ribad. l. 5. c. 8.

lib. 7. c. 24.

lib. 3.

videbit. Hinc meritò S. Gregorius; *Boni*, inquit, *Rectores, etſi jam ſumma contemplando appetant, neceſſitatibus tamen infirmantium compatiendo miſcentur: Quia tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & cùm benignè deſcendit ad infima, valenter recurrit ad ſumma.*

S. Greg. in Paſt.

AXIOMA III.

Gubernatio & crucifixio nomine, non re differunt.

ITa P. Vincentius Caraffa dicere ſolitus: Officia gubernationis in ſocietate ſunt crux quædam, ſimilis cruci Chriſti, quæ ſpecioſum titulum habet, ſed ſupra ſpinas. Et ſpinarum quidem punctura ſentiuntur, tituli verò apparentia ſola delectat, ſed non ſanat vulnera, nec mitigat dolorem.

lib. 1. vit. c. 7.

Exegeſis.

Tales ſpinæ ſunt ſollicitudines, & anxietates variæ de ratione Deo & ſuperioribus mediatis reddenda; de ſuſtentatione ſubditorum; de eorundem defectibus curandis & ſupportandis; de muneribus ordinis rectè diſpenſandis & obeundis; de ſecularium odiis, murmurationibus, & perſecutionibus perferendis; ratione quarum meritò dicere poſſunt ſuperiores cum Rebecca: *Siſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere.* Multique nunquam ſuſcepturi fuiſſent hanc crucem, niſi Simonem, ſeu obedientiam in ea portanda ſocium & adjutorem haberent.

Gen. 25. v. 22.

AXIOMA IV.

Charitas & prudentia facit, ut omnium Nationum ſimus.

ITa P. Jacobus Laynius ſecundus Societatis Jeſu Generalis in epiſtola ad Petrum Caniſium Anno 1552. ſcripta.

Exegeſis.

Qui enim per prudentiam ſibi præfigit legitimum finem, nempe ſolum Deum, & hunc ſolum etiam per charitatem quærit, & amplectitur, eundem in omnibus etiam inveniet, atque adeò nullam perſonarum diſtinctionem attendet, ſed dicet cum S. Paulo: *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Unde & verificabitur illud Philoſophorum axioma: *Quæ ſunt eadem cum uno tertio, ſunt etiam eadem inter ſe.*

Rom. 3. v. 22.

AXIOMA V.

Cum Proximo agendum, ut cum ſclopeto.

ITA S. Franciſcus Borgias dicere ſolebat, uti in vita ejuſdem l. 4. c. 8. refertur; quibus verbis indicare ſolebat, ſicut minorem quantitatem pulveris in parvulum ſclopetum, quàm in magnum, imponimus, ita doctrinas noſtras, & conſilia eorum, quibuscum agimus, viribus eſſe accommodanda.

Exegeſis.

Quia ſicut, ſi ultra debitam menſuram ſclopetum oneretur, rumpitur; ita ſi plùs, quàm oportet, ab iis, quorum curam ſuſcepimus, exigamus, plùs illos deſtruemus, quàm ædificabimus. Hinc S. Ambroſius ait; *aliter cum potentibus Mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus agendum eſt, aliter iterum cum manſuetis, aliter cum iratis, quibus cedere oportet.* Quo in genere iterum laudatur S. Patris noſtri Ignatii prudentia, qui voluntates ac naturas eorum, quibuſcum agebat, feſtinè odorari, ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponere, & ſuo, quod ajunt, hamo, vel eſca quemcunque piſcari ſolebat. Atque ut bonus Agricola non tantum rectas ac fructuoſas arbores, ſed etiam depravatas, neque ita fertiles colit, eaſque adminiculis erigit, vel circumcidendo caſtigat, vel ſub aliena latentibus umbra cœlum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; ſic ille rerum difficultate nunquam exteritus, diſpiciebat inprimis, quod ingenium qua ratione tractandum eſſet, iisdemque morbis ſæpe pro varietate naturæ, non diverſas modò, ſed & contrarias inter ſe medicinas attribuere conſueverat. Ut veraciter dicere cum S. Paulo poſſet: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.*

In c. 4. Goloſſ.

1. Cor. 9. v. 22.

AXIOMA VI.

Dilige, & dic, quod vis.

ITa S. Auguſtinus dicens: *Semel tibi præceptum præcipitur: Dilige & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas: ſive clamas, dilectione clames; ſive emendes, dilectione emendes; ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice non bonum procedere.*

Tr. 7. in epiſt. 1. Jo. c. 3.

Exegeſis.

Rationem hujus doctrinæ dedit ſenex ille, qui dicere ſolebat: *Si quis cum humilitate & timore injungat fratri aliquid facere, ſermo ipſe, qui propter DEUM egreditur, facit fratrem illum ſubjectum exiſtere, & implere, quod fuerit imperatum; ſi quis autem voluerit jubere fratri, & hoc non ſecundùm timorem DEI fecerit, ſed contra per authoritatem volens ſibi in eo poteſtatem defendere, DEUS, qui videt occulta cordis, non permittit eum audire, vel facere, quod jubetur. Quod à DEO eſt, cum humilitate & obſecratione imperatur, quod autem ex poteſtate, cum furore & perturbatione, utpotè quod à maligno eſt. Nimirum leniter caſtigatus exhibet reverentiam caſtiganti, aſperitate autem nimiæ increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem,* ut re-

In vit. PP. l. 5. c. 15.

S. Prosper. l. 2. de vita contemplat. Lanciz. opusc. 1. fol. 81.

ctè S. Prosper dixit. Aliam ejusdem doctrinæ rationem dedit ipse Deus, qui quondam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dixit: *Maximè felix spiritus, qui hodie regnat in terra, est ille S. Ignatii: quia ejus filii in conducendis animabus ad Deum præcipuè procurant dare notitiam, quanti momenti sit agere cum Deo, quia hoc exercitium facit, ut cum facilitate res arduas amplectantur, propter lumen, quod accipiunt à Deo in oratione.* Aliàs eidem Beatæ ostendit, se in spiritu S. Joannis Evangelistæ, & S. Ignatii mirè sibi complacere, quòd uterque conatus sit per viam amoris homines ad suum ultimum finem perducere; additque hanc complacentiam toties sibi renovari, quoties S. Ignatii filii eundem modum in convertendis peccatoribus tenent. Benè itaque notet hanc doctrinam Operarius, certòque sibi persuadeat, hanc viam & compendiosissimam, & efficacissimam esse ad peccatores convertendos, id quod olim majores appolito apologo significarunt dum finxerunt, solem & Aquilonem quondam in certamen venisse, uter eorum majoribus viribus & potentiâ polleret; cùmque ad hoc certamen finiendum communi consensu decrevissent, eum pro fortiori habendum, qui viatori tunc fortè propè ipsos transeunti pallium citiùs erepturus esset, Aquilo mox magno impetu flatuque viatorem invasit, verùm plus non effecit, quàm ut viator arctiùs sibi pallium adstringeret; sed cùm sol paulatim radios per pallium immisisset, ita viator incaluit, ut sine alia violentia ultrò pallium abjiceret.

Simile quid experiuntur operarii, qui radios amoris divini in animarum sibi commissarum pectora jaculantur, sicque efficiunt, ut ultrò malas consuetudines exuant, dum interea ii, qui per violentiam asperarum increpationum id efficere conantur, nihil aliud obtinent, quàm ut exasperati animi pertinaciùs in suis erroribus vitiisque perseverent! nimirum non frustra Christus suis Apostolis dixit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem in animabus vestris.*

Matth. 11. v. 29.

AXIOMA VII.

Oratorem te puta, si quod alios doces, tibi ipsi persuaseris.

ITa Martinus Braccharensis in Maximis.

Exegesis.

Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Id quod facit, qui, quod alios docet, ipse non observat. Hinc sapienter S. Bernardus: *Si sapis*, ait, *concham te exhibebis, & non canalem; hic siquidem penè simul recipit, & effundit; illa verò donec impleatur, exspectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat.*

serm. 18. sup. Cant.

AXIOMA VIII.

Talis esto erga omnes, qualis erga te veritas existit.

ITa Wigo de tranquillitate animi c. 15. ubi addit: *Qualem te sustinuit, & amavit, ut meliorem faceret; tales sustine, & ama, ut meliores facias.*

Exegesis.

Nam blasphemas Medicum, desperando ægrotum. Tam facilis enim est ejus sanitas, quanta illius in medendo potestas & benignitas. Vide, ne propter opus hominis, contemnas opus Dei.

AXIOMA IX.

Curam, non curationem exigit ab Operariis Deus.

ITa S. Bernardus ad Eugenium scribens: *Noli diffidere*, inquit, *curam exigeris, non curationem. Denique audisti: curam habe illius, & non cura, vel sana illum.*

lib. 4. de consid. 2.

Exegesis.

Quia *non est in Medico semper relevetur ut æger. At melius tibi propende tuis. Paulus loquitur: Plus omnibus laboravi, non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissimè vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum laborem accipiet, non secundum proventum. Ita quæso & tu fac, quod tuum est; nam Deus, quod suum est faciet; satis absque tua anxietate & sollicitudine curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas expleveristi partes: sanè incrementum, ubi voluerit, dabit Deus. Ubi fortè noluerit, tibi deperibit nihil, dicente scriptura: Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus.* Quod ipsum etiam B. Virgo S. Brigittæ olim sequentibus verbis insinuavit: *Amici Dei non habent attendiari in servitio Dei, sed laborare, ut homo malus fiat melior; & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicunque haberet voluntatem sibilandi in aures omnium transeuntium, quòd Jesus Christus esset verè filius Dei, & faciendo conaretur, quantùm posset, ad aliorum conversionem, licèt nulli vel pauci converterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur, sicut per exemplum dico tibi: si duo mercenarii ex præcepto Domini foderent montem durissimum, & alius inveniret aurum electum, alius verò nihil. Isti propter laborem & voluntatem digni essent æquali mercede.*

Sap. 10. lib. 4. Revel. l. c. 21.

AXIOMA X.

Ad conversionem animarum aptior est bonus Orator, quàm disertus Concionator.

ITa P. Vincentius Caraffa l. 2. c. 13. per Oratorem hoc loco intelligens virum orationi ac contemplationi deditum.

Quod ipsum etiam S. Bernardus indicare videtur, dum ait: *Nunc autem manent tria hæc: Verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio.*

S. Bernard. epist. 101.

Exege-

Exegeſis.

Ratio eſt, quia, ut S. Juſtinianus ſapienter advertit, *absque gratiæ adminiculo quis præſumere audeat, poſſe facere quidquam, dicente Domino; ſine me nihil poteſtis facere? Nam quamvis homo àſe, de ſe aliquid boni valeret, nihil omninò valet in altero; quoniam libero quisque utens arbitrio, ſuæ poteſtatis eſt, aſſenſum præbere ſuadenti. An non verba poſſumus veluti ſemina jactare, annunciare futuram felicitatem, & æterna ſupplicia? minimè tamen corda compungere, animum flectere, interiorem auditum aperire, affectum promovere, gratiam infundere. Hæc ſolius Dei ſunt, per conſenſum audientis & recipientis. Quemadmodum imber de cœlo cadens terram inebriat, & eam germinare facit, ac dare ſemen ſerenti, & panem ad manducandum; ſic & gratia cœleſtis, cùm in humanum cor labitur, rigat illud devotionis dulcedine, madefacit compunctionis rore, & perſancta deſideria virtutum, atque bonorum operum, fœcunditatem producit ad publicum, quatenus intuentes agnoſcant, non ex infructuoſa arbore, ſed de latente divinæ benedictionis radice, univerſa laudabilia geſta prodire. Prorſus humanus inutilis eſt arboris truncus, ſi non intrinſecùs gratia Dei operetur.* Unde S. Paulus ait: Ego plantavi, Apollo rigavit, DEUS incrementum dedit; Atqui hoc incrementum magis impetrat bonus Orator, quàm diſertus Concionator.

Lib. de compunct. coll. 2.

1. Cor. 3. v. 6.

AXIOMA XI.

Vires tuas amici magis ſentiant beneficiis, quàm injuriis.

ITa Martinus Braccharenſis in Maximis.

Exegeſis.

Quia ut Tullius ſapienter advertit, benevolentia beneficiis capitur maximè; ſecundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiamſi res fortè non ſuppetit.

Lib. 2. Offic.

Et S. Chryſoſtomo teſte: *mentem habentes magis beneficia, quam pœnæ ad mandatorum obedientiam attrahunt.* Cujus efficaciæ rationem reddens S. Bernardus: *Dabit operam ſapiens*, ait, *maledicos capere beneficiis atque obſequiis, monitisque ſalutaribus, & orationibus pro his ad Deum. Non ceſſabit ejusmodi carbones* ignis congerere ſuper caput maledici. An non tibi captus ille videtur, qui ſuffuſus ora rubore, quippe proprium erubeſcens judicium, ipſe ſuæ confuſionis, & pœnitudinis teſtis eſt, ſive quòd oderit hominem amore digniſſimum; ſive quòd dilexerit tantùm verbo & linguâ eum, â quo ſe diligi opere & veritate vel ſerò eſt expertus.

Hom. 80.

Ser. 23. in Cant.

AXIOMA XII.

Magnarum rerum etſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus eſt ipſe conatus.

ITa idem Martinus Braccharenſis in citatis Maximis.

Exegeſis.

Quia, ut S. Chryſoſtomus alicubi notavit, *computat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem*; hinc etiam in antiquo Proverbio dicitur:

Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.
Wan man ſchon laiſt im Werck nit vill,
Iſt doch zu lobn der gute Will.

Et verò quod clarius exemplum pro confirmatione hujus doctrinæ adduci poteſt, quàm Chriſti, imò & ipſius DEI; quis enim negare poterit, honeſtiſſimos & ſummè laudabiles fuiſſe labores & conatus, quos pro ſalute cujusque hominis procuranda ſuſceperunt? & tamen in quàm multis conatus iſte ſuo effectu deſtituitur? Unde merito Catholicus quidam Poëta cecinit:

Fac, quantum poteris, tua ſitque intentio juſta,
Cætera ſupremo cuncta relinque Deo.
Sic niveâ intrabit mentem pax alma quadrigâ,
Et lætos pariet ſemper amica dies.
hoc eſt,
Wilſt vvahren Fried des Gmüts erhalten,
Mains gutt: thue, vvas kanſt: laſs GOtt vvalten.

AXIOMA XIII.

In converſatione ingreſſus aliis concedendus, exitus ſibi reſervandus.

ITa S. Ignatius, de quo ſic loquitur Daniel Bartoli l. 4. §. 36. Solemni ſuo carmine admonebat, id à noſtris fieri hominibus oportere, ut ſermonis ingreſſum externis facilè concederent, exitus ſibi reſervarent; quaſi verò acceptum quodcunque ſermonis metallum auro tingere, atque in illud vertere, utrorumque ſummoperè intereſſet.

Exegeſis.

Quia *verbum dulce* (id eſt, gratum audienti, quale vel maximè eſt, quo de rebus ipſius fit ſermo) *multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Et ut S. Ambroſius ſapienter advertit: *Nihil tam utile, quàm diligi; nihil tam inutile, quàm non amari. Itaque id agamus, ut omni ſedulitate commendemus exiſtimationem, opinionemque noſtram, ac primùm placiditate mentis, ex animi benignitate inſluamus in affectum hominum; popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, nihilque, quod tam facilè illabatur hominis ſenſibus. Ea, ſi manſuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborumque honore, patienti quoque ſermonum, vitæ, modeſtiæque adjuvetur gratia; incredibile, quantùm procedit ad cumulum dilectionis.* Hinc S. Franciſcus Xaverius ad P. Gaſparem Barzæum ſic ſcripſit: *Pravos cujuspiam mores emendaturus, non priùs manum admovebis, quàm intimos ejus perſpexeris ſenſus. Itaque magnoperè tibi ſuadeo, ut primum odoreris atq; inveſtiges, an is vitio aliquo, aut mentis*

Eccl. c. 5. v. 5.

l. 2. Offic. c. 1.

perturbatione occupatus, ab animi salute abhorreat. Si irâ, aut quâvis molestia perturbatum senseris, superfedendum erit monitoris officio, & affectus animus insinuatione quadam ac dulcedine orationis deliniendus: Ubi eum redegeris in ditionem, obnoxio ad arbitrium tuum leges salutis impones, quæcunque opus erunt, planè aperteque præscribes.

AXIOMA XIV.

Tantùm per nos operabitur Deus, quantùm se nostra in eum fiducia extenderit.

ITa S. Bernardus in Psal. *Qui habitat.* cui etiam S. Cyprianus consentit, dum in verba illa Deuteronomii: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit;* sic loquitur: *Pes vester utique spes vestra est, & quantumcunque illa processerit, obtinebit.*

Deut. c. 11. v. 24.

Exegesis.

Rationem hujus doctrinæ indicavit ipse Christus S. Mechtildi, dum dixit: *Perplacet mihi videre homines confidentes de mea bonitate; talis enim quicunq; est, & in hoc perseverat singulariter eum in hac vita remunerabor, & in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quantò plùs de me confidet, tantò plùs etiam à me consequetur; Impossibile enim est, ut, quod quis sanctè de me credidit, & consequi speravit, non obtineat, cùm hoc ipsum ego promiserim. Mihi igitur fidat, qui grandia à me exspectat.* Aliàs verò S. Gertrudi dixit: *Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire, & velle me ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, & manus porrigere ob gustum, quem ex eo, quòd totus à me pendeat, capio. Et meritò, si enim Artifex, qui opus aliquod præcipuum ad artem suam, & ingenium in eo ostendendum fecit, cupit illi suam perfectionem dare, caveque sedulò, ne quis dicto, vel facto malè id tractet; etsi forte detrimentum passum est, omni modo restaurare studet; quantò minus Deus patietur, ut homo, in quo omnem suum amorem & sapientiam ostendit, non pereat, sed omnem perfectionem acquirat?*

Blosius c. 11. monil. spir.

AXIOMA XV.

Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille (Deus) apponet ad adjutorium.

ITa Cæsarius lib. 3. ad Monach. ubi etiam addit: *Quantùm nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam.*

Exegesis.

Quia Deo saltem in omni opere à eo imperato cooperari debemus, juxta illud S. Augustini: *Qui creavit te sine te, salvabit te sine te.* Atque adeo meritò ille tantùm præbet auxilii, quantum nos per cooperationem nostram promeritos fuisse, advertit. Hinc S. Hieronymus dixit: *In promissis veritatis nemo dubitet. Sit homo, qui esse debet* (id est, cooperetur pro viribus) *& ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia;* sed & S. Gregorius in Mor. ait: *Tantò spes in Deo solidior surgit, quantò pro illo* (Deo) *graviora quisque pertulerit; quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic pia tribulatione seminatur.*

S. Hieron.

S. Greg. in moral.

PARS II.

Facta Ascetica complectens.

Proœmium.

ETiam hoc loco per facta Ascetica non intelliguntur quæcunque actiones, piæ & laudabiles, sed heroicæ, & generosam sui victoriam involventes, nec ex quocunq; motivo humano elicitæ, sed ardenti Perfectionis studio impetratæ; quales sat multæ hac in parte, ea intentione enarrabuntur, ut, quoniam exempla magis movent, quàm verba, etiam hoc subsidio non careant Ascetæ perfectionis studiosi. Quò verò efficacior sit hæc ipsa factorum Asceticorum enarratio, brevem cuique facto Glossam subjungam, qua vel præstantia tantæ actionis breviter ostendatur, vel aliorum de ea judicium indicetur; vel si difficilis imitatio videatur, modus eam facilitandi demonstretur. Unum tamen hoc loco Lectorem præmonitum velim; mirati videlicet, aut ægre ferre eum non debere, si exemplum actionis Asceticæ & Heroicæ hîc propositum, in alio quopiam libro meo, præcipuè jam enarratum invenerit; nam sicut idem nonnunquam condimentum pluribus cibis immiscetur; ita eadem quandoque historia ad diversos fines obtinendos proponi potest; sicut passim in libris historicis videre est. Alibi ergo si enarratæ sunt historiæ tales, communem cum aliis finem, titulumque habebant; hoc loco autem ex communi illarum acervo excerptæ & selectæ, solummodò, prout heroicam sui victoriam continent, proponentur, ut earum præstantiâ & pulchritudine illectus Lector, si non ad omnimodam, saltem aliqualem imitationem accendatur. Ut verò etiam faciliùs inveniantur eædem, visum est, hoc quoque loco ordinem Alphabeticum observandum.

A. Fa-

A.

FACTUM I.

Abſtinentia Heroica.

Joann. Rho lib. 7. var. hiſtor. c. 7. n. 1.

HEroicæ planè Abſtinentiæ exemplum S. Joannes Gualbertus Fundator & Incola Vallombroſani Monaſterii reliquit. Locus ibidem erat in media abietum ſylva peramœnus, cui ab æſtu non timeas obumbrantibus undique ramis. Fons ibi purus, & illimis ſupinâ erumpit venâ, ſed collectis aquis, depreſſoque in orbem ſolo nullâ elaboratam induſtriâ piſcinam implet. Huc concedebat Joannes, cùm urentem ſitim ampliùs tolerare non poſſet, neque tamen parato, atque innocenti remedio utebatur, verùm ut illam falleret, pedes ac manus frigidario illi ſatis habebat immergere, animumque pulcherrimo vicinorum montium ac vallium proſpectu paululùm recreatum in Deum erigere. Id ubi fecerat arido hiantique ore abire conſueverat.

Avertendum.

Quàm generoſa fuerit hæc victoria, vel ex eò æſtimes, quòd, cùm objecta præſentia magis moveant ſenſum, quàm abſentia, hoc ipſo magnâ opus fuerit violentiâ ad appetitum ab amplectendo objecto tam fortiter ſenſibus ablandienti avertendum. Unde & Epictetus ad ſimile factum excitans dicebat: *Si vehementer ſitieris, frigidam hauſtam expuito, ac nemini dicito.*

c. 70. Enchir.

FACTUM II.

Amor heroicus piè inſaniens.

Idem l. 1. c. 1. n. 1.

S. Maria Magdalena de Pazzis cùm totis præcordiis Deum acceperat, quod illi frequentiſſimum fuit, curſare per domum, obvias ſorores apprehenſa dextera ardentibus verbis ad amorem excitare, hortum ingredi, ſpatia citato greſſu conficere, identidem ſuccłamare: O Amorem! ad æris campani turrim accurrere, illudque totis connixa viribus pulſare cum illis vocibus: Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc amant. O amor! ſi mihi ferrea vox, quàm vocaliſſimè profectò inclamarem: Amate hunc amorem, mortales amate. Adhæc ardoris haud tolerans, brachia, & ſinum, frigida immergere, ac ſpargere conſueverat. Hæc illa in ipſo æſtu charitatis, quæ ex imo cordis, oceani inſtar effuſa in animæ facultates, minoris prudentiæ fines omnes obruit; eadem, cùm ſibi relinquebatur, mirum quantâ modeſtiâ eos ignes diſſimularet, quorum pallido in ore cineres gerebat.

Nimirum hæc eſt genuina ſolius Divini amoris proprietas, ut amatum etiam ab aliis velit amari, quod ſummè cavent, & horrent immodici rerum creatarum amatores. Hinc præclarè Nierenbergius: *Quid hæſitas, O anima, qui neceſſariò te amat fideliter, ut ames eum, qui perfidè forſitan te amabit? Infeliciter amabis bona, quæ ſi amet alius, ira-ſceris; aut homines, qui ſi ament alium, comburēris. Amor Dei immunis eſt dolore & curis: qui, quòd amet alios, gaudebis; & quod eum ament omnes, optabis. Hæc Dei ſufficientiſſima bonitas eſt, ut amet omnes, & ametur ab omnibus cum nullius jacturâ, vel amantis vel amati, ſed cum omnium majori gaudio. Reliqua imbecilla, & modica ſunt, quæ non ſufficiunt amare duos, vel amari à duobus, ſinè alterius fraude.*

Joſ. Euſeb. Nierenberg. l. 4. de Adorati c. 9.

FACTUM III.

Amor Heroicus admirandus.

MAria Victoria Furnaria Ordinis S. Franciſci, cùm tenerrimo quodam amoris ſenſu erga Deum afficeretur, ubi ab hominibus conſceleratis aliquid in eum peccatum audiret, magno edito ſuſpirio, veriſſimisque ſuffuſa lacrymis, non aliter, ac ſi telo icta eſſet, concidebat; quod animadverſum attentiores ſocias virgines reddidit, ne ad eam triſtis unquam hujusmodi famâ penetraret.

Jo. Rho l. 1. c. 1. n. 7.

Nimirùm cùm amans amatum perinde ut ſe diligat (hinc amantium cor unum, & anima una dicitur) graviſſimum malum, quale eſt peccatum, perinde ab amato, quàm à ſe abeſſe cupit. Hinc Magdalena Caraffa, matrona Neapolitana, eodem Authore teſte, ſi fortè inter colloquendum violatam ab impiis hominibus adamatam Numinis Majeſtatem audiſſet, turbari primùm, ac veluti improviſo attonita malo pallere, ut amantem non negaret; tum ſubducere ſe ab aliorum conſortio, atque abditum in conclave ſecedere, accuratisque precibus ac ſuppliciis divinam iram diligentiſſimè criminoſis deprecari. Noverat, Deum optimè amari, ſi ejus charitati vel inimicos ipſos commendamus, quibus dum ignoſcit, ſuo in amore triumphat Deus.

Idem ex 8.

P. Henricus Henriquetz è Societate Jeſu verò dicere ſolebat, inferos non ideo ſe deprecari, ne deterrimis pœnis cruciaretur, quas ſibi ſuiſque ſceleribus debitas non ignoraret; ſed ne inſanas illas voces contumelioſè in Deum debacchantium conſceleratorum audiret, quibus profectò amanti nihil intolerabilius eſſe poteſt. Quem eundem ſenſum etiam S. P. Ignatio fuiſſe, varii Authores teſtantur.

Ibidem n. 11.

FACTUM IV.

Caſtigatio corporis ſingulariter Heroica.

FElix Virgo Barberiana luſtrum integrum pernox perpetuò egit, &, cùm acrius ſua jura expoſcenti naturæ concedendum fuit, de die oculis paululùm connivebat.

Idem l. 7. c. 5. n. 5.

S. Petrus Alcantaranus Ordinis minorum

Idem l. 7.

 c. 5. n. 6.

cella usus est angustissima quatuor passus in profundum, tres in fronte, adeò humili, ut ipse, qui procerus esset, erecto corpore ibi esse non posset: somnum cepit reclinato in tigillum à pariete prominens capite, eique per quadraginta annos sesquihora tantummodò se permisit, quanquam sese pugnacissimè somnus ingereret. Tunicam ex laminis ferreis stanno tenuissimè illitis, quas mittit Germania (lattam Itali vocant) minutim pertusis, obversisque ad nuda membra punctiunculis, squammatæ in modum loricæ contextam septem annos indutus habuit, ut reliqua afflictationum vulgata interim dissimulemus; quare minimè mirum erit, quod traditum à Theresia legimus, arida, & arboris cortici simillima cute vix obducta ossa homini superfuisse. Pasicca Crogia loricam hamis consertam pondo sexaginta nudo appressam corpu-
Ibid. n. 12. sculo gestavit. Piscinæ conglaciatæ spinas injecit, seque nudam super, tum maximè ningente cœlo; in vepribus nuda sæpius membra volutavit, ac etiam somnum cepit: candentibus laminis, aut titionibus non semel se adussit, lardo, aut sevo igne guttatim stillantibus excoxit. Capillo se de trabe suspendit, gravi ad pedes alligato pondere; aut pedibus de eadem trabe pendens sublimis, capillis pondera innexuit, fumoque ex accensa subtus palea excruciata est.

Ibid. n. 14. S. Maria Magdalena de Pazz cilicium induit spinarum aculeis Cannabinæ insutis adeò horridum, ut ne aspectum quidem ferre possent voluptates, quum illa interim perfodi sibi pectus ac latera libentissimè toleraret. Eadem nudo pede detrita in tunica, sub Jove frigido ac ningente, in preces incubuit tantâ patientiâ, ut licèt diro à frigore intumescere ac cruentari crura, pedesque sentiret, læta nihilominùs perseveraret, ac demum nivibus propemodum obruta, vix sese inde agere posset.

Ibid. n. 15. Cornelia Lampugnana jussa à marito choreas ducere, ut eam saltandi voluptatem in dolorem verteret, cicerum durissima crepidis indidit, quæ saltu teneros in pedes adacta acerrimum doloris sensum, quo saltandi vindicaretur licentia, excitarent, ejus certè vim quum ferre non posset, linqui animo cœpit, & collapsa inter manus ancillarum relata est. Sed parùm hoc est, vincam in eo, quod sequitur expectationem: Quatuor integros annos genuflexa duravit diu noctuque, nimirum precari, legere, acu pingere, cibum capere, somno, ubi obstinacior incideret, paululum indulgere de genu, illi solemne fuit.

Ibid. n. 28. Antonius Corsus Capuccinus cùm & semper sibi iratus, atque implacabilis, tum destinato anni tempore incredibili cuidam odio indulgens, sexaginta sex supra sexcentas & sex millenas plagis per horas quinque continuata diriissima flagellatione lacerabat; cum enim numerum totidem à Christo toleratis olim flagellorum ictibus, sacrum esse dicebat. Hujus ille moris cùm plures haberet imitatores, tam ægrè Dæmon tulit, ut miris modis minax absterrere conaretur.

Hæc exempla non eo fine proposita sunt, ut undequaque imitemur (neque enim cuivis pumilioni concessum est Gigantium vestigia intrare) sed quàm vere dixerit nonnemo: *In amore non vivitur sine dolore*: atquè adeò illum, si occasiones patiendi ultrò à DEO non offerantur, aliundè eas accersere, ut se tantò efficacius probare possit amato; sicque verificetur dictum illud pii Ascetæ: *Quantò caro magis per afflictionem atteritur, tantò spiritus amplius* (in amore) *roboratur. Et nonnunquàm in tantum confortatur & affectu tribulationis & adversitatis, ob amorem conformitatis Crucis Christi, ut sine dolore ex tribulatione esse non vellet: Quoniam tantò se acceptiorem DEO credit, quantò plura & graviora pro eo perferre potuerit. Non est istud hominis virtus, sed gratia Christi, quæ tanta potest, & agit in carne fragili: ut quod naturaliter semper abhorret, & fugit, hoc fervore spiritus aggrediatur & diligat.* Thom. Kemp. l. 2. c. 12.

FACTUM V.

Constantia Heroica.

JOannes Perezius Ordinis Prædicatorum cùm in Ordinis petitione sæpiùs à Priore Cæsar augustani Conventus multa causante repulsam tulisset, rescivit tandem scabiosos, ac semicorruptos dentes fraudi sibi fuisse. Adolescens, qui prudentiam Prioris invalidam, & religiosis laboribus minùs aptam valetudinem inde suspicantis, minimè intelligebat, ratus eum fœdo aspectu offensum negâsse, quod petebatur, domum revertit, dentesque ad unum omnes evellit, atque ad Priorem adiens constantiæ miraculo, novòque eloquentiæ genere edentulus validissima virtute causam peroravit, & vicit. Rho l. 5. c. 13. n. 15.

Usque adeò scilicet verum est, quod communi proverbio circumfertur, constantiam esse potentissimum pro gratiis impetrandis Advocatum, ut non immerito ipse Servator Christus Luc. c. 11. Quomodo efficaciter orandum sit, Auditores instructurus, parabolam de amico post factam sæpiùs repulsam in panibus petendis perseverante attulerit, dixeritque: *Dico vobis, & si non dabit illi surgens, quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen illius (& constantiam) surget, & dabit ei quotquot habet necessarios.*"

FACTUM

FACTUM VI.

Contemptûs Heroicum desiderium.

Lyræus in Apoph. l. 1.

JOannes Crucius primus Carmelitarum excalceatorum Parens, dum multis exhaustis laboribus & ærumnis Segobiæ cum Deo familiarius loqueretur, seque ab eo interrogari persentisceret, quod præmium pro tot laboribus peteret? respondit: *Domine, pati & contemni propter te.*

Sciebat namque, quòd, ut ingeniosè nonnemo advertit, Deus & homo se habeant inter se comparati, sicut, quantitas continua, & discreta; atque adeò sicut, quò magis quantitas continua, v.g. lignum, minuitur per divisionem, tantò magis discreta quantitas, seu numerus, augetur; ita, quò magis homo per contemptum in oculis hominum minuitur, tantò magis Deus per gloriam ex contemptu tali ipsi resultantem exaltetur. Hinc sapienter Siracides suasit: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam coram Deo, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

Eccl. 3. v. 20.

D.

FACTUM VII.

Desolatio heroicè exoptata.

Blosius c. 10. Monilis spir.

QUidam DEI servus admirandas in oratione illustrationes à Deo acceperat; earum ille se ratus indignum, impensissimè eas à se auferri rogabat; audivit Deus orationem servi sui, eumque quinquennio integro, in summa spiritûs ariditate reliquit. Semel amarissimè lacrymanti duo Angeli ipsius conspectui sese objiciunt, consolaturi Dei servum, ad quos ipse: Non peto consolationem ullam. Abundè enim mihi sufficit, si Dei in me voluntas adimpleatur.

l. 1. de imit. c. 25.

Hinc & pius Author libelli de Imitat. rectè ad Deum sic loquitur: Domine, non sum dignus consolatione tua, nec aliqua spirituali visitatione: & adeò justè mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Unde nihil dignus sum, quàm flagellari, & puniri, quia graviter & sæpè te offendi: & in multis valdè deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione. Sed tu clemens & misericors DEUS, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omne proprium meritum, dignaris consolari servum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes.

FACTUM VIII.

Dilectio offensas proximi heroicè dissimulans.

Pennequin in Isag. dissert. 7. n. 24.

ACHillas venerabilis senex, & religiosissimus Eremi cultor, cum sanguinem quondam expuisset, & quidam ex eo causam rogâsset, respondit, id ex aculeato fratris verbo ortum esse; à quo nonnihil fuerat contristatus, voluisse tamen illud silentio involvere, & apud se patienter concoquere; idque ut faceret, gratiam à Deo postulâsse, illudque quodammodò versum in sanguinem; nam tùm in ore velut cruorem persensisse; quem ubi expuit, magna tranquillitate continuò fruitus est.

Ibidem n. 25.

Hunc gradum dilectionis tanti fecit lumen illud Eremi; & virtutum palæstra exercitatissimus Pimenius, ut in supremo charitatis gradu silentium illud collocaret: rogatus enim, quo pacto quis executioni mandare posset illa Christi verba; *majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, respondit: Si quis contumelia, aut verbo injurioso appetitus, cum innocentiam suam verbo verbum reponendo tueri potest, nihilominùs tacet, vimque sibi facit, ne verbo contristet fratrem, ille verè pro amico animam ponit. Unde rectè notat S. Athanasius, silentium Christi coram Pilato, tantæ fuisse ad persuadendum efficaciæ, ut inde innocentiæ testimonium Præses acciperet. O egregiam patientiam, & sæpenumerò victricem apud homines, apud Deum verò semper fructuosam, sæpiùs altissimæ pacis bono compensatam.

Joan. c. 15. v. 13.

FACTUM IX.

Dilectio heroicè & fructuosè sui prodiga.

Idem l. 1. c. 3. n. 10.

ELatus quondam iracundiâ, quam per temulentiam conceperat, Siciliæ Prorex, truci ac planè barbarâ voce Zingaros omnes illicò ad capitula columnarum in Peristillo suspendi, quasi majestatis compertos levissima de causa imperavit. Timentes Prætoriani, ac satellites, ne cunctatio proprium vertteret in periculum, exequi parant. Adest carnifex, injectoque laqueo, quem primum sors obtulerat, ad necem trahit. Ille vociferari, obniti, Dei hominumque fidem implorare, alienissima loqui à salute. Stabat miserorum agmen attonitum, vicina morte, cùm ex infelici grege unus: Me primum, inquit, mactate, hominique huic spatium date animo ad suprema componendo; Ego qui hesterna luce divinæ mensæ accubuerim, non moriar imparatus: Factum, quod dixit, lætusque ac magnæ spei securus animam pro alterius salute prodegit; vix enim huic fauces eliserat carnifex, cùm discussâ Principis insaniâ, subeunte impiæ humanitatis verecundia, dimissi omnes læti abiere.

O verè

l.c.15. O verè generosam charitatis victimam, dignam verissimo Christi præconio: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam quis ponat pro amicis suis:* quid mirum ergo, si tam eximiæ dilectioni eximium quoque in hac etiam vita tot hominum à morte redemptorum præmium concesserit Deus.

FACTUM X.

Dilectio heroicè intrepida.

Rho l.c. n.11. COnjecerant in cadaverum acervos spirantem adhuc hominem diri pestilentis necessitatis homines vespillones, in quibus crebra imago mortis sensum omnem extinguit humanitatis. Jacuerat integram noctem in illa mortuorum strue, mox albente cœlo, profundam in foveam vivæ calcis plenam projiciendus. Ibat fortè sub illam ipsam fatalem horam è Caroli disciplina sacerdos, Eucharistiam sub umbella, sacro hymnorum cantu, ad ægros deferens, quùm semimortuus ille, canentium vocibus excitatus, & labentia in morte membra, cubito connixus, attollens, media è cadaverum strage, lamentabili cum ejulatu, sacerdotem inclamat, atque obsecrat, ne divini se muneris expertem hinc abire patiatur. Inhorruit comitantibus sacrum Ferculum pilus, ut luridum illud os, & viventis mortis tabidum simulacrum conspexêre: at sacerdos victo, an dissimulato timore, per altam cadaverum saniem intrepidus vadens, procul spectante, & vicinum periculum horrente comitatu, disertissimum hominem, viatico immortalitatis inter ipsa mortis trophæa impertivit. Et verò quas ille mortes timeret, qui superûm pariter, hominumque vitam immortalem gestaret in manu?

Mirentur alii, excussum ab hoc sacerdote mortis timorem fuisse, non ego miror; qui enim vitam ipsam, & Authorem vitæ portaverat, quomodo mortem timere poterat. An
Psal.22. non tunc jure cum Psalmista dicere poterat: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

FACTUM XI.

Dilectio Inimici Heroica.

Rho l.11. c.5.n.6. CUm S. Thomas Villanova hominem de clero, quod corruptissimis moribus Ordini dedecori esset, paulò acriùs objurgâsset, ille contumacia elatus in Thomam invehi, eique insequi sacrorum Quæsitorum in familiaritatem adscitus esset, nihil ArchiEpiscopo juris esse, vociferari cœpit, adeò inverecundè, ut nisi Thomas se ipsum incusans, suorum iras repressisset, nonnisi malè mulctatus, inde abiturus fuisse videatur. Verùm peracto Quæsitoribus judicio, jubent illi hominem corripi, atque in vincula duci. Ejus rei nuncium Thomæ accumbenti quum esset allatum, exilivit, atque impransus conscensa mula ad Quæsitores accurrit, & quum multis frustrà egisset, ne misero illi linguæ impotentia, ultra quàm non peccaverat, fraudi esset; ad extremùm sanctè confirmans, non abiturum se, nisi voti compotem, sibi ut incolumem redderent, pervicit. Tùm peramanter amplexum, impositumque mulæ totam per urbem pari secum equitantem gradu circumduxit, ac sermones miscuit amicissimos. Dixisses de victis injuriis triumphum longè ampliſſimum agi.

Si juxta S. Augustinum nihil mirabilius est in rebus humanis, quàm diligere inimicos: si juxta Cassiodorum nihil fortius, nihil magis egregium, quàm audire noxia, & non respondere contraria; si juxta S. Gregorium virtus est, coram hominibus tolerare inimicos: sed virtus coram Deo diligere, an non mirabilem meritò, & Deo perinde ac hominibus amabilem dicemus S. Villanovam, qui tam insignem charitatis triumphum ab inimico suo reportavit?

FACTUM XII.

Dilectio erga infirmos heroica & insolita.

ALexander Luzago Nobilis Brixiensis jacentem in trivio senem carioſum, cadaverosum, Borno nomen fuit, indeptus, secretò in ædium partem optimam curavit inferendum, lectuloque mollissimo exceptum per annos plures, quibus ille superfuit, diligentissimè curavit. Ipse servus, ipse consolator cubiculum verrere, sordes amoliri, lectulum concinnare, ligna conferre, focum extruere, cibos inferre, scitamenta ex saccharo præbere, stomachabundo atque irascenti, quasi minus opportunè procuraretur, suavissimè blandiri, & in convitia usque prorumpentem (quanta est infimæ conditionis insolentia) admirabili dissimulatione perferre. Demum quum aliquando obiisset, indoluit Alexander suo se fundo fuisse depulsum, ex quo tam uberes ad se quotidiè virtutum fructus provenirent, jamque de alio sibi circumspiciebat, sed à magno Patrefamilias, quos jam collegerat, æternùm fruendis evocatus est. Videri posset Alexandro Dilectio columnas duas Herculeas cum inscriptione: *non plus ultra:* statuisse, & ideo fortè à Deo ad præmium evocatus est, ut qui ratum haberi vult à nobis summè consolatorium suum effatum: *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis:* adeoque ne dissideremus, facto quandòque ipso confirmat. *Idem l.11. c.6. n.4.*

FACTUM XIII.

Dilectio ægrorum heroica, sicque secura.

FErdinandus Panormi Proregis Filius societatem cum adolescentium nobilissimis coiverat, ut noctu obambulantes urbem, si quos domi ab omni suppellectili imparatos, aut humana ope destitutos, atque in triviis abje- *Ibid. n.5.*

abjectos indipiscerentur, vel collata pecunia juvarent, vel etiam ad hospitalem ægris domum ipsi deferrent. Hic Ferdinandus ut dignitate, sic animi ardore omnibus anteire, pauperes suis ipse manibus moliri, nullo contagionis metu absterreri, quòd diceret, optima charitatis theriaca munitos, inter nobiles pauperum Christi morbos, luemque non vulgari. Fortè fortuna leprosum ad nosocomium detulerant, illumque, antequàm lectulo exciperent, lavare voluerunt domûs Magistri. Invasit Ferdinandus magnæ charitatis occasionem, pedésque abluere occepit, sed indoles delicatior fœditatem rei non ferebat; iratus itaque sibi, & delitias ulturus, aqua sordibus ac sanie corrupta os faciemque proluit, abluta super hæc ulcera impressu labiorum exosculatur, egregiè victor.

Si juxta S. Ambrosium omnis summa disciplinæ Christianæ in pietate & miseratione sita est, & nihil tam commendat Christianum, quàm miseratio charitatis; si juxta S. Gregorium Nazianzenum nihil homo habet tam divinum, quàm de aliis benè mereri; quis satis æstimet, & deprædicet hanc Ferdinandi in infirmos charitatem, quam, ut coronam oleaginam digniùs mereretur à Deo olim accipere, tam generosa sui victoria comitata est?

S. Gregor. Naz. S. de paup. amor.

FACTUM XIV.

Dilectio Heroica & illustrissima Infirmorum.

Idem l. c. n. 21.

HÆc in Guilielmo pio Bojariæ Duce fulsit illustrissimè, ut qui sex propè lustris, deposita purpura principali, pauperibus ministravit. Quos enim desperaverant Medici, artem morbis atque ulceribus victam confessi, hos invicta morbis omnibus charitate usus, sepositа in domo exceptos invisere, alloqui, amplecti, fovere, suaque manu cibis ac sorbitiunculis ori admotis alere perseveravit. Neq; his tantùm castris continebatur benè de pauperibus merendi ardor; excurrebat ad alias ægrorum domos, ipsaque lepra infectos non refugiebat, perque villas & mapalia, quibus benefaceret, conquirebat. Neque tot, quibus abundans satis sibi dives magni Principis mens videbatur, nisi suis in conclavibus tres ægros pauperculos, grande scilicet peculium charitatis, sepositos haberet, quibus assiduam veluti si operam locâsset, amantissimè famulabatur, ac ne in sacrum sibi summæ Triadis reverentia numerum, quidquam morti fas esset, si quem illa subriperet, qui locum impleret, illicò adlegebatur; ut immortalis esset non tam morientium manipulus, quàm charitatis exercitatio.

Quid mirum ergo, si Guilielmus præclarum Siracidis encomium in se & Nepotibus experiri meruit: *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta Nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum; & filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.*

Eccl. 6. 44. v. 10.

FACTUM XV.

Dilectio heroicè facunda.

ALoysius Velasquius nobilem amicum, qui mulierculæ amore insaniebat, cùm per se, tum per communes amicos, viros religionis primos, frustra sæpiùs monitum, ut se respicere vellet, tandem sanctioris hebdomadæ feria quarta ad se in palatium evocat; ubi affuit, non jam rationibus, objurgationibusque agendum ratus, lacrymarum imbre aggressus, tandem, ne pergeret insanire, felicissimè persuasit: Res profectò esset admirabilis, undis, quas charitatis expresserat ignis, victas esse flammas amoris, nisi plus quàm hostili dissiderent odio amores, atquè adeò mutuum sibi invicem essent venenum. Cecinerat quidam olim Poëta: Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo; Verùm in Velasquio tam salutares & efficaces guttæ probatunt, etiam vi seu violentia eas cavare lapidem, id est, indurata pectora, posse, si opportunè, & de sublimi miserantis animi canali stillare sinantur. His guttis profectò applicari potest illud S. Hieronymi encomium: *Oratio Deum* (& hominum pectora) *lenit, lacryma cogit.*

Idem l. 1. c. 3. n. 14.

Oratio c. 38. in Isaiam.

FACTUM XVI.

Dilectio heroica, & ingeniosa.

S. Franciscus Xaverius hominem obstinatè conscelleratum jam diu officiosissimè coluerat, minimè tamen, ut animum per confessionem expiaret, persuaserat; descenderant fortè nautæ (nam simul navigabant) aquatum, quum Franciscus amicum secum trahens, in litus exscendit, blandeque confabulando vicinum in palmetum abducit, ac de confessione simul compellat, simul in genua procumbit, simul nudatum tergum deprompto in id flagello, acriùs pulsat & sanguine, quem plurimum eliciebat, hominem rei novitate attonitum largè respergit. Totus erat in ore amor, & voces jaciebantur ardentiores, quibus id se pro illius salute subire supplicii significabat. Horror primùm subitus obstinatum animum concussit; subiit mox divina oborientе luce, dolor intimus, & lacrymas excussit, abjecitque jam confitentem ante Xaverium, qui victoriâ lætus, quæ sibi, non victo, fuerat cruenta, ritè expiatum in vitæ novitatem dedit, probitatis ac sanctimoniæ tenacissimum. Ita nempè verissimè dixit Seneca: *Longum iter* (ad conversionem animarum præcipuè) *per sermones, breve & efficax per exempla*, maximè ab ingeniosa charitate profecta; sunt quippe non pauci, quos, ut S. Gregorius loquitur, ad amorem cœlestis Patriæ (& dolorem de peccatis concipiendum) magis exempla, quàm prædicamenta, succendunt.

Ibidem n. 2.

FACTUM XVII.

Dilectio heroica, & Zelosa.

Ibidem n.4. DIdacus à S. Jago Societatis Jesu Presbyter in eo mari, quod Philippinas interfluit, instructam militum flore rostratam, magno eorum bono conscenderat, jamque Dux prætoriam Piratarum indeptus, tantum non expugnaverat, quum repentè, incertum casu quo, aperta carina, navis Oceanum accepit: in ea rerum desperatione, dum omnia dissonis clamoribus alia atque alia properantium, ac misero turbæ pereuntis ejulatu complentur, Didacus sedulas aures morituris præbuit, securus periculi atque naufragii; expiatis omnibus, qui aderant, plurimisque in proximum litus enatantibus, eandem & ipse aleam subiturus, è navis margine desiliebat in oceanum, salutem in undis quæsiturus, quam in navi desperaverat: sed, ecce, è tabulatis audita propè intermortua vox est revocantis, ut verbum de æterna salute secum acturi adhuc audiret. Exarsit ad eam vocem in Didaco germana Societatis indoles, &, quanquam horrida undique paululum modò cunctanti mortis imago in oculos incurreret, desertissimi hominis felicitatem suæ nihilominus præferens vitæ, ad eum audiendum in foros regressus, vix expiatorio carmine hominem absolverat, quum vasto hiatu subsidente navi, immanique lapsu coëunte oceano haustus est.

Ibidem n.5. Non absimile factum narrat idem Author de P. Francisco Roderico in hæc verba: Revertentem ex Japonia illius Societatis Procuratorem, secundâque per tot maria, sævissimis infesta procellis, usum navigatione ad ipsa usque Tagi ostia fortuna repentè destituit, ut illa major ostenderetur: Allisa memorabili clade ad scopulos navis, pretiosissima onera demersa, mortales multis fluctibus hausti, plurimi cymbis excepti; advolaverat una, quæ Franciscum fluctibus ereptum in tutum aveheret, urgebantque vehementissimè, ut sine mora conscenderet. At ille in tabula fluitans, & pereuntes audiens, absolvensque, charitatis, quàm vitæ retinens magis mori maluit, quàm animas Christi sanguine quæsitas, dum undis absorbentur, dæmoni prodere glutiendas. Cui facto utrique meritò subscribi potest Epiphonema ab Authore his ferè verbis conceptum: Magno illi quidem Societatis Indicæ damno spem rerum maximarum secum merserunt, sed præstiterunt illustri documento charitatis sanciri disciplinam, in quam omnes, quicunque de societate sumus, auctoratos nos, par est existimare. Nulla illustrior mors est, quàm quæ charitatis imperio præcipitur.

FACTUM XVIII.

Dilectio heroica purgantium animarum.

Idem l.1. c.4. n.3. PHenricus Monsoyus è Societate Jesu secum reputans, post fata non sibi ampliùs integrum fore in egentissimos humanæ opis animos opportuna conferre beneficia, novo ausu, pioque ingenio legi fraudem facere conatus est. Nam quicquid sibi vitâ functo sive in precibus, sive in Sacrificiis, sive in quocunque genere piamentorum obventurum erat, proprio chirographo in pœnarum socios, eorum nominibus solvendis, ut illis bene esset, sui planè incurius, totum ex asse transtulit, invenitque homo acutè pius, quo steriles meritorum flammas sibi faceret esse frugiferas. Non ignoro, prodigam minusque conformem charitati sui ipsius ordinatæ videri hanc liberalitatem; sed cùm multiplici fœnore compensatam per gratiæ gloriæve augmentum fuisse, plures non dubitent, fœnerationem piam rectiùs, quàm prodigalitatem, dixerim. Certè, si uspiam alibi, in tam illustri facto locum habere videtur munificum Servatoris promissum: *Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* *Luc. c.6. v.38.*

FACTUM XIX.

Docilitas heroica, rara.

HUjus præclarum specimen P. Franciscus Suarius reliquit, de quo sic loquitur Joannes Rho: Hunc ego hominem quum nomino, ipsius sapientiæ ac prudentiæ nomen mihi videor appellare, quo nemo aut nostrâ, aut huic proxima superiori ætate interius in illarum se abdita penetravit. Ob hanc rem miraculo proximum cuiquam videri posset, illum tam promptè aliorum sententias rogâsse, ac monitis acquievisse, ut adolescentium, quos ipse in Theologicis erudierat, censuras admitteret, & quæ jam scripserat, ad illorum placita refingeret. Æque illustre hoc in genere exemplum Cardinalis Bellarminus præbuit, qui Andream Eudœmonon Joannem, & Mutium Vitelleschum, viros scientia & judicio acri, sibi, postquam erat in purpurâ, suorum operum ac librorum, quos ederet, censores delegerat, illisque tam facilem se fingi ac refingi præbebat, ut quum tantus esset ipse, illorum tamen monitis crescere mallet, quàm obstinati in sententia animi contumaciam retinere. Nimirùm, cùm prudentissimi fuerint hi viri, præclarè noverunt, malè apud omnes audire illos, qui neminem vellent audire; & sicut plures oculi plus vident, quàm unus, ita intellectum quoque aliorum judicio adhibito perfici magis, atque illustrari. *Ibidem n.5.*

E.

FACTUM XX.

Educatio heroica, & pia.

SEvera & pia Joannis Gersonis Mater, ut natum utilibus atque sublimioribus de Deo opinionibus imbueret, quum jentaculi aut merendæ tempus admoneret, infantem in genua procumbere jubebat, atque à communi, ac liberalissimo omnium parente Deo nuces castaneas, ac, quæ maximè cuperet, poma postulare; preces profectò, *Idem l.1. c.10. n.10.*

feſtò, ſi ritè conciperet, non irritas futuras. Ubi piæ fraudi adhuc opportunum infantem ſeriò id agere videbat, tunc illa de ſuperiori loco in precantis ſinum, quæ optaverat furtim jacere, ut ille de cœlo ea dimitti, nullus dubitaret. His artibus per infantiam in Deo ſpem omnem reponere doctus, in eam paulatim evaſit ſanctimoniam, quæ ſingulari adjuncta ſapientia nominis, ac gloriæ eidem attulit immortalitatem. Nimirum adoleſcentia, teſte S. Baſilio, tanquam ſubacta & mollis cera eſt, quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcunque facilè recipit, & molliſſimè cedit; Confeſtim igitur ab ipſo initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet.

In Reg. fuſ. interr. 15.

FACTUM XXI.

Eleemoſyna heroica extraordinaria.

Rhol. 4. c. 13. n. 14.

S. Thomas Villanovanus adeò in pauperes fuit liberalis, ut nomen Eleemoſynarii poſt tot ſecula ab Joannis Alexandrini memoria revocatum meritò fuerit conſecutus. Opimum eſt Valentinum Sacerdotium in paucis, annuique reditus, quum illud adminiſtravit Villanovanus, paulatim ad triginta aureorum, quæ ſumma immanis tunc erat, excreverunt. Ingentem hanc pecuniæ vim ſingulis annis pauperibus alendis, donandiſque adeò diligenter inſumebat, ut ne obolum quidem reliquum domi faceret, clamitans, nolle ſe ſacrilego furto contaminari; quod ipſum ad mortem uſque conſtantiſſimè uſurpavit. Nemo à Villanovano petiit, quin acciperet, ſæpiuſque ut conſuleret pudori, præveniebat; nec illi ſumma laudum fuit dediſſe, quæ ſupererant, niſi ut dare poſſet, cultu, victuque infra privatum modum uſus fuiſſet. Murænam magnitudine viſendam obſonator domum attulerat, quam ut Archiepiſcopus LX. aſſibus emptam audivit, altum ingemuit; quumque obſonator admoneret, ut meminiſſe vellet, ſe Archiepiſcopum eſſe. Quaſi verò, reſpondit, æquum ſit, nos Epiſcopos pauperum patrimonia per luxum abligurire? Abi, & tuam iſtam murænam in macellum refer, ac eodem pretio vendito; mihi ſat erit, ſi denario obſonaveris. Idem cùm novus induendus eſſet thorax, ubi à ſartore accepit, quatuor aureos valere; Apage, inquit, hoc ego argento totum pauperem induiſſem, ac thoracem vendi, ſibique viliſſima è linea quatuor denariis confici juſſit. Idem quum alio ſartore de pretio paciſcens, adeò morosè tranſegit, ut non obſcura, ut quidem videbatur, Thomæ tenacitate ille ſubiratus abierit. Sed abierant jam anni aliquot, atque homini tres filiæ nubiles erant, nec unde argentum ad dotem conficeret, habebat: mœſtum itaque urgebant amici, ut Archiepiſcopi liberalitatem experiretur, & quamvis veterum ſordium, ut ipſe quidem interpretabatur, memoria reluctantem, tandem impulerunt. Hominem lubentiſſimè Thomas excepit, atque aureis quinquaginta in ſingulas filias donavit? triginta ut in dotem conferret, reliquos autem viginti ſellulariæ ſupellectili comparandæ, novis ſponſis ut attribueret; tum hominem præ gaudio vix ſui compotem, atque ad genua ſibi accidentem amicè monuit, ne ſecus interpretari vellet, ſi ipſe ut pauperibus abundaret, diligentis, atque aliquando etiam odioſi patrisfamilias partes ageret. Nimirum ſciverat hic Sanctus, quid S. Gregorius dixerit. *Quidquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum, quia, quod datur, multiplicato fine dubio fructu percipitur.* Hinc S. P. S. Auguſtini conſilium ſecutus eſt dicentis: *Si vis eſſe mercator bonus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias, quod non potes amittere: Da modicum, ut recipias centuplum: Da temporalem poſſeſſionem, ut conſequaris æternam hæreditatem.*

In Reg.

S. Aug. in epiſt.

F.

FACTUM XXII.

Fiducia in Deum heroica.

JOannes Avila paupertatem profeſſus, ut expeditior Evangelio prædicando eſſet, ſibi nihil perſuaſerat defuturum; quumque plurimos annos eodem vitæ inſtituto tranſegiſſet, ajebat ſibi optimum ſemper fundum fuiſſe illam Chriſti Domini pollicitationem: *Quærite primum regnum DEI, & hæc omnia adjicientur vobis:* Neq; menſuram hanc unquam fefelliſſe. Qua porro ſpe ad ſuprema illa bona, beatamque vitam graſſaretur, vel in ipſo mortis confinio præclarè docuit, dum adſtantem ſibi Sacerdotem eodem ritu facere juſſit, quo de Reſurrectione fieri conſuevit; tanta enim erat animi ac ſpei ſublimitate, ut ſemimortuus reſurrectionis felicitatem cogitatione præciperet. Meritò ergo S. Auguſtinus alicubi ſic loquitur: *Tu Chriſtiano, tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito, tu Domino tuo charo aliquid exiſtimas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſo non paſcitur. An putas terrena deerunt, quibus cœleſtia, & divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? quid faciat in domo Dei perfidum pectus.*

Io. Rhol. 2. c. 3. n. 2.

Matt. c. 6. v. 33.

FACTUM XXIII.

Fortitudo heroica & invicta.

SIve audere, ſive pati neceſſe fuit, utramque laudem validiſſimè meritus eſt Joſephus Leoneſſanus Capuccinus, cui Turcico ferro emori nobile, ſed irritum votum fuit. Qua enim fortitudine imbutum attulit pectus, qui in aulam Turcarum Tyranni auſus irrumpere, ut tenebrarum illi acri Evangelii lumen inferret, atque ob præclarum facinus damnatus ad uncos, pedem manumque trajectus, ſublimi de trabe ſuſpenſus, animique conſtans triduo in patibulo pependit? Sed revertendum illi fuit in patriam, in qua diriſſimo in verendis vulnere cruciatus, Medicorum ferrum, & medicamentorum cruciamenta Turcicis ipſis tormentis diriora experiretur. Ubi enim diu diſſimulantem, ut morbum fateretur, doloris ſubegit immanitas, ferroque illi occurrendum

Idem l. 6. c. 2. n. 3.

Medici censuerunt, tunc quanta viri virtus esset, apparuit. Ligare volentibus, quod motus quilibet in ea curatione ac laniatu periculosissimus esset; vos verò, inquit, vinculis abstinete, præbebo secantibus corpus immotum; utinam illi tam firma secent manu, quàm ego membra continebo; dixit, arreptoque Crucifixi sigillo, quod semper habebat in sinu, addidit: Hæc mea validissima sunt vincula. Nec fortiùs dixit, quàm fecit. Semel iterumque ferrum ita passus est, quasi alieno in corpore depugnaret. Sicque facto ipso probavit, quod S. Bernardus suasit dicens: *Voluit Christus oculos in sua sustolli vulnera, ut exemplo sui reddat ad tolerandum fortiores; non enim sentit sua vulnera miles, qui Ducis sui vulnera intuetur.*

Fast. Cataff. l. 2. c. 12.

G.

FACTUM XXIV.

Gratitudo heroica & insolita.

Idem l. 4. c. 8. n. 6. SUbtilis admodùm Eleonoræ ex Austriadum gente Mantuanorum Ducis in hac gratiarum Philosophia ratio fuit. Ibi beneficium se accipere agnoscebat, ubi mortalium plurimi debitam agnoscunt servitutem. Quis enim pauperes artifices, aratores, piscatores, cæterosque hujusmodi suos inter numerat beneficos? Faciebat hoc tamen Eleonora, eorum sudoribus sibi lautias parari dictitans, & otium, quo Principes perfruerentur, illorum laboribus defendi. Quam ob rem pro illorum manibus pias preces fundere sollicitè institerat, ne planè viveret ingrata. Si erga illos, qui tam modicè cooperati sunt ad delicias & necessitates suas, tam gratam se exhibuit Eleonora, quàm gratos nos erga DEUM oportet esse, qui omnibus rebus, quibus fruimur, & quas alii nobis procurant, optatum incrementum dare solet, & quidem sine ullo nostro merito; si enim Hesiodus jubet reddere majore mensura, quàm acceperis utenda, quid debemus facere beneficio provocati?

Idem l. 4. c. 8. n. 6.

FACTUM XXV.

Gratitudo heroica præmsata.

Idem loc. cit. n. 13. IN expugnatione arcis Cronzoniæ, quam de Hispano in minori Britanniâ Gallus vi ceperat, Aumontius exercitûs Mareschallus, trucidari præsidiarios, ac nemini parci mandaverat; fiebant itaque cædes, & victis non inultè morientibus, omnia latè sanguine redundabant. Dum maximè ita cædibus incalesceret, nec tam pugna, quam strages esset, Anglus gregarius Hispanum, qui se in latebras penetraverat, indeptus, jugulaturus protrahebat, quùm subitò bono animo esse jussit, non periturum. Aderant manipulares, Hispanumque ad cædem deposcebant: abstinere Anglus, &, si vis dedititio fieret, ferro se repulsurum. Exortâ inde rixâ, & clamore invicem sublato, ad Aumontium res tota defertur, qui accitum Anglum suo cum Hispano interrogat: Quid ita jussa Ducis intempestiva illa humanitate contempserit, facessat illicò imperata, ni pereat. Enimverò Anglus moriturum se cum Hispano, si vitam illi conservare non posset, se profiteri; agnovisse se hominem, à quo in Belgio pari humanitate olim fuisset conservatus; nolle se ingratum vivere; si illi moriendum sit, commori certum sibi esse, quando simul vivere non posset. Aumontius supra gregarii fortunam & virtutem admiratus, utrumque liberum abire permisit, & mutuo frui beneficio, factum laudans, ut raris grati animi exemplis olim inserendum. Et quid ad hæc Christianus à Christo non armis, sed morte ipsa, & quidem tam crudeli, servatus? An non dicet cum S. Bernardo: *Etsi cætera taceam, hoc solo non immeritò vendicat vitam nostram, quia pro ea posuit suam: Nemo igitur sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est; cui enim justius vivam, quàm ei, qui, si non moreretur, ego non viverem?*

Ser. de diligendo Deo.

H.

FACTUM XXVI.

Humilitas heroica.

Petr. Pennec. in Isag. p. 2. c. 18. n. 18. S. Philippus Nerius diebus singulis ita se miserum, & in lapsum facilem & proclivem existimabat, ut Deo diceret: *Nisi mè Deus meus prohibueris, & corruentem sustinueris, hodiè te, ut alter Judas, vendam nihilo, totiusque mundi mala perpetrabo.* Dicere etiam solitum ferunt; *Vulnus lateris Christi latum est, sed nisi Deus compescere manus meas, illud ego malitiâ mea dilatarem.* Bis in anno morbo decumbebat, ac tum temporis vitæ præteritæ pœnitentiam, doloremque concipiebat maximum, & seriam, si convalescceret, emendationem proponebat. Nihil se vitâ æternâ dignum fecisse ajebat, hominumque se esse ingratissimum, omnes sibi bono exemplo esse; tenellas virgines, & pauperes rusticos præcessuros: quin imò cùm rogaretur, ut illud S. Martini pronuntiaret: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius:* Negavit, se hoc dicturum, cùm nunquam sibi venisset in mentem, ulli se ad salutem necessarium, imò nec proficuum unquam fuisse. Quis modò non videt ex tantæ humilitatis fundamento assurrexisse, quod miratur posteritas, sublimissimæ in eo charitatis ædificium, ut ex amoris excessu costam sibi fregerit, & media hyeme nimio amoris calore æstuans ad fenestram apertam, ut aliquod hauriret refrigerium, constituere se sit coactus; ut meritò de illo dicere possimus: Qui ascendit, quis est, nisi qui & descendit.

FACTUM XXVII.

Jejunium heroicè defensum.

Rho l. 7. c. 6. n. 2. COnstans Stanislai Hosii jejunii amor, ne intentato quidem mortis metu quasi instantis non potuit labefactari. Tridenti per ipsa cineralia, quæ ille sanctissimè decurrebat, decubuit ex febri non sine Medicorum timore.

Itaque

Itaque monuerunt, ut pullo gallinaceo reficeretur. Abnuentem, & leges ſacri jejunii cauſantem, monitus à Medicis, quum adiiſſet collega in Tridentina Legatione Hercules Gonzaga Cardinalis, ac paulò vehementius inſtaret, atque illum ampliſſimâ, quâ tum utebatur, auctoritate, illa lege ſolveret; ſubridens Hoſius. Volucrum ergo cadaveribus meus in hac vitæ ſtatione animus, & non potiùs divino retinetur juſſu? At mihi patris ac matris parere præceptis ſtat ſententia, Pater Deus jejunandum edixit, Mater Eccleſia dies hoſce jejunio dedicavit; Pareamus. Laberabit Deus datam olim fidem, & his optemperantem; nequicquam conjectantibus Medicis, non incolumem modò, verùm etiam longævum ſuper terram præſtabit. Vicit itaque amicorum blanditias, Medicorum metum, morbi vim, unico jejunii telo victor egregius. Hâc eadem ille animi conſtantiâ, veterisque diſciplinæ retinendæ ſtudio, Poloniæ Cancellarii, aliorumque magnorum virorum ſuaſionibus repudiatis, quidquam de immutandis jejunii legibus, atque novorum uſu laxandis, tractaturum ſe fortiter abnuit, quod ſexcentorum annorum conſuetudine, totiusque antiquitatis pondere firmatos mores minimè movendos eſſe putaret; facilè omnia convelli, ubi ſemel mutandi obtinuit libido. Quid mirum ergo, ſi tantus illius DEO Patri & Eccleſiæ Matri exhibitus honor & obedientia maximam apud omnes æſtimationem, & gratiam peperit, impletumque eſt Salomonis vaticinium dicentis: *Audi, fili mi, diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* *Prov. c. 1. v. 11.*

FACTUM XXVIII.

Intentio Heroica.

NArratur de Juone religioſo S. Dominici, quòd, cùm à Ludovico Galliarum Rege ad magnum Sultanum miſſus eſſet, mulier illi obviârit, manu una lebetem prunis ardentibus refertum, altera amphoram aquâ plenam portans; quæ, cùm cauſam interrogaretur facti, dicebat, ſe optare, ut cœlum prunis exurere, aquis verò Infernum extinguere poſſet, ne quisquam deinceps amplius amore cœli, aut timore inferni, ſed propter ſolam Dei gloriam, & beneplacitum operaretur. Nec immeritò quia beneplacitum hoc ſummum eſt præmium, quod conferri à Deo homini poteſt, quodque ipſi etiam Beati ſuæ felicitati præferunt. Hinc rectè S. Chryſoſtomus dixit: *Si omninò dignus fueris agere aliquid, quod DEO placeat, aliam ne require mercedem, præter hoc ipſum, quod placere meruiſti. Si enim aliam requiris mercedem, verè ignoras, quantum bonum ſit placere Deo. Si enim ſcires, nunquam extrinſecum aliquid mercedis, aut muneris exſpectares.* Hoc ipſum etiam S. Thomas Aquin. ipſo opere declaravit, dum Chriſto quærenti, quam mercedem expeteret? reſpondit: Non aliam, niſi te, Domine. Quantoperè autem hæc reſponſio DEO placuerit, poſt mortem illius inclaruit, dum cum lucidiſſima ſtella in pectore apparuit aſſerens, eam ſibi ob puriſſimam intentionem datam eſſe. *Nadaſſi in annal. Hebr. ii. n. 3. f. 108.* *Lib. de compunct.*

L.

FACTUM XXIX.

Labor Heroicus, & pius.

SBernardus in virtute Spiritûs Sancti ſimul & totus quodammodo laborabat exterius, & totus interius vacabat; in altero devotionem, paſcens conſcientiam; in altero Laboris tempore & intus orabat, ſeu meditabatur abſque intermiſſione exterioris laboris, & exterius laborabat abſque jactura ſuavitatis. Et, ut alio loco dicitur, ita ſe fecerat omnium ſervum, ac ſi toti genitus foret orbi; ita tamen liber ab omnibus, conſcientiæ ſuæ curam gerebat, tanquam ſoli deditus curæ, & cuſtodiæ cordis ſui. Sic nempe implevit quod ipſe ſuaſerat dicens: *Serenus animus & prudens ad omnem ſe comparat laborem, nec in eo diſſolvitur, ſed per eum magis in ſe ipſum colligitur; qui ſemper præoculis habens, non tam quod agit, quam quod agendo intendit, omnis conſummationis attendit finem.* Unde in eo impletum eſt illud Pſalmiſtæ: *Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* *Vita l. 1. c. 7.* *S. Bern. lib. de vita ſolit.*

M.

FACTUM XXX.

Manſuetudo heroica.

DOmeſtica Philippi II. Regis Hiſpaniarum manſuetudo cum incredibili gravitate conjuncta moresillius reddidit admirabiles. Nihil tam præpoſterum accidebat, ut excandeſceret, infra regium faſtigium iram etiam arbitratus. Vigilaverat ad multam noctem, litteraſque ad Pontificem de graviſſimis Chriſtianæ reipublicæ negotiis dederat, quum abſolutam epiſtolam aulico ab epiſtolis dedit, ut complicatam, obſignatamque ſigillo inſcriberet, ille ſemiſomnis epiſtolam recentem ab atramento pulveraturus, haud ſatis attentus atramentarium invergit, totamque corrumpit; exanimaverat hominem caſus inopinus, cui ſerena fronte Philippus: Huc, inquit, aliam chartam, iterumque orſus ſcribere epiſtolam, de integro compoſuit. Quid mirum, ſi propter hæc & ſimilia manſuetudinis exempla Deo hominibusque amabilis factus eſt Philippus; *nihil enim*, teſte S. Chryſoſtomo, *ita conciliat Domino familiares, ut quod illum videant tranquillum ſe offerre, & manſuetudine jucundum; nam & talem majoris faciunt; habentque pro Patre, & non Domino; gratus & amabilis eſt videntibus; gratus item & his, quibus nomine tantùm notus eſt.* *Rhol. l. 7. c. 8. n. 8.* *Hom. de manſuet.*

FACTUM XXXI.

Mendacii heroica fuga.

MAtthæum Riccium, quùm primum Nanchini ſedem fixit, novæ ſapientiæ atque legis, quam profitebatur fama vulgata, *Rhol. 4. c. 9. n. 61.*

adeò celebri concursu frequentabant Philosophi pariter, atque Magistratus Sinarum, ut quùm resalutandi omnes domi essent, ac disputationibus dies noctesque continuarentur, tractis viribus deficeret, nec jam tantæ celebritati se parem esse sentiret. Talia, ut fit, apud se querentem clarissimus, atque amicissimus vir, hortari cœpit, ut per domesticos se identidem esse negaret domi, spatiumque ea arte quieti sumeret necessarium. At, inquit Riccius, mendacium hoc est. Hic verò ridere amicus advenam, qui hanc mendacilo quam ignoraret Philosophiam. Id ubi sentit Riccius, de Christianæ legis sanctitate disputare aggressus, & mendacii fœditatem palam fecit, & hominem in maximam dedit admirationem. Vulgata res est, & pro miraculo fuit, advenisse hominem ab ultimo occidente, qui nec leviter mentiri vellet, quamque ipsi necessariam rebus humanis medicinam arbitrabantur, ipse morbis atque incommodis omnibus deteriorem haberet, quæ res & Riccii famam intendit, & Christianæ legi attulit venerationem.

S. Aug. epist. 9. Noverat nempe Matthæus, *quòd*, S. Augustino teste, *incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quam Helena Græcorum*; pro illa enim fortiùs martyres, quàm pro ista mille Heroës adversus Trojanos, concertârunt.

FACTUM XXXII.

Misericordia Heroica.

Rho l. 1. c. 7. n. 1. MArgarita Philippi III. Hispanorum Regis Conjux, & regiarum virtutum exemplis affatim dives Regina, dum Hispanicæ navigationi sævum hyeme se aperit mare, Mediolani substiterat, & domesticæ non immemor disciplinæ, præclara edebat exempla. Itaque cum pauperem pannosum, seminudum, ab hyberno gelu torridum, atque obrigescentem vidisset, accersito è stipatoribus principibus uno: Viden, ajebat, miserum illum algentem? Tu ex optimo panno vestem ei à sartore ad modulum scindi actutum cura, moxque ad me afferto: factum, quod imperaverat. Domum reversa vesti suendæ manum admovet Regina, totamque diligentissimè consuit, pauperemque lautum, ac regia stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ glorioſissimè operata. Nimirum in *Jo. 1. c. 3.* mente habebat Margarita illud Joannis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

FACTUM XXXIII.

Morborum heroica tolerantia.

Rogler. & alii 28. May. NIcolaa virgo morte sola excepta omnes Christi crucifixi, & Matris dolorum Reginæ dolores volebat sentire. Et videtur partem non infimam impetrâsse. Quinquaginta annis jacuit inter dolores, quasi Jubilæum doloris & mortis. Intumescebat, detumescebatque quotidiè, flammas videbatur spirare tenerum corpus. Cancer illi pectus omne, ac linguam depastus est. Accessêre pertinaces stomachi lapidisque dolores, & quidem festis majoribus, ut in Ecclesia duplex officium, ita ipsi duplex dolor. Videbatur in solemnitatibus festorum totis quadraginta horis, quasi in hora mortis, fuisse in agone posita. Et tamen quasi cœlesti quodam dolorum hydrope plena, petebat avidissima insatiabilitate febrium genera, & dolores omnes, puncturas, tumores &c. Fuitque etiam summo cuipiam, & plurima inter omnes passo martyri ferè par in doloribus pro Christi amore libentissimè ferendis. At vires ad hæc ab Altari hauriebat. Nam & Sacris intererat, & Sacramento Sinaxeos reficiebatur quotidie, devotione admirabili. Neque fuisset ferendo, nisi tanto fulta auxilio. Ita post quinquaginta dolorum annos pulla corporis laceri, ac mortalitatis veste exuenda, quadraginta totis horis, clausis oculis jacuit, & passionem Christi legi sibi postulavit, flens acerbissimè, quòd quasi durum haberet Deum, qui illi non plures, non majores dedisset dolores nihil se passam. Ita è doloribus ad delitias excessit felix. Si teste S. *Serm. 74.* Ambrosio, *infirmitas corporis sobrietas mentis est: Infirmitas virtutum officina est*; quantam par est credere virtutum copiam in Nicolaa fuisse congregatam, ubi tot officinæ virtutum, quot morbi, extiterunt?

O.

FACTUM XXXIV.

Obedientia Heroica.

DEderat nascenti severiorum Carmelitarum familiæ nomen Juvenis ingenio acri, *Rho l. 4. c. 6. n. 10.* ab Academia Salmaticensi digressus, in quâ famâ ante alios condiscipulos Jurisconsultos audierat; hunc quia scientiæ suæ opinione tumidum advertit Joannes à Cruce illius superior, obedientiâ ei medicinam facere decrevit. Libellum, in quo prima elementa Christianæ fidei continebantur, homini, ab aliis abstinere jusso, in manus tradit, imperatque ut puerorum more stylum per singulas literarum notas ducat, easque ut legendi ignarus componat; hoc illi studium convenire. Paruit strenuè adolescens, diuque id fecit tanto animi sensu, ut per eam exercitationem, non unius modò obedientiæ, quæ prima petebatur, sed reliquarum virtutum, quæ comites adesse solent, ingentibus se auctum incrementis fateretur; ficque in se verificatum videret, quod S. Gregorius dixit; *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras mentiinserit, insertasque custodit.*

FACTUM XXXV.

Observantia Heroica.

VIsum erat Pio V. Pontifici Romano rerum *Idem lib. 4.* à majoribus gestarum magnitudinem, & *c. 5. n. 13.* quam ex illis Respublica Christiana utilitatem ceperat, reputanti, Lusitanum Regem titulo aliquo augere, simul ad præteritorum monumentum, simul ad futurorum incitamentum. Data est Sebastiano optio, ut, quoniam vicinus Hispanus Catholicus, Anglus fidei defensor, Hun-

Hungaricus Apostolicus, & Gallus omnium primus Christianissimus dicerentur, videret ipse, quem dici vellet. Proceribus in diversa abeuntibus observantissimi Ecclesiæ nomen Sebastian. optavit; quod ea appellatio & ad fidei suæ perturbatissimis illis Ecclesiæ temporibus testificationem atque ornamentum, ut prima illius nota, & ad Ecclesiæ aliquam faceret amplitudinem. Fuerit sanè aliorum magnatum supra citatorum titulus multiplici ex titulo glorioſus, hunc tamen ego cum Sebastiano meritò aliis prætulerim, tantò æquiùs, quantò majorem laudem merebatur humilitas tam raræ observantiæ conjuncta.

FACTUM XXXVI.

Occasio vanitatum heroicè declinata.

Idem l. 7. c. 12. n. 14. JOannes Vincentius Hondondæus Perusini Gymnasii decus, qui quatuordecim quotidiè horis studendi laborem continuabat, adhuc juvenis cùm esset, per Bacchanalia sparso rumore, quasi Eugubium abiisset, domi sese abdidit, absque interpellatoribus sapientiæ arcana scrutaturus. Condiscipuli ejus absentiam non ferentes, crebras epistolas domesticis ad illum dare, propositisque comœdiarum atque equestrium decursionum illecebris Perusium, quantùm poterant, revocare; ille domi latens fidissima famuli operâ usus subinde respondere, ac citi reditûs spem sociis facere, ac spes lactare, donec detectâ fabulâ, ipsis prodiit cinerulibus, eorum dierum, quos alii per luxum malè perdiderant, egregiè multoque cum lucro sapientiæ sibi constante ratione.

FACTUM XXXVII.

Oratio heroicè continuata.

Idem l. 3. c. 8. n. 13. JOannes Baptista Vitellius corpore pariter animoque immotus perseverabat, quindecim ad minimum horas diebus singulis absumebat illi oratio, quantula parte, si reliqua pietatis demas officia, curando corpori relicta. Sed si quis esset; vehementiùs multò agebat; fuit enim, quùm in gravibus Christianæ Reipublicæ temporibus totidem sæpè dies perdius ac pernox ante aram & divinissimam Eucharistiam perseveraverit, immotus, si duas modò horas sub auroram excipias, quas naturæ usibus concedebat. Quid non à Deo auferret; quem deprecandi ac precandi constantia nulla temporis dimoveret vicissitudo? Hinc videlicet & Joannes Avila adolescentibus, quos litterarum labor exercebat, identidem affirmabat, malle se illorum genua callis obdurescere ob orandi contentionem, quàm oculos laborare ob studia litterarum; harum enim sæpè inanem esse laborem, illius numquam non frugiferam occupationem. Idem Stephanum Centenarium, cujus ingens erat concionandi studium & laus, quum ab eo partitionem diurnarum ac nocturnarum horarum inter orationis ac litterarum studia audisset, horas aliquot litteris ademptas precationi jussit attribuere, quòd ista Christianè dicendi optima esset magistra.

Ibidem n. 9.

P.

FACTUM XXXVIII.

Patientia heroica insatiabilis.

Idem l. 6. c. 4. n. 6. FAustina virgo Neapolitana longis valetudinibus ac perpetua tabe ita erat exhausta, ut vix pelle ossa continerentur. Roganti Caviaquerræ, an satis adhuc dolorum esset (nam arcanorum conscius erat, animique moderator) minimè gentium, inquit, superest adhuc votum, quod audiri velim; cur enim, quod reliquum est hujus corpusculi, vermes; si modò id gratum Deo, non exedunt? Præstiterat integram virtutem & morbi vim ferendo; & ministrantium negligentiam injuriamve dissimulando; qui colluendo ori aquam florum fortè fœdam sæpiùs dederant, cum gemitu levissimo patientiam sibi violare visa, dictum revocavit, addiditque, si vel efformato leviter Crucis signo febrim, sanguinisque excreationem, quâ conficiebatur, arcere posset, se manum digitosque non esse moturam. Tanta virtus vigesimo quinto ætatis anno assumpta est. An non hæc præclarè S. Franciscum Xaverium in tribulationibus: *Amplius, amplius*, clamantem æmulabatur? Nimirum apud hos verificabatur notum illud: *Quò plùs sunt potæ, plus sitiuntur aquæ* (tribulationum.) Hinc S. Maria Magdalena de Pazz. dicere solebat: *Desidero diu vivere, quia desidero amorè sponsi diu pati.*

FACTUM XXXIX.

Patientia heroica admiranda.

Ibidem l. 6. c. 8. n. 12. HIeronymus Platus, qui luculento opere Religiosi status bona complexus effecit, ut sua si bona nosse velint viri Religiosi, felicibus esse liceat eodem ingenio atque eruditione. De Perfectione Christiani officii libros plures elaboraverat, jamque ad umbilicum perductos, ac typis paratos habebat; non sine magna eorum, qui viderant, approbatione, quum tyronis unius incogitantiâ perierunt. Jusserat Hieronymus chartas, quas in mensa offendisset, concerpere, atque auferre; ille obedientiæ properus; ac parum attentus, ut ea ætas solet, libros in eadem fortè mensa jacentes invadit, ac temerè concerptos, fœdiùs etiam dispergit. Quàm gravi afflictioni Hieronymi animum ea percusserit jactura, non est, opinior, interrogandum; sed nihilominùs suæ mentis fuit, vocis ac vultus, ut etiam renidens exanimati Adolescentis pudorem, timoremque discusserit; quàm profundè de virtutibus illis chartis disputaret; uno loco palàm factum est experimento. Simile quid de P. Georgio Collibrando legitur, qui, cùm in Enchiridion benè magnum Græcorum ac Latinorum Authorum sententias, ut linguæ utriusque callens erat, lectissimas collegisset, eumque codicem homo ineptus per imprudentiam concidisset, commotis aliis ad rei indignitatem, ipse unus immotus solemni suo carmine, veluti antidoto

Idem l. 1. c. 16. n. 5.

tidoto ſe communiens, ad vitam æternam feſtivè diſſimulaverit, ac tranſmiſerit, ea voce teſtatus, qui æterna ſperet, humanis non commoveri.

FACTUM XL.

Patientia heroica in injuriis ferendis.

Idem l. 4. c. 3. n. 13. SAnctus à Ripatranſone Ordinis Minorum, hominem veteris diſciplinæ retinendæ, aut revocandæ cupidiſſimum, eâque gratiâ iis, qui omnia alia ſentirent, minùs gratioſum, quum Antiſtes ordinis in comitio juſſum coram ſe genu flectere probris, atque contumelioſiſſimè dictis oneraret, maxima vocis, ac totius oris acerbitate, ille contrà ore lætiſſimo renitens, palliolo in ſinum collecto, eoque paulùm explicato: Tu verò, inquit, ſtrenuè age, atque hujusmodi fragrantiſſimas roſas huc affatim congerito; ea res mihi volupe eſt. Scio Luſitanicæ Eliſabethæ in ſinu panis fruſta in roſas abiiſſe grandi miraculo charitatis; nemo negabit aliquantò hic majore patientiæ metamorphoſi ſpinas ipſas purpureos in flores converſas.

FACTUM XLI.

Patientia heroica multiplex.

Idem l. 6. c. 4. n. 4. CAtharina Godinia Carmelitana diſcalceata, adoleſcentula clariſſimi generis, inter nuptiarum meditamenta, in Chriſti Domini è cruce pendentis ſignum oculos caſu fortè conjecerat, quum mutato illa unica viſione animo, & jam certa Deum ſequi, virginitatem ſuam illi voto mancipavit, novoque ardore mentis elata, Martyrum victorias & triumphos præoptavit. Audita eſt, quamquàm non iidem, ac Martyribus, hoſtes illi fuerint decreti, quos fortiter excepit, & vicit. Decem & ſeptem ſolidos annos lectulo ferè perpetuò affixa, torquentibus velut in equuleo morborum ſæviſſimis lætabunda transegit. Laborabat febri hectica, continua phthiſi, carbunculis, morbo articulari, hydrope, iſchiade, cardiaca, hepatis calore adeò violento, ut interulæ tantùm non conciperent ignem. Et ne minor à medicis virtutis occaſio daretur, quinquagies, quod vix ulla audivit ætas, ſectâ venâ ſanguinem miſit, nec tamen patientiam amiſit; ſæpiùs cucurbitulis eodem exhauſta eſt, indito etiam ſale, quòd Medicus neſcio quis diceret plurimùm conducere venenatis humoribus evocandis: ſæpiùs cauterio inuſta, bis ad ſupremam luctam inuncta eſt, animo inter hæc omnia adeò tranquillo, ac ferendi avido, ut ferrum ignemque, quum ſecanda erat, aut inurenda, moræ increparet. Hujus ergo patientiæ probationem brevi morti anteferendam puto. Certè tot hic ſunt mortis imagines, ac meditationes, quot morbi, aut morbis ſæviora remedia: ut ergo votis, nec citra ſanguinem, factum eſt ſatis, momento convaluit, votique rea Monacham induit. Nempè hîc, ſi unquàm aliàs, verificatum fuit: *Fortis eſt, ut mors, dilectio: Dura, ſicut infernus, æmulatio, Aquæ multæ* (tribulationum) *non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam.*

Cant. c. 8. v. 7.

FACTUM XLII.

Patientia Heroica mirabilis.

Idem l. c. n. 9. PIgnatius Balſamon duodeviginti acerbisque morbis conflictabatur, & juxta cognominis arboris ingenium undique vulneratus admirandæ virtutis odorem ſuaviſſimum afflabat; cùm enim vel numero ipſo poſſet obrui, quò ille major erat, eò erigebatur alacriùs, ſuaſque domeſticas appellabat beatitudines, quibus unica illa, quæ procul dolorem habet & luctum, poſſet comparari. P. Nicolaus Romæus verò, gente Belga calculum, quo excruciabatur, adamantem ſuum eximii ſanè pretii appellabat; quis enim unquam tam nobilis indicaturæ adamantem Peguanis è montibus fodit, quo emi cœlum queat? ſectus, ut per vulnera convaleſceret, eâdem egit conſtantiâ. Virtus virtutem parit, & patientia uſu firmatur, non atteritur.

FACTUM XLIII.

Patientia Heroica mirabilis.

Bibl. Soc. V. eod. PThomas de Blanck in ultimo diſcrimine vitæ poſitus, quamvis perſuaſum haberet, moriendum ſibi eſſe, ſi Medicis in ſectione venæ morem gereret, tamen alacriter paruit dicendo: *Moriamur, quandò Deo ita viſum eſt.* Atque ita vitâ excedens, præclaro illam concluſit obedientiæ erga Medicos exemplo. Quis dubitet, eum nomen cum Chriſto ſuper omne nomen meruiſſe, qui cum eodem humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem.

FACTUM XLIV.

Patientia heroicè humilis.

Rho. l. 6. c. 4. n. 11. PJoannes Plaza ſupremo vitæ triennio adeò ab Arthritide occupatus, & vexatus eſt, ut vel levem amicæ manus attactum ſine acerrimo doloris morſu non toleraret. Hæc inter animo conſtanti ad Deum mente ac voce converſus ſæpiſſimè uſurpabat. Dum à te peregregiè vapulo, ego interim pſalmum quinquageſimum pœnitentiæ nunc meæ, ac miſericordiæ olim tuæ teſtimonium ſanè luculentum recitabo. Nimirùm ob oculos habebat Pſalmiſtæ exemplum dicentis: *Veruntamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.*

Pſalm. 61. v. 6.

FACTUM XLV.

Patientia heroica in perſecutionibus.

S. Petr. Damian. in vit. c. 49. SRomualdus fundator ſui Ordinis accuſatus ab impuro homine, diſciplinam ejus non ferente, quaſi nefandum ſcelus ſecum perpetrâſſet, à ſuis ſubditis in publico conventu condemnatus, tanquàm laqueo & igne dignus, adeoque & ſacra celebrare prohibitus eſt, quæ omnia licet centenarius æquiſſimo tulit animo, ſolatus ſe Chriſti dicto & exemplo: *ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Ob quâ cauſam etiam

Jo. 15. v. 20.

S. Phi-

vit. l. 1. c. 18. S. Philippus Nerius per triginta annos multa in domo S Hieronymi perpeſſus, nunquam adduci potuit, ut ad domicilium Patrum Congregationis Oratorii â ſe fundati tranſiret, donec authoritate ſummi Pontificis ad hoc coactus eſt.

FACTUM XLVI.

Paupertas heroicè confidens.

Rho l. 7. c. 11. n. 12. CAjetanus Thienæus Theatinorum Fundator poſitis in urbe Venetiarum novi Ordinis principiis, quæ rejectis in Deum curis belliſſimè ſe dederant, jubetur â Caraffa Neapolim proficiſci, atque in ea novam ſtirpem pangere. Rapuit ad ſe animos civium ac Principum Thienæi virtus, quem quum egentiſſimum rerum omnium videret oppidi Comes, & virtutem hominis ſuſpiceret, cenſus & fundos, quibus recentem familiam aleret, liberaliſſimè obtulit. Renuentem atque objicientem bellè ſibi in eâ, quam profitebatur rerum omnium nuditate rem Venetiis proceſſiſſe, monebat Comes, non eadem omnium locorum eſſe ingenia; Ad quæ ſucclamans Thienæus: At ego, inquit, alterum Neapolitanæ urbis, Venetiarum alterum Ducem eſſe neſciebam. Verùm quum obtrudendi, quæ non accipiebantur, nullum finem faceret Comes, veritus Thienæus, ne contentio illa paupertatis luminibus officeret, eâ, quæ conſecuta eſt, die, ſummo manè, quos ſecum habebat ſocios, cum ſuis talaribus, ac precum breviario, domo, quam idem commodaverat Comes, exire juſſit, clavesque remiſit, multa cum gratiarum actione jubens renunciari; Velle Thienæum experiri, an Deus alius Neapoli eſſet, qui fidem ſuam liliorum, ac volucrum fidejuſſione obligatam pauperibus ſuis non ſervaret. Hinc Thienæi imaginibus addita lilia, ut quæ aliis candoris, atque intaminatæ virginitatis ſunt ornamenta, ſpei in Deum rejectæ, nec falſæ eidem ſint argumenta.

FACTUM XLVII.

Paupertas heroicè prælata.

Ibidem n. 9. noſt. JOannes Valeſius calculo immaniter cruciatus, Medici ferrum, & vulnus incitatiſſimè poſtulabat; & ſecari tutò poſſe dicebant Medicorum peritiſſimi. Ergo cum homine illius laniatus benè perito trecentis Belgicis florenis ſocii paciſcuntur, grandi ſanè mercede; Nam hi alienæ vitæ pericula carò vendunt. Hoc ut reſcivit Valeſius, immanem illam ſummam eſſe reputans, ſeque tanti eſſe, haud quaquàm credens, ut ſecari vellet, adduci non potuit. Maluit igitur diros inter cruciatus paupertatis integer emori, quàm cum aliqua illius offenſione ſanitatem recuperare; quâ eâdem conſtantiâ, ſi qua paulò pretioſiora Medici pharmaca imperarent, abnuebat; ne per adamatæ ſibi paupertatis vulnera convaleſceret. Quæ quidem reſolutio in Joanne tantò magis æſtimanda erat, quantò certiùs plerique ſtatuunt, paupertatem commodis quidem omnibus anteferendam; at quum de vita cernitur, hujus jura eſſe longè potiora, utque nemo ſanus divitias omnes vitæ tuendæ compa-

ratas eſſe non intelligit, ita omnibus conſtare paupertatem uſque ad vitæ aras colendam eſſe.

FACTUM XLVIII.

Pietas heroicè victrix.

MUltifariam in uno adoleſcente atque elegantiſſimè ſe pietas explicabit; etenim Tarellus, quùm invito parente Capuccinum induiſſet, & depoſito extra patriam tyrocinio conſtantiam ſolemnibus votis firmâſſet, juſſus Forum Julii reverti, ut patrem irarum adhuc plenum placaret, ſe veteranis probavit. Ut primùm horridâ illâ in veſte patrem convenit, tantum illi ipſo inviſi habitus aſpectu ſtomachi movit, ut ingenti colapho ab homine impotentiſſimo ad terram affligeretur, ſed egregius adoleſcens patris pedes incredibili modeſtia oſculatus, ita flexit, ut illicò mutatus in amplexum rueret, atque amantiſſimè ipſum oſcularetur. Novum inde litis genus ortum, parente domum invitante, filio pauperum Xenodochium præhabente, ex quo paupertatis amans extrahi, ac paternas in ædes migrare nunquam paſſus eſt. Mox valetudine occupatus, conclamatuſque â Medicis tabulas novi generis, ſolidæque adverſus parentem pietatis conficit, illumque eorum, quæ ipſe cumque apud Deum meruiſſet (ſanctè precatus, ut ea rata eſſet voluntas) hæredem inſtituit, ſimulque obſecrat, nihil ultra rogaturus, ut quod reliquum eſſet vitæ, ad Chriſtianæ ſanctitatis amuſſim exigat, nihil ſe patri ampliùs præſtare poſſe. Perculit filii morientis pietas hominis animum, eamque poſt illius exceſſum vitam inſtituit, cujus filium, ſi viveret, non pœniteret. Sic nempè etiam hæc pietas, quæ parentibus exhibetur, utilis eſt ad omnia, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & in futuro. *Idem l. 4. c. 4. n. 19.*

FACTUM XLIX.

Prudentia heroicè ingenioſa.

GRave vulnus in genu Romæ â ſicario acceperat vir nobilis, atque, ut erat iræ & doloris impotens, quum diro cruciatû artus convellerentur, vindictam clamans & ſpirans, nullamque ſaniora ſuggerentium vocem ad aures admittens, geminæ mortis in limine periclitabatur. Deſperata propemodùm erat non minùs animi, quàm corporis curatio, quùm ex animorum Medicis unus (è Capuccinorum familia fuiſſe tradunt, nec nomen addunt, qui hæc prodiderunt) acciri, quibus æger delectabatur, ſymphoniacos jubet, ac modis leniſſimis canere. Itaque illapſa furentis in animum modulorum ſuavitate, iræ atque furori modus paulatim fieri cœpit, detumuitque animus; factumque muſicæ pretium, ut exinde monitores, atque ad omnem Chriſtianæ adverſus inimicum ac ſicarium charitatis ſignificationem nullo negotio traduceretur. Tanti eſt crudos adhuc atque indomitos humores pharmacis lenioribus præmollire, ut placidè ac ſine concuſſu poſſint evocari. *Idem l. 5. c. 1. n. 6.*

R.

FACTUM L.

Religio Heroica.

Idem l. 3. c. 1. n. 17.

ROganda venia eſt, admonendique delicatuli, ſtomachum ut aduituri confirment, aliquid enim dicturus ſum ultra communes leges à Mancinello, ſed magna, atque incredibili quadam operis mercede tentatum. Sumptam, fluctuante ſtomacho, Euchariſtiam, haud ita multò poſt eodem redundante integram adhuc, minimeque diſſolutum rejecerat æger. Dum quid facto opus ſit, conſulitur., atque igne parant ſacras ſpecies abolere, Mancinellus occaſionem ultrò invadens quod vix cogitare audemus, facit, infectamque ſordibus abſorbet. Miror non tam ſtomachi, quàm animi robur, & charitatis præſentem adfuiſſe mercedem, minimè miror; Ferunt exinde divina libanti Sacramenta abditæ dulcedinis ſenſum nunquam defuiſſe, ut non tam animo, quàm corpore ipſo lautè ſibi, ac delicatè epulari videretur. Operæ pretium eſt, aliquando præclarè vincere, ut divinarum conſolationum victoribus æra procedant.

FACTUM LI.

Reſignatio Heroica in Divinam voluntatem.

Pennequin in Iſagog. p. 1. c. 24. n. 5.

S. Franciſcus Saleſius ſuam cum Divina voluntate confeſſionem ſat clarè ſequentibus verbis expreſſit: *Nolo mihi ullam eligendi optionem dari: Deus ipſe, ſi placet, ſolus eliget: Nihil volo, & omnia volo, modò volente Divina, meæ Regina voluntatis, priùs velit: poſt mortem ad locum, quem mihi incomprehenſibilis bonitas aſſignarit, lubenter & plus quàm libentiſſimè, in eoque pacatè & placidè conquieſcam, cum hac loci à Deo mihi facta deſignatione. Purgatorium mihi erit ad inſtar Paradiſi; ſine illa Paradiſus ad inſtar purgatorii à me reputabitur. O! inquies, ad Paradiſum potiùs evehamur, ibi Deum multò perfectiùs laudabimus. Nolo illud multò perfectiùs examinare aut diſcutere; hoc mihi ſufficit; ſi eum laudem, quantùm ipſe ſapientiſſimus præſcripſerit.* Ita vir ille ſanctiſſimus, & quietis & pacis ſingulare domicilium, cujus ab ore manabant hæ frequenter voces: *Volo, ut quod Deus meus non eſt, mihi pro nihilo ſit: omni me libertate aliquid volendi abdico, unicum mihi reſervo deſiderium conformandi me voluntati divinæ, & miror, homines alteri bono, quàm illi, adhærere.* Quem in finem exemplum parvuli Jeſu in præſæpio jacentis ob oculos ſibi objiciebat, qui non legitur ad papillas maternas manus extendiſſe, ut lac ſe haurire velle monſtraret, hoc maternæ relinquebat providentiæ, à qua oblata ſolatiola non recuſabat. Nihil ille infantulus ambiebat, omnem ſuam voluntatem in matris voluntate depoſuiſſe videbatur: Ita non eſt ſatis amanti, divino beneplacito conformari, ſed omni ſe propria voluntate exuat oportet, & illam in Divinam quodammodo convertat, ita ut non tam velimus ipſi, quàm Deus in nobis & pro nobis, velit, operando velle ſimul & perficere, modo admirabili, ſed amanti perjucundo, atque fructuoſo.

FACTUM LII.

Alia Reſignatio heroica.

Ibidem c. 26. n. 21.

COenobita quidam cùm omnia Monaſterii bona divinæ Providentiæ ſubjeciſſet, ſui ipſius etiam curam abjecit, ſeque totum Deo permiſit pro tempore, & æternitate; dicens: Si ſcirem divino decreto jam conſtitutum, ut ad inferos detruderer, nollem vel unico momento Dei voluntati obſiſtere; & ſi poſſem dicendo unum Pater & Ave decretum illud evertere, aut immutare, non facerem; duo tantum Deum rogarem: unum, ut tota æternitate ſanctiſſima ejus voluntas in me impleretur: alterum, ut mihi eam faceret gratiam, ne unquam vel minimam cogitationem contra ejus decretum admitterem: quam animi demiſſionem, & precationem iterabat quotidiè; ut nulli mirum eſſe debeat, ſi Deus hominem frequentibus miraculis honeſtarit, cùm tanta animi excelſitas, & magnitudo ſummum ſit ipſa miraculum. Quod ipſum exemplo ſuo inſigniter confirmavit Margarita D'Arborete Virgo noſtris temporibus conteſtatæ virtutis, quæ, cùm corpore & animo graviſſimis doloribus afflictaretur, eumque, qui illi erat à rebus conſcientiæ dirigendis, ad commiſerationem permoveret; iſque ſuaderet, ut iſti animi angoribus ſe expedire conaretur, *Omnem*, inquit illa, *conatum adhibui, ſed incaſſum, quò magis à colloquiis & communicatione cum aliis levationem quæro, eò magis corporis animique tormenta acreſcunt: ita tamen me animo conſtitutam ſentio, ut iis liberari omninò nolim: ferendum eſt, tolerandum eſt, & cum Deo in voluntatis & gaudii conſpirationem veniendum; ſic enim meliùs habere me ſentio, & magis Deo conjungi: Jeſus ſponſus inter excruciatos, & patientes primus fuit, & inter amantes etiam palmam tulit. Humanitas etiam inter iſta hypoſtaticè Verbo unita fuit: quem proinde cùm propiùs imitabor, eò magis in unum idemque cum illo conſpirabo, & collimabo.* Hoc præterea eſt penſandum: aliud eſſe amare, aliud me pernoſcere, quod amem. Amor ille ſuperior nullo ſenſu percipi poteſt, latet ſub crucibus, & intimis animi receſſibus operatur, quò ſenſus nullus penetrat, eò velut in arcem & propugnaculum confugit. Inde emanant amantis hæ voces: *Deus meus, tuus ſum, eroque ſemper:* quas non tam ore exprimit, quàm omnimoda cum voluntate Dei conformatione, quæ tacita quædam precatio eſt, & cæteris omnibus excellentior, quâ animus ſe ipſum quaſi exuit, & omnibus afflictionibus ſuperior in Deum ſe totum transfert, & omni jure propriæ voluntatis ſe prorſus exſpoliat, quaſi Deo diceret: Verum eſt, me multùm pati, Deus meus; ſed aliter mecum agi nolo, quando ita vis: Verum etiam eſt, aliquam mei partem has afflictiones refugere; ſed non, quod ego volo, ſed quod tu: amabo hanc crucem, hos dolores, imò potiùs hunc infernum, quamdiu volueris, & illa non in ſe ipſis amabo, ſed ut à tua voluntate aſſignata, quæ ſola amoris mei regula eſt.

Ibidem p. 1. c. 9. n. 12.

FACTUM

FACTUM LIII.

Reſignatio heroica cœlitùs approbata.

Eiusdem p. 1. c. 7. p. 4.

B. Joannes Hieronymus Sacerdos è Societate noſtra, vir ob virtutum ornamenta, & conciones per Hiſpaniam celebris & apud Philippum ſecundum gratioſus, veſpere plures horas orationi dare ſolitus fuit, in qua ſæpiùs amorem ſanctum ad luctam cum amore proprio provocabat; ibi inſtructa velut acie prodibant omnia mala huic infeſta, & unum poſt aliud, quàm honorifica poterant ſpecie ad incutiendum metum ſe menti meditantis repræſentabant, hærebantque velut in conſpectu, donec paratum ſe ad illa perpetienda Deo offerret. Id quod cùm die quodam ageret, & famem, ſitim, morbos, carceres & mortem ipſam, velut præſentia pro amore Dei ſubeunda volens lubenſque acceptâſſet: ſubit poſtremò, velut inter ultimæ aciei triarios hæc cogitatio: Quidſi te jam Inquiſitio ſacra accerſeret, & de propoſitione hæretica in pulpitis prolata accuſatum examinaret, & damnaret? Hic hæſit, & ad Deum converſus ait: *Non hoc Domine.* Cumque nihilominus videretur ſibi minùs liberaliter cum Deo agere in hoc puncto; poſt aliquam cogitationum pugnam, cùm amori divino ulteriùs reſiſtere non poſſet, tandem Deo ſe totum commiſit, dicens: *Et hoc Domine,* Vix hæc verba protulerat, cùm Apparitor fores pulſat, ad Inquiſitores vocat; â quibus jubetur abſtinere â pulpito, donec de propoſitione hæretica, quam dicebatur inter concionandum protuliſſe planè ſe purgaret. Etiam accuſatus eſt apud Romanum Pontificem de verbis contra ſupremæ Sedis auctoritatem temerè prolatis, Romamque accerſitus, ut dictorum rationem redderet: in utroque Tribunali poſt longum examen innocens declaratus, & concionibus tum Romæ coram Pontifice, tum in Hiſpania deinceps cum majore, quàm antea audientium applauſu habitis clarior evaſit, ſed etiam Deo charior ob amoris divini per hanc rerum contrariarum varietatem, & in iis tolerandis conſtantiam maxima incrementa.

S.

FACTUM LIV.

Scientiarum amor heroicus.

Rho l. 7. t. 12. n. 1.

PErtinax virtus animi in Auguſtino Stenio improbæ, atque obluctantis fortunæ, quæ hominem ad magna deſtinatum viliſſimo loco, & corpore deformi naſci voluit, malignitatem omnem conſtantiſſimè ſperavit; quamquam enim quâ extrema paupertate, quâ oris fœditate inter ultimæ plebeculæ homines deridiculo haberetur, animus nihilominùs jam tum vetè magnus ipsâ tolerantiâ eminebat. Appulit deinde ſe ad Religionem, ac multis precibus in Canonicorum Regularium familiam aditu impetrato, adeò â collegis exagitatus eſt, ut, quum litteris dare operam vellet, riſu exciperent hominem, ac ne lumen in cubiculum ad lucubrandū inferret, impedirent. Hac ille rerum iniquitate conflictatus, nequaquàm ſciendi ardorem remiſit, verùm profunda noctium operi pulcherrimo deſtinavit; itaque ſtragula obvolutus in templum deſcendens, ſeptem toros annos ad penſilem ante aram lychnuchum conſtantiâ inauditâ pervigilans, nullam facultatem, linguam nobiliorem nullam, ſcientiam nullam reliquam fecit, quam animo non conciperet, atque informaret, ut illis è tenebris magna nominis claritate prodierit, atque utinam in exponendis divinis oraculis ſui non nimium judicii; verùm qui ſine magiſtro didicerat, aliquando labi fuit neceſſe.

M.

FACTUM LV.

Triſtitia heroicè correcta.

ANno 1585. in Hiſpaniis Vir nobilis alicujus criminis reus mandato Regis conjectus eſt in carcerem; ubi in mortis cogitatione, timore reque defixus, dum ſeptem menſes differtur ſententia, ita mœrore contabuit, ut qui ejus curam gerebant, præ triſtitiæ magnitudine moriturū crederent: Ubi tandem intellexit ſe ad mortem condemnatū, ſibique in carcere manu carnificis gulam frangendam, toto corpore inhorruit, & voce intercepta, ſuique præ anguſtia vix compos, poſt aliquod ſilentium, tandem in ſuſpiria & ſingultus erumpens exclamavit: Ergóne mihi carnificis manu moriendum? ergo laqueo fauces frangendæ? ô, laqueum! ô chordam! ô quæ nuntia aures, mentemque percellunt! O inferi, & ſempiterna tormenta! Tres illi conceſſi erant dies, quibus ſe pararet ad mortem; hic ſanctiori conſilio, & gratiæ cœleſtis ſubſidio ad orationem velut ultimam aſylum confugit; purgat ſe Sacramento pœnitentiæ, & cœleſti pane ſe corroborat: res mira, in hominem alterum prorſus mutatur, timor mortis, horror carnificis, & laquei evaneſcunt; mille vitas optat, ut eas omnes Deo in ſacrificium offerat, omnia Martyrum ſupplicia omnibus corporis membris excipere ardenter in votis habet: quin & manibus, oculiſque erectis in cœlum â Deo poſtulat, ut beneficii loco ſupplicium ſuum proroget, tortoris manum præ turbatione aberrare permittat, ac ſæpiùs intercidere, ac prolabi, ut vel annum integrum imperfectis ſtrangulationibus diſcrutietur, mortemque non inveniat; & qui paulò antè tortorem, & laqueum exhorruerat, nunc â centum lictoribus ligari, & cum ignominioſis proclamationibus circumduci impensè deſiderat; nocte integra ante diem ſupplicio deſtinatam voluit ſibi manus & gulam laqueo vinciri, ut tantò diutiùs, hoc Dei, ut ajebat, beneficio frueretur: Denique qui priùs ad ſolum inferorum nomen contremiſcebat, jam tantâ fiducia in Deum & pace fruitur, ut dicat, videri ſibi â divina miſericordia calce & cæmento inferorum portas occluſas, & quem triſtitiæ magnitudine moriturum credebat; tantâ nunc exundat lætitiâ, ut dicat: Si, cùm peccata mea defleo, tantis inceſſor gaudiis;

Pennequin p. 3. c. 9. n. 4.

gaudiis, quantis brevi, ubi Dei conſpectu frui dabitur, perfundar? ejus verba & voces ita in Dei laudes, & gratiarum actiones abeunt, ut admirabiles in adſtantibus excitent motus animorum: exauditus fuit à Deo in eo, quod tortorem attingebat: ille enim, dum gulam frangere conatur, animo perturbatus, dum vix advertit, quid agat, quartam ferè horæ partem in eo ultimo, funeſtoque actu poſuit; reo interim tam ſereno vultu, & conſtantia omnem hanc carnificinam excipiente, ut nec pedem, aut manum, aut aliam partem corporis moveret, nec verbo querelam proferret, aſtantibus ad tantam patientiam & tranquillitatem ſtupore defixis, & nominatim Patre Ariâ, qui ſpectabat, & morientem in hoc ultimo certamine juvabat, quique hæc omnia literis ad poſteritatis memoriam conſignavit; ut, quantum habeant mortales in humili & perſeverante ac fideli oratione ſubſidium agnoſcerent.

FACTUM LVI.

Temporis heroica parſimonia.

Rho l. 5. c. 11. n. 5. ANgelus Pazius Ordinis Minorum, clari nominis, magnarumque virtutum, nihil unquam per ineptas moras corrupit, ſed celerrimè omnia adminiſtravit, addenſatoque gradu, quantùm officii ratio ferret, per urbem inceſſit, quòd diceret, otioſè molientibus, atque obambulantibus multa offerri aliena, quæ tempus furaciſſimè ſubducerent, animíque vim, quæ ſuoptè diffluit ingenio, morâ inſuper debilitarent.

U.

FACTUM LVII.

Veritatis amor Heroicus.

Idem l. 4. c. 9. n. 5. HIſpali agebat Philippus Tertius, obortâque de novo vectigali controverſiâ, cives minùs, quàm vellet, habebat obſequentes, quòd ſe cogi non poſſe dicerent, ſpontè verò nihil daturos. Nec deerant ex Theologis, qui regiæ cupiditati faverent, ſed quod hi gratiam Principis veritati præhabere vulgò crederentur, ideò parùm illis auctoritatis in publicum. Ingens id temporis Ruizii nomen, etſi pro Rege ſentiret, ſequuturum Senatum, ac cives apparebat. Ergo tentari hominem placuit, & quia auro, oblatiſque honoribus inexpiabilem non dubitabant, alia via aggrediendus fuit, ſciebant hominem ingentes, atque eruditiſſimos commentarios de divinæ gratiæ, hominumque libertatis concordia elaboratos habere, quos ante editum à Paulo V. decretum, quo de illa controverſia publicatis utrimque libris diſputare vetuerat, non abſolutos apud ſe habere cogeretur, & in lucem bono reipublicæ emittere ſummis votis expeteret. Componit ergo ad Ruizium litteras Lernæus Dux, qui tum rerum arbiter ipſe ſolus erat Philippo, laudatumque prolixè hominem hortatur, ut juſtiſſimæ Regis voluntati obſequi velit, illiusque petitioni ſuæ, quam eſſe validiſſimam Rex intelligeret, momentum addere auctoritatis. Obligare Regem fidem ſuam, acturum ſe cum Pontifice, ut quos premeret ſummæ eruditionis libros, edere poſſet in lucem; tantam eſſe Regis apud optimum Pontificem gratiam, atque auctoritatem, ut de repulſa timendum non videatur. Hortari proindè ſe opere quàm maximo, ne Regis abire jam volentis voluntatem unus ipſe, quem omnium vota ſpectarent, ultrà fruſtrari vellet. Validâ hæc omninò petitio fuit; ſed apud Ruizium major omnibus, ut eſt in oraculis, veritas fuit. Reſcripſit, habere ſe gratias Regi, quas numquam poſſet referre pro ea, quam de ſe haberet, opinione, proque promiſſis, quæ ſibi auro gemmiſque eſſent pretioſiora. Cæterùm neque his, neque quibus demum cunque aliis à veritatis, quam unicè adamaret, ſemitâ ne latum quidem unguem deflexurum; ac ne ſuſpenſum diutiùs Regem haberet, videri ſibi cives cogi non poſſe. Nimirum altè menti Ruizius inſcripſerat ſaluberrimum monitum Salomonis: *Miſericordia & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus.* *Prov. 3. v. 3.*

FACTUM LVIII.

Victoria ſui generoſa.

NEapoli puella nobilis & prædives ab adoleſcente paris nobilitatis in conjugem petebatur, & jam in id conſenſerant utrimque parentes, & pro connubialibus pactis communiter ſtabiliendis in aliquod conclave convenerant; cùm puella in ſuo cubiculo ante pendentem è cruce Chriſtum proſtrata, altioribus cogitationibus agitari cœpit, & divinioribus flammis accendi: Quid, ajebat, quid ago, Jeſu Fili Dei, & hominum amator? ſiccine, dum tu carnem tuam innocentiſſimam tam atrociter tractas, ego voluptates licèt in conjugio licitas conſectabor? ſiccine, dum tu vulneribus, & ſanguine deformaris, ego formæ excolendæ, ego gemmis & monilibus ornando corpori operam dabo? non fiet; & continuò ſibi comam reſcindit, eâque ad pedes crucifixi appenſâ, illam ipſam effigiem manu gerens, è cubiculo egreditur, & ad conclave, in quod omnes convenerant, ſe confert, ibi ad matrem converſa: Non eſt, inquit, Domina, quod de conjugio meo ulteriùs agatis; ecce Sponſus iſte meus eſt, quem elegi, & cujus pedibus crines meos ut arrhas appendi. Mira hîc inter omnes turbatio, admirantur aliqui, fremunt & indignantur alii: ſed tamen penes Chriſtum, novamque ejus ſponſam ſtetit victoria. Audierat videlicet intus Chriſtum dicentem, quod olim viſibiliter conſpectus virgini ſponſum terreſtrem eligenti dixerit: *Me accipe, qui ſum formoſus, dulcis, generoſus.* *Pennequin p. 2. c. 16. n. 12.*

FACTUM LIX.

Victoria ſui heroica ſanguinea.

JOannes Baptiſta Faëntinus Capuccinus, ferocior, quàm credi poſſit, natura ingenioque ac diuturna gladiatorum conſuetudine oppidò efferatus, *Rho l. 7. c. 8. n. 15.*

feratus, ut ſe tandem reſpexit, ardentiſſimis animis Capuccinorum arduam, ac per difficilem vivendi, ſuique vincendi rationem, inter ipſa renaſcentis familiæ initia ſequutus, admirabili quadam contentione ſeſe ad omnem perturbationum victoriam exercebat. Nec moderatores deerant, duriora imperando, & verbis caſtigando. Ad quæ ille, quamvis animo commotior, continebat ſe nihilominùs, iramque habebat in poteſtate; quæ tamen ita efferbuit, ut violentius cohibita, ferventem jam nimiùm ſanguinem, ruptâ pectoris venâ, magno impetu profunderet. Tum Joannes Baptiſta in templum ſe raptim conjiciens, ut erat cruentus, ante Chriſti in crucem acti ſignum ſe abjicit, atque ſuecclamat: *En meum ſanguinem, Domine.* Exprobrantis hæc vox videbatur, cui Dominus, converſâ ad lateris vulnus dextrâ eas reddidit: *Vide, qualia & ego paſſus tui causâ olim fuerim*; Sic nimirum ſentire non debebat vulnera ſua miles Chriſti, dum Ducis ſui vulnera & ſanguinem intuebatur.

FACTUM LX.

Vota Heroica Deo oblata.

JOannes Falco è Societate Jeſu voto ſpopondit Deo, ſe nunquam ſuo ſenſui in cibo & potu obſecuturum, ſed ſoli neceſſitati. Joannes le Peſſier voto conceptis verbis ſe obſtrinxit, nihil ſe acturum unquam, quod divinæ gratiæ repugnaret, imò acturum ſemper, quidquid ex majore Dei gloria futurum erat. Ludovicus de Ponte ex eadem Societate, vigeſimo ante obitum anno, votum concepit, nullum ſe animo deliberato peccatum, quantumvis leve admiſſurum. Et ex eo tempore nihil in eo notari potuit, quod conſtaret eſſe capax reprehenſionis. Quis ergo miretur, tam liberalem erga hos in gratiis ſuis communicandis fuiſſe Deum tanta eorum liberalitate provocatum. Zeloſus honoris ſui eſt Deus; Liberalitate ſe vinci non patitur. *Ex Bibl. Societ.*

CATALOGUS

Scriptorum Aſceticorum præcipuorum.

NOn eſt animus, ut alibi jam monui, pleróſque hic Aſceticos Scriptores enumerare (hoc enim immenſi foret laboris, cùm in nulla ferè materia tot Scriptores extiterint, & pro ſuo quiſque Zelo prodeſſe aliis ſtatuerint) ſed eos duntaxat, qui vel propter utilitatem materiæ paſſim manibus teruntur, vel propter aliam quamcunque cauſam notiores exiſtunt; quales ferè ſunt ſequentes juxta ordinem Alphabeticum cognominis iterum proponendi.

A.

ALvarez de Paz Jacobus S. J. natione Hiſpanus vir omni virtute ornatiſſimus, cujus lucubrationibus luculentum acceſſit divinitùs pondus commendationis, quod viſus ſit inter ſcribendum cœleſti fulgore circumfundi, & ab adſtante quopiam, viri gravis ſpecie, quæ ſcribebat, in aurem excipere. Bibliothec. Societ.

Arias Franciſcus S. J. natione Hiſpanus, vir tum varia eruditione, tum vitæ integritate admirandus, & inter viros non hujus ſolùm ætatis, ſed venerandæ etiam antiquitatis, opinione Sanctitatis, quâ floruit, numerandus, ſcripſit materna lingua, ſingulari ingenio, eximia religione, ac prudentia, Tomos tres grandes, in quibus utiliſſima præcepta de Chriſti imitatione & aliis materiis tradit.

B.

De Barry Paulus, natione Gallus Soc. Jeſu, vir admodùm Pius, uti conteſtantur ejus lucubrationes plurimæ, & obſervantiæ religioſæ peramans, ſcripſit plura opuſcula valdè utilia. Bibl. Soc.

Bartolus Daniel natione Italus S. J. poſt concionem magna nominis celebritate duodecim annis in præcipuis Italiæ urbibus habitas, libris ſcribendis applicatus plures quidem hiſtoricos, non paucos tamen etiam Aſceticos, eosque perquàm utiles libros conſcripſit. Bibl. Soc.

Bellarminus Robertus S. R. E. Cardinalis natione Italus, dictus eſt vitæ cœleſtis, ac perfectæ Magiſter, & Dux, qui intra limites ævi ſui neminem habuerit majorem ſe; validus Eccleſiæ Dei coloſſus; piiſſimus fidei Athleta, & Hæreticorum hoſtis acerrimus; novus Antoninus in ſublevandis pauperibus, in vitæ perfectione Baſilius, in confutandis Hæreticis Irenæus â divina providentia deſtinatus; nunquam ſatis laudatus noſtro ſæculo, & poſterioribus ſemper laudandus: Tutor, Præſes, Conſiliarius, Senator Chriſtianæ Reipublicæ magnus: magnum Eccleſiæ columen: lucerna lucens in caliginoſo loco, tenebraſque omnes diſcutiens; rerum divinarum conſultiſſimus; ampliſſimi Ordinis, ſuique ſæculi ornamentum; hæreſum debellator; novus Alcides Aquilonis; eximium pietatis Chriſtianæ & eruditionis omnimodæ noſtri ævi ſidus; Romanæ Sacræ Purpuræ decus immortale; in medio Eccleſiæ â Deo poſitus, tanquam lucerna lucens, & ardens; Sacræ militiæ Princeps, ingens gloria temporum ſuorum, & ſexcenta in hanc ſententiam elogia matitus, quæ brevitati condono. Scripſit præter alios plurimos libros, de Aſcenſione mentis in Deum, de æterna felicitate Sanctorum, de Gemitu colum-

bæ, de Septem Verbis Domini, de Arte benè moriendi.

Bellovacensis Vincentius ex Ordine Prædicatorum, vixit tempore Innocentii IV. Pontificis. Scripsit opera laboriosissima, ac præsertim specula quatuor: Doctrinale, Historiale, naturale, & morale.

Bernardinus Theophilus, natione Gallus, S. J. vir rerum spiritualium scientissimus, ad quas novem annis Nostros instruxit, seorsim etiam sexennio Patres in tertia probatione. Scripsit præter alia utilissimum Tractatum de religiosæ perseverantiæ præsidiis.

Le Blanck Thomas natione Gallus S. J. vir ex omni parte perfectus, & cum scientia ita virtutem conjunxit, ut difficile dictu sit, utrâ magis excelluit. Scripsit præter alia multa Idæam perfectam Religiosorum, & aliarum multarum Personarum. Bibl. Soc.

S. Borgia Franciscus natione Hispanus S. J. Sæculi sui Decus, & specimen Sanctitatis, scripsit Hispanicè antè, quàm sæculò nuntium remitteret, opuscula quædam valdè utilia ad formandos mores, & profectum spiritualem pertinentia, quæ prodierunt octo tractatibus. Bibl. Soc.

Braccarensis Martinus ab Episcopatu sic nominatus Damiensis Monasterii Abbas, vixit circa annum Domini 572. Scripsit de virtutum Cardinalium differentia. Bellarm.

Canisius Petrus natione Belga S. Jesu, cùm nata nondum esset Societas, fœmina quædam opinione sanctitatis vulgò nota matrem ejus admonuit, ut magnâ Petrum curâ educaret, quòd brevi Religio quædam Clericorum instituenda foret, quæ eximias Dei Ecclesiæ utilitates esset allatura, in quam Religionem filius ejus adscriptus, vir apprimè insignis haberetur. Vaticinium seu præsensionem fœminæ rei approbavit eventus. Scripsit postulante Ferdinando Romanorum Rege *Summam Doctrinæ Christianæ*, brevem quidem illam, sed præclarissimam, & quæ copiosæ Bibliothecæ instar sit. Prodiit primùm â S. P. N. Ignatio probata, & Ferdinandi Regis munita diplomate, tacito alioqui auctoris nomine anno Salutis 1554. Primus omnium Societatis partus, post S. Patriarchæ nostri Exercitia spiritualia, sæpiùs deinde variis locis, & linguis recusa, demùm recensita ab Auctore, & multis locis aucta.

Caraffa Vincentius, natione Italus, S. J. septimus Societatis Generalis, vir insigni sanctitate præditus, & scientia Ascetica clarissimus, scripsit saluberrima & piissima opuscula, præcipuè Seraphinum, seu Scholam divini amoris, & Itinerarium ad alteram vitam. Bibl. Soc.

Carthusianus Dionysius, ab Ordine suscepto sic dictus; alioqui enim Dionysius â Lievvis vocabatur, natione Belga, vir fuit, teste Bellarmino, sanctissimus & doctissimus, vixit in Ordine 48. annis. Scripsit libellum de quatuor novissimis; ubi tamen Bellarminus cautè legendum esse monet, circa statum animarum in purgatorio. Bellarm.

Cassianus Joannes, natione Scytha ex Theodosia Tauricæ Chersonesi Urbe oriundus, sed patria Athenienſis in Bethlemitico Cœnobio â pueritia educatus, Ægyptum cum Germano populari suo peragravit, & Monasteria, sanctosque Patres frequens invisit. Constantinopolim profectus, à S. Joanne Chrysostomo illius Ecclesiæ Diaconus creatus est, & ab eodem ad Innocentium I. Papam legatus missus cum Germano Presbytero anno 403. vel sequenti. Aliquot post annis ab eodem Pontifice factus Presbyter, capta ab Alarico Romana Urbe, Massiliam anno circiter 410. venit. Scripsit egregios libros de Institutis Cœnobiorum, & octo principalium vitiorum remediis. Item collationes Patrum.

S. Climacus Joannes Monachus religiosissimus scripsit Librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem. Unde Climaci nomen sortitus est. Bellarm.

Crombecius Joannes natione Belga S. J. Ascetа insignis, scripsit perutiles duos libros, de Perfectionis studio. Bibl. Soc.

D.

Diadochus Episcopus Phorices, scripsit insignem librum de perfectione centum capita continentem, quem Franciscus Turrianus Soc. Jes. Theologus interpretatus est. Phil. Labbe.

Dorotheus Archimandrita scripsit Sermones viginti quatuor valdè solidos & utiles, quos P. Balthasar Corderius Soc. Jes. Theologus Latinitate donavit, brevibusque notis illustravit. Ibid.

D'Autreman Philippus, natione Gallus Soc. Jesu, divini honoris & salutis alienæ perquàm studiosus, scripsit utilissimum librum duos tomos complectentem, quem Pædagogum Christianum appellavit. B. S.

F.

Fatius Julius natione Italus Soc. Jesu vir æquè prudentiæ, ac magnæ sanctitatis laude conspicuus, scripsit perutilem libellum de mortificatione passionum, animique affectuum. Bibl. Soc.

G.

Gaudier Antonius natione Gallus S. J. rerum spiritualium peritissimus scripsit egregium opus de natura & statibus perfectionis. Bibl. Soc.

Gerson Joannes â Vico natali sic dictus, alioqui Charlierius vero cognomine appellatus, SS. Theologiæ Doctor Parisiensis, S. Joannis in Gravia Parochus, & Ecclesiæ Cathedralis, atque Universitatis Cancellarius, scripsit plurima pia opuscula fusè â P. Philippo Labbe in Tract. de Script. Eccles. relata, inter quæ tamen Libellum de Imitatione Christi falsò numerari ipse cum Bellarmino notat.

H.

Hautinus Jacobus, natione Belga S. J. Vir indole ad virtutem facta, & erga proximos eximia charitate. Scripsit præter alios insignem Tractatum, quem Patrocinium Defunctorum vocat. Bibl. Soc.

Hayneuf Julianus natione Gallus S. J. Vir religioſus, & morum ſuavitate amabilis, & inter ſanctiſſimos ſui ævi meritò numerandus, ſcripſit præter alios veritates practicas ex vita Chriſti, ſanctorumque geſtis in ſingulos anni dies quatuor tomis comprehenſas. Bibl. Soc.

Hugo de S. Victore, natione Saxo Ordinis S. Auguſtini Canonicus in Cœnobio S. Victoris ad muros Pariſienſes, ab antiquis quibuſdam Chronographis dictus Didaſcalus, ob ſeptem libros ab eo Didaſcali ſeu Didaſcalici titulo inſignitos, ab aliis lingua Auguſtini, vel alter Auguſtinus, quòd ſummus illius æmulator eſſet, cognominari ſolitus. Scripſit plures libros utiles, cui hoc Epitaphium adſcriptum:

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quàm brevis eximium continet urna virum!
Dogmate præcipuus, nullique ſecundus in orbe,
Claruit Ingenio, Moribus, Ore, Stylo.

Humbertus Dominicanus natus in oppido Romonenſi, ſeu Romanſenſi Diœceſis Viennenſis, Hugonis à S. Caro, poſtea Cardinalis ἁπλῶς nuncupati, diſcipulus, atque Ordinis Prædicatorum Quintus Prior Generalis ab anno 1254. ad 1263. Obiit Lugduni anno 1276. Scripſit Inſtitutionum ſpiritualium libros ſex, univerſa, quæ ad abſolutam Religionis formam ſpectant, exactiſſimè comprehendentes, quod etiam ſpeculum Religioſorum inſcribitur. Phil. Labbe.

I.

Idiota pleriſque hactenus ignotus, eò quòd nomen proprium ex humilitate ſuppreſſerit, hoc demum ſæculo emicuit à R. P. Theophilo Raynaudo eductus clariſſimam in lucem. Is eſt Raynaudus Jordanus, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini, primum Uticenſis ſive Uzecienſis in Narbonenſi Gallia Præpoſitus anno 1381. Deinde Cellenſis ad Carum fluvium in Biturigibus Cubis Abbas, quæ nunc Abbatia Patribus Fulienſis congregationis Ord. S. Bernardi attributa eſt. Scripſit præter alios complures libros Tractationem plenam de B. Virgine, quæ ſæpiùs citatur. Phil. Labbe.

Iſidorus Presbyter Ægyptius ſanctiſſimus, & magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ, vulgò Peluſiota dictus, quòd juxta urbem Ægypti Peluſium, quibuſdam modò Belbeis vel Damiata appellatam, monaſticam vitam exercuerit (ſunt & qui Abbatem vocent Peluſiaci montis in Ægypto) fuiſſe S. Joannis Chryſoſtomi diſcipulum, & floruiſſe ſub Arcadio ejuſque filio Theodoſio minore conſtat; de quo Nicephorus teſtatur, ſcriptas fuiſſe ab eo decem Epiſtolarum chiliadas omnis generis divinæ ſimul & humanæ gratiæ refertarum, in quibus omnem ſcripturam ſacram clariſſimè exponit, omneſque omnium Ordinum mores inſtituit. Labbe.

K.

De Kempis Thomas à Patria Kempenſi, ſive à Campis modico in Diœceſi Colonienſi oppido ad Rhenum, cognomento Hemerchin, hoc eſt, Malleolus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Congregationis Windeſimenſis Religioſo in monte Divæ Martyris & Virginis Agnetis prope Znollas, Diœceſi Ultrajectenſi, vitâ & converſatione devotus, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ amator præcipuus, hic obiit ætatis anno 91. Chriſti Domini 1471. die 8. Kal. Auguſti, de quo tam multa in utramque partem, occaſione librorum quatuor de Imitatione Chriſti, hiſce proximis annis ſcripta ſunt, ut non neceſſe ſit diutiùs in ejus pangendo elogio immorari. Phil. Labbe.

L.

Lanzicius Nicolaus, natione Lithuanus S. J. Vir ſapientiâ & virtute clariſſimus, ſcripſit opuſcula ſpiritualia valdè erudita duobus tomis in folio comprehenſa. Bibl. Soc.

Leſſius Leonardus, natione Belga S. J. de quo cunctorum una vox erat, humili, ſuavi, ſeria, pia Leſſii converſatione ſeſe velut vi quadam magnetica attractos, lætiores, doctiores, ad virtutem promptiores effectos eſſe. Scripſit varios, ſolidiſſimoſque libros Aſceticos, præcipuè de perfectionibus divinis, ſummo bono &c.

M.

Munfordus Jacobus, natione Anglus S. J. Vir cum Deo per orationem valdè conjunctus, divini honoris valde appetens, ſalutiſque animarum. Singularem erga animas in piacularibus flammis detentas pietatem exercuit, quibus, quidquid operis boni agebat, partem ſatisfactoriam applicabat. Quod ut aliis etiam perſuaderet, egregium & ſolidum de miſericordia illis præſtanda tractatum ſcripſit. Bibl. Soc.

N.

Nierenbergius Joannes Euſebius, natione Hiſpanus S. J. Vir omni ſcientiarum genere & ſanctitate eximia conſpicuus, tot tamque eruditos & ſolidos conſcripſit libros, ut aliqui ſenſerint, infuſas illi fuiſſe divinitùs ſcientias. Specialem verò commendationem meretur liber de Adoratione in ſpiritu & veritate, & vita divina. Bibl. Soc.

Nigronius Julius, natione Italus S. J. Vir non ſolum doctus & ſapiens, ſed etiam pius valdè & Religioſus, ſcripſit perutiles ſeptendecim Tractatus Aſceticos. Bibl. Soc.

P.

Platus Hieronymus, natione Italus S. J. Vir celeberrimæ virtutis & ſanctimoniæ famâ clarus, ſcripſit egregium tomum de bono Status Religioſi. Bibl. Soc.

Pinellus Lucas, natione Italus S. J. Vir doctus, & bonus Aſceta, ſcripſit multos perutiles ſeptendecim Tractatus Aſceticos. Bibl. Soc.

De Ponte Ludovicus natione Hiſpanus S. J. conſpectus aliquando cum peculiari Doctoris Laureola, ac prærogativa; propterea quòd inſpirante Deo, ſalutarem Eccleſiæ doctrinam in ſuis lucubrationibus propinâſſet. Bibl. Soc.

Poiræ-

Poiræus Franciſcus, natione Burgundo-Sequanus, vir cùm cæteris virtutibus, tum impenſè pio in Deiparam ſtudio laudabilis, de qua etiam triplicem coronam ex humanis, diviniſque ſententiis contextam ſcripſit. Bibl. Soc.

Pennequin Petrus, natione Belga S. J. Vir inſigni præditus prudentia, & rerum ſpiritualium uſu; ſcripſit egregiam Iſagogen ad amorem Dei. Bibl. Soc.

R.

Rodriquez Alphonſus, natione Hiſpanus S. J. ultra 30. annos Tirones cum ſumma laude inſtruxit, Heroicis virtutibus inſignis, quippè in ſeipſo expreſſit, quidquid ſanctitatis impreſſit in libris, præcipuè in Exercitio de perfectione, & virtutibus Chriſtianis. Bibl. Soc.

Raynaudus Theophilus, natione Gallus S. J. Vir eruditiſſimus, & ſanctiſſimus; ſcripſit libros quamplurimos Aſceticos, eruditionis & ſcientiæ ſpiritualis laude refertos. Bibl. Soc.

Roth Hugo, natione Germanus S. J. homo ſingulari prudentiæ, & mirificè ſolidarum virtutum ſpiritu SS. PP. repletus; ſcripſit viam Regiam virtutis omnium Religioſorum Inſtitutis accommodatam. Bibl. Soc.

Rusbrochius Joannes à pago cognomine Rusboëck ad Sennam fluvium inter Bruxellam & Hallas in Belgio ſic appellatus, ex Vicario & Presbytero Eccleſiæ S. Gudulæ in Urbe Bruxellenſi primus Prior ſub Francone Præpoſito Cœnobii Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini in Viridivalle ſita in ſylva Soria ad ſecundum ab eadem Urbe lapidem, dictus Doctor divinus & excellentiſſimus contemplator obiit 1381. ætatis 88. die 2. Decembris. Scripſit utiliſſima opuſcula, maximè de ſeptem cuſtodiis Scholæ ſpiritualis.

S.

Salianus Jacobus, natione Gallus S. J. Vir vitæ integritate, & indefeſſo labore conſpicuus, ſcripſit opuſcula utiliſſima de amore & timore Dei. Item de arte placendi Deo. Bibl. Soc.

Saint-jure Jo. Baptiſta natione Gallus S. J. Vir inter ſummos Societatis viros meritò reponendus, ſcripſit præter alios inſignem tractatum de cognitione & amore Jeſu Chriſti. Bibl. Soc.

Scribanus Carolus, natione Belga S. J. ob res geſtas ſcriptaſque ſummis infimiſque in pretio fuit: ſcripſit plurimos libros valdè eruditos & utiles. Bibl. Soc.

Saraſſa Alphonſus Antonius, natione Belga S. J. in quo mirabantur omnes conjunctam cum ſumma claritate ſoliditatem doctrinæ; ſcripſit artem ſemper gaudendi, egregium planè & utiliſſimum opus. Bibl. Soc.

Suffrex Joannes, natione Gallus, vir ob eximia naturæ & gratiæ dona æternâ memoriâ dignus, & externis juxtà ac domeſticis chariſſimus, edidit præter alia Annum Chriſtianum, opus omnibus longè utiliſſimum, quo docentur, ſingulas per annum actiones rectè inſtituere. Bibl. Soc.

Suquet Antonius, natione Belga S. J. Vir omninò magnus, & conjunctione cum Deo ſuo maximus, quem unum pectore, ore, calamo ſuo circumferebat. Scripſit viam vitæ æternæ tribus libris comprehenſam; quorum primus viam incipientium, alter proficientium, tertius perfectorum docet. Bibl. Soc.

T.

Taulerus Joannes natione Germanus, Ord. S. Dominici, Concionator inſignis & piiſſimus, quem adverſus criminationes Eckii defenderunt Laurentius Surius, Ludovicus Bloſius, & alii; Floruit circa annum 1350. Scripſit præter alia multa ſermones de perfectione vitæ interioris, de virtutibus, & novem gradibus perfectionis. Bellarm. & Phil. Labbe de ſcript.

Trinckelius Zacharias Ignatius, natione Ungarus S. J. Vir ingenio perſpicace, prudentia ſingulari, conſilio prompto, & in negotiis tractandis imperterrito; Aſceta præterea inſignis; ſcripſit de hac materia librum, quem Major Dei Gloria finis unicus Societati præpoſitus inſcripſit. Bibl. Soc.

TITULUS XIV.

AVARITIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

a.2.q.118. a.1.

ESt inordinatus habendi appetitus, juxta S. Thomam; ſed quia ut ſic etiam Superbiæ, aliiſque vitiis, conveniret hæc definitio, ideò rectiùs ab eodem definitur inordinatus divitiarum appetitus; Unde quia divitiæ plerumque in Argento conſiſtunt, Græci Avaritiam φιλαργυρίαν dixerunt.

Diviſio.

II. Dividitur in duas Species, quarum prior inhiat alienis bonis immoderatè cumulandis, poſterior propriis bonis ultra rationis præſcriptum retinendis; nam ut S. Auguſtinus benè advertit, Avarus non ſolùm eſt, qui rapit aliena, ſed etiam, qui cupidè ſervat ſua. *S. Aug. in ſerm. quodam.*

Actus.

III. *Nimiam de divitiis æſtimationem concipere:* nam, ut S. Auguſtinus ait, Avari frui volunt nummo, uti autem DEO; quoniam nummum non propter DEUM intendunt, ſed DEUM propter nummum colunt. *S. Auguſt. l. 11. de Civit. c. 25.*

IV. *Aſſiduum deſiderium divitiarum in pectore fovere:* Uti S. Apoſtolus inſinuavit dicens: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laquem Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt Homines in interitum. *1. Tim. 6. v. 9.*

V. *Su-*

Exod. 5. v. 9. V. *Superfluas curas & solicitudines de divitiis congregandis suscipere:* Unde divitiæ Pharaoni comparantur, quia cum eodem dicunt: Vacant & vociferantur dicentes; Eamus, & sacrificemus DEO nostro. Opprimantur Operibus, & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus.

S. Greg. l. 31. mor. c. 31. VI. *Varias artes, modosque illicitos excogitare ad divitias acquirendas:* De quibus S. Gregorius locutus est dicens: De Avaritia, Proditio, Fraus, Fallacia, Perjuria, Inquietudo & Violentiæ oriuntur.

Innocent. de vilit. condit. hum. VII. *Negare aliis debitam mercedem, victum, aut debitorum solutionem:* De quo actu Innocentius ait: Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio, gulam evacuat, ut arcam adimpleat: corpus extenuat, ut lucrum extendat: Manum habet ad dandum collectam, sed ad recipiendum porrectam: ad dandum clausam, sed ad accipiendum apertam.

VIII. *Etiam sibi debitam sustentationem subtrahere:* Uti ex præcedenti testimonio Innocentii, & quotidiana experientia patet.

S. Thom. 2. q. 118. a. 8. IX. *Erga pauperes & miseros cor obduratum gerere:* Quia, ut S. Thomas loquitur, cor Avari non emollitur, ut de divitiis subveniat miseris.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 25. v. 20. I. INfernus & Perditio nunquam impletur: Similiter oculi Hominum insatiabiles.

Eccl. 10. v. 9. II. Avaro nihil est scelestius.

Isaiæ 56. v. 11. III. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad Avaritiam suam à summo usque ad novissimum.

Eph. 5. v. 3. IV. Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.

Prov. 23. v. 5. V. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cœlum.

Ps. 61. v. 11. VI. Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere.

Luc. 12. v. 15. VII. Videte, & cavete ab omni Avaritia: Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet.

Sap. 5. v. 8. VIII. Quid nobis profuit Superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra.

Fuga.

Marc. 6. v. 19. IX. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi Fures effodiunt, & furantur, ubi ærugo & tinea demolitur.

1. Tim. 6. v. 17. X. Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo.

Ibid. v. 8. XI. Nihil intulimus in hunc Mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

Hebr. 13. v. 5. XII. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.

XIII. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? Eccl. 14. v. 3.

Damnum.

XIV. Conturbat domum suam, qui sectatur Avaritiam. Prov. 15. v. 27.

XV. Avari regnum DEI non possidebunt. 1. Cor. 6. v. 10.

XVI. Ubi sunt, qui thesaurizant argentum & aurum, in quo confidunt homines? ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt. Baruch 3. v. 19.

XVII. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet. Eccl. 10. v. 10.

XVIII. Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum? numquid non repentè consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Habac. 2. v. 6.

XIX. O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua. Eccl. 41. v. 1.

XX. Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & DEI. Eph. 5. v. 5.

XXI. Agite nunc divites, plorate ululantes super miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & exedit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus. Jac. 5. v. 1.

XXII. Facilius est, Camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Matth. 19. v. 24.

XXIII. Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei. Prov. 28. v. 22.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. AVarus vir inferno similis est. Infernus enim, quantoscunque devoraverit, nunquam dicit: Satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum. S. Augustin. in Epist. ad comit.

II. Inflammatur lucro Avaritia, & non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet; & quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, unde fit gravis ruina lapsuro. S. Ambros. de Naboth.

III. Cùm cætera vitia senescente homine senescant, sola Avaritia juvenescit. S. Hieron. in Jerm.

IV. Avaro tam deest, quòd habet, quàm quòd non habet: quia aut non habita concupiscit, ut habeat: aut habita metuit, ne amittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis timet adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur. Ibid.

V. Nihil aliud est Avarus, quàm Bursa Principum, Cellarium latronum, Rixa Parentum, Sibilus hominum. Ibid.

VI. Avarus nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel misereatur, sed offendit DEUM, offendit proximum, offendit seipsum; Innoc. de vil. cond. hum.

nam DEO detinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna: DEO ingratus, proximo impius, ſibi crudelis.

Fuga.

S. Bern. 1. ſer. 4. de adven.

VII. Filii Adam, genus avarum & ambitioſum, audite; Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum & Argentum nónne terra eſt, rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam.

S. Chryſoſt. ho. 21. ad popul.

VIII. Nec luto melius aurum eſſe cogitemus, materiæ namque pretium non ex natura eſt, ſed ex opinione noſtra; ſi quis enim diligenter inquireret, multò magis auro ferrum neceſſarium; & quid dico auri & ferri comparationem? Hi enim vulgares lapides magis neceſſarii ſunt, quàm pretioſi, nam ex his nihil utile fieri poteſt; illis verò domus, & muri, & urbes conſtructæ ſunt: tu verò mihi demonſtra, quæ de margaritis utilitas iſtis, quin imò quod non indè fiat damnum? etenim ut tu feras unionem unum, innumeri pauperes fame premuntur.

Idem to. 5. ſe. 21.

IX. Quamprimum Apoſtoli verbum pietatis ſeminare cœperunt, annumerata ſunt eis ſtatim tria millia, *erat que ipſorum omnium cor & anima una*; Et quis tantæ concordiæ author? quod illud charitatis vinculum? opum contemptus; nullus enim ipſorum dicebat ſuum aliquid eſſe ex his, quæ poſſidebant, ſed erant ipſis omnia communia; omnia enim bona ſtatim proveniunt, ubi malorum radix, avaritiam dico, ſublata fuerit, jam frivola illa verba: Meum & tuum, quæ tot bella mundo invexerunt, ex ſancta illa Eccleſia erant exterminata, inhabitabaturque non aliter terra, quàm ab Angelis cœlum.

Idem ho. 81. in Matt.

X. Quotidie ille (Judas) cum eo erat, qui non habebat, ubi caput reclinaret, & quotidie verbis & operibus inſtituebatur, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere ſe non potuit; quomodo igitur tu ſperas abſque magna cura & diligenti ſtudio contagionem hujus morbi effugere?

S. Gregor. ap. Manſi tr. 8. diſc. 19. n. 7.

XI. Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, ſed non præſumo. Quia verò, quiſquis in hoc ſæculo vivit, bonis hujus terræ pro ratione ſtatûs ſui indiget, quonam hac in re conſilio nobis utendum erit? ſic tenete quæ hujus mundi ſunt, ut per ea non teneamini in mundo.

Turpitudo.

S. Chryſoſt. ho. 22. in Matt.

XII. Hoc loco, & animo prorſus toto perhorreſcamus, & corpore, intelligentes iſtud, quod Chriſtum dixiſſe memoravimus, ex adverſo ſcilicet Deum, aurúmque conſiſtere & componi: ſi igitur iſtud ſono quoque ſermonis horribile eſt, quantò eſt horribilius, cùm ipſis operibus tyrannis auri, Dei timori præfertur?

S. Io. Damaſc. l. 3. c. 54.

XIII. Cum quis opes iniquis artibus collegit, atque hinc ſibi robur & potentiam conciliari cenſet, ſimilis eſt ægroto, in morbi abundantia ſanitatem ſitam eſſe ſtatuenti.

S. Petrus Damian. l. 2. ep. 2.

XIV. Nulla ſanè putredo vulneris, inquit S. Damianus, in Dei naribus intolerabiliùs fœtet, quàm ſtercus avaritiæ, & cupidus quiſque, dum ſordentis pecuniæ quæſtus accumulat, vertens exedram in latrinam, quaſi molem ſtercoris coacervat.

Damnum.

S. Ambroſ. l. 2. offic. c. 49.

XV. An non vanè etiam ille conturbatur, quòd ſummo labore coacervat, quod neſciat, cui hæredi relinquat? ſæpe, quod avarus ſummâ congeſſit ſollicitudine, præcipiti effuſione dilapidat hæres luxurioſus, & diu quæſita, turpis helluo, præſentium cæcus, futuri improvidus, quadam abſorbet voragine.

S. Cyprian. ep. 2. ad Donat.

XVI. Quibus argenti & auri maximum pondus, hos etiam inter divitias ſuas, trepidos cogitationis interna ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cujuſque locupletioris invidia calumnioſis litibus inquietet, non cibus ſecuro ſomnusve contingit. Suſpirat ille in convivio, licet bibat in gemma, & cùm epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe illigatum teneri, & poſſideri magis, quàm poſſidere divitias atque opes.

Anonym. apud Manſi diſc. 15. n. 7.

XVII. Aurum eſt Monarcha in imperio, Imperator in campis, arbiter in litigiis, cotes ferri, flammarum fomes, ſcopulus fidelitatis, affectuum tyrannus, Magnes curarum, fortiſſimarum expugnator urbium, debellator regnorum, mundi triumphator: Aurum eſt, quod innocentiſſimas corrumpit animas, acutiſſimas excæcat oculorum pupillas, juſtiſſimas manus catenis conſtringit, generoſiſſima ſibi corda ſubjugat.

S. Hier. ep. ad Ruſtic.

XVIII. Æſtimato malo pondere peccatorum, leviùs videtur alicui peccare avarus, quàm idololatra; ſed non mediocriter errat, non enim graviùs peccat, qui duo grana thuris projicit ſuper altare Mercurii, quàm qui pecuniam avarè, cupidè, & inutiliter ſervat, & congregat. Ridiculum videtur, quòd aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre, & ille non judicetur idololatra, qui totum ſervitium vitæ ſuæ offert creaturæ.

S. Cypr. de ord. dom.

XIX. Cæca eſt avaritia, ſed diverſis fraudum oculata ingeniis, non videt, quæ divinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt.

S. Aſterius l. de avar.

XX. Avarus propinquis eſt odioſus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis moleſtus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque ſordidus educator, ſui ipſius malignus curator, noctu interdiúque ſollicitus & cogitabundus.

S. Leo ſer. 9. de paſſ.

XXI. Non eſt in illo corde Juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum.

S. Baſil. ho. 7. in divit. avar.

XXII. Avaritia eſt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca, belli materia; propter opes propinqui, cognati naturam negant, fratres inter ſe digladiantur, loca deſerta graſſatoribus, mare piratis, civitates calumniatoribus replentur; quis

quis mendacii pater est? quis falsæ accusationis minister? quis perjurii genitor? nónne divitiæ, ac circa divitias studium?

S. Valerian l 20. de avar. XXIII. Derelinquitur ampliata possessio, & quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamèn tui sceleris servatura: apud alium facultatum tuarum pompa resedit, & tecum pœna migravit; stultitiæ genus est, aliis feciſſe lucrum, & sibi parâsse supplicium.

Hugo Card. in 1. Tim. XXIV. Sunt laquei (Divitiæ) malè acquirendo per fœnus & rapinam, furtum, fraudem: servando sunt laqueus immisericordiæ & impietatis, timoris mundani, superbiæ, & perversæ confidentiæ; in amittendo, sunt laqueus desperationis, invidiæ, iræ, odii.

Sixtus Tertius l. de divit. XXV. Quis sapiens dubitet, cupiditatem fontem esse omnium malorum, radicem scelerum, culparum fomitem, & propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus aut securè inhabitatur, aut sine pavore transitur? Hujus concupiscentiæ causâ, prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & urbibus fures; propter hanc circumventiones, rapinæ, mendacia, perjuria, falsa testimonia, fraudes, impietates; hujus causâ innocentium sanguine quotidie terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur; propter hanc omnibus penè momentis lex divina contemnitur; Hujus causâ nonnunquam expugnatur pudor, castitas vincitur, & per illicitas voluptates impudens libido vagatur: Per hanc sæpe parricidia partim votis, partim operibus perpetrantur.

S. Thom. 1. 2. q. 54. a. 1. XXVI. Videmus, quòd per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunque peccatum, & adhibendi desiderium cujuscunque peccati, eò quòd ad habenda quæcunque temporalia bona potest homo per pecuniam juvari. Juxtà illud Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.*

S. Augustin. s. 10. in divit. avar. XXVII. Aurum nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit in perniciem domini; fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. Aurum, amanti se, nihil de suâ possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui usum suum negat, gravis acquisitio, ærumnosa possessio.

Cassiodorus l. 12. ep. 1. XXVIII. Reginam illam vitiorum procacium avaritiam fuge (O Cancellarie) cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur; quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria, agmen habet blandissimum: arma suscipit ex talentis, & per dulcedinem superat, quos amatâ deceptione captivat.

S. Bernardinus to. 4. ser. 16. p. 1. XXIX. Dum Christus Luc. 16. dicit: *Homo quidam*, & nomen non exprimit, significare voluit, quòd dives ille ignorabatur in Paradiso, ubi stabat Christus: quia in Paradiso ignoratur nomen avari amatoris Mundi, & divitiarum, plùs quàm Dei. *Amen dico vobis: nescio vos.* Sed Lazarus pauper, Paulus Apostolus, & similes benè cognoscuntur in Paradiso.

Idem p. 3. XXX. Hoc interest inter mortem divitis & pauperis, quod inter accipitris & gallinæ. In vivis accipiter blandè habetur & fertur in manibus, gallina contemptim habetur, & alitur. At in morte accipiter abjicitur in fimetum: gallina verò grata & accepta in herili mensa & stomacho ponitur, & fit caro & sanguis Domini sui.

S. Aug. de lib. arbitr. XXXI. Cùm Avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur, quia de Avaritia mala omnia & peccatorum omnium spinæ oriuntur.

Idem de verbo Domini. XXXII. Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cùm & ipsæ belluæ habeant modum? tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cum sentiunt satietatem. Insatiabilis est sola Avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec Patri parcit, nec Matrem cognoscit, nec Fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur. Quæ est illa animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum?

S. Greg. in hom. XXXIII. Avarus hîc ardet æstu concupiscentiæ, ac multiplici curâ custodiæ, & post modum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem: si inferiorem, timet furem: Infelix tanta patitur, quanta pati timet.

S. Bern. in serm. quod. XXXIV. Divitiarum amor insatiabilis longè ampliùs torquet animam, quàm refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur.

S. Chrysost. ho. c. super Matth. XXXV. Qui pecuniæ servit, & præsentibus compedibus constringitur, & futuris paratur.

S. Bern. ep. 103. XXXVI. Beatus ille, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.

S. Basil. hb. in avar. XXXVII. Cupiditas est transgressionis Mater, Magistra nocendi, Primipila iniquitatis, Auriga malitiæ. Sicarius virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum.

S. Leo in serm. XXXVIII. Avaro pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est Justitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.

S. Valerianus ho. 20. XXXIX. Avarus parricidali animo, aut Patris vitam increpat, aut Matris mortem exspectat: nam quisquis parentinæ mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit.

S. Cyprian. S. de jejun. XL. Usque ad mortem amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit.

XLI. Multi hodie Judæ scelus, quòd Dominum ac Magistrum, Deumque suum pecuniâ vendiderit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cavent; nam cùm pro muneribus falsum contra quemque dant testimonium, profectò quia veritatem pro pecunia negant; DEUM, qui veritas est, pro pecunia vendunt.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

lib. 1. c. 1. §. 4. I. VAnitas est, divitias perituras quærere & in illis sperare. Vanitas est, diligere, quod

cum omni celeritate transit, & illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.

lib.1. c.6. §.1. II. Superbus & Avarus nunquam quiescunt. Pauper & humilis spiritu in multitudine pacis conversantur.

lib.3. c.21. §.3. III. Noli concupiscere, quod non licet habere. Juvat enim non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potiùs contempta & præcisa ex corde radicitùs.

lib.3. c.33. §.1. IV. Tene breve & consummatum verbum: Dimitte omnia, & invenies omnia: Relinque cupidinem, & invenies requiem.

§. V.

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA.

Qualitas.

Matth.26.1. JUdas Iscariotes tantopere ab Avaritia occupatus & excœcatus est, ut proprium suum Magistrum, summumque benefactorem vendere non dubitârit.

Spec. Ex. dist. 9. ex 8. II. Avarus quidam morituris copiosis lacrymis id unum deplorabat, quòd divitias suas deserere, aliisque relinquere cogeretur.

S. Prosper l. de dono timoris. III. Alius quidam, cùm subita morte extinctus esset, ideoque Amici mortis causam indagaturi corpus aperire jussissent, nullum cor habere deprehensus est; sed illud postea in cista pecuniarum inventum est, ubi Diabolus specie Draconis super illud sedebat, & in varias partes discerpebat.

Tollenarius in Spec. Eccl. S.6. p.113. IV. In Belgio erat vir quidam, qui Filio centena aureorum millia pro hæreditate relinquebat, & tamen ipse seniculus frusto panis & casei onustus supra viginti milliaria pedes confiebat. Cumque ad hospitium divertisset, prolatis suis frustulis solummodò medium cerevisiæ poculum requirebat.

Stengelius to.3. de jud. c.7. n.4. V. Quidam collectis multis, ut eos servaret, in commune Valetudinarium inter Pauperculos recipi petiit, ibique pulmentis & oluscul is victitavit.

S. Ambros. l. de Nabath. c.4. VI. Alius quidam ditissimus in agrum proficiscens, panes breviores urbe delectos numerare solebat, ut pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Panis unius singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Conquestus etiam, si quando ovum ei apponebatur, quòd pullus fuisset occisus.

S. Bernardinus ser. 13. a.2. c.2. VII. Novi fratrem, ait S. Bernardinus, qui à cognatis cujusdam divitis rogabatur, ut in extremis posito pœnitentiam suaderet. Nam triginta annis non fuit confessus. Adit, hortatur. At æger, quale nunc, ait, est pretium piperis? centenarius lanæ quantum valet? suntne reversæ naves? multúmne sacchari est in nundinis venale? Quidquid frater ille de pœnitentia, & misericordia Dei loqueretur. Cùm verò semper æger ea repeteret, quæ sanus tractabat, frater ille seriò in extremis positum hortabatur; at ille voce magnâ respondit: Non possum, non possum, non possum: & sic infelix obiit.

VIII. Quidam dives portari ad se jussit opes, & thesauros suos, quos tristi ore alloquens: O denarii mei, ait, O thesauri mei! en morior; juvate me quæso, juvate me denarii mei. Relinquámne vos, dilecti denarii mei! tangebat eos, palpabat, osculabatur, amplectebatur, lamentabatur, denarii mei! heu denarii mei! Demum accepto argenteo calice, in illud quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expiravit. *Idem ser. 14. a.1. c.3.*

IX. Quidam vir Nobilis moriturus exclamavit: O Domine, quàm contemnendus est Mundus iste! Ecce ego, qui tot habeo arces & hospitia ad divertendum: & tamen nescio, quorsum ire debeam: aut quis mihi hospitium præbiturus sit. *Ibidem a. 2. c.1.*

X. S. Bernardinus de avaro quodam, civitatis Ariminensis incola refert, quòd ex ingenti tritici coacervata quantitate, in magna annonæ caritate, nec quicquam in usus publicos distrahere aut vendere volens, caritatem præsentem vehementer adauxerit, adeò ut unus tritici modius 40. solidis venderetur; Et licèt tunc etiam pro simili pretio tritici ab eo postularetur annona, se tamen triticum venale habere pertinaciter negârit, quippe qui illud eo usque conservare decreverat, donec pretium ad 50. solidos ascenderet, ideoque ne quis eum ad venditionem sollicitaret; relictâ civitate ad villam quandam se receperat, ne domi reperiri posset; interea tamen quotidiè ab iis, qui Arimino venientes illac transibant, currens frumenti pretium sollicitè exquirebat, & audiens, quòd dietim esset carius; fingebat compati pauperibus ore, sed corde gaudebat. Accidit autem, inquit idem Sanctus Pater, quòd duo mercatores, qui ingentem in Apulia frumenti provisionem sibi comparârant, magnam quandam navim frumento plenam ad sublevamen populi Ariminensis in dictæ civitatis portum advexerint; & quemlibet frumenti modium pro tribus solidis cum dimidio passim omnibus vænum exposuerint; quod cùm in tota illa Civitate & in cunctis locis finitimis innotuisset, occurrerunt omnes, domibusque suis de sufficienti mox annona prospexerunt, festiviquè, & *gloriam in excelsis DEO* decantantes, domum redière. Cumque avarus ille asinos frumentis onustos plurimos villam suam videret transeuntes, reique totius eventum ex variorum relationibus intellexisset, stupefactus voce magnâ exclamavit: Væ mihi, tres solidos cum dimidio! Heu mihi, tres solidos cum dimidio; cumque ab obviis salutaretur amicis & notis, hoc solum respondebat: Tres solidos cum dimidio! nec quicquam aliud occurrebat dicendum, præterquam: Tres solidos cum dimidio. Hisce verbis salutabat uxorem, filios, servos; Qui eum ab hoc proposito divertere cupiebant, aliud nihil ab eo torquere potuerunt, quàm verba illa, Tres solidos cum dimidio. Tandem sano corpore lecto se commisit; uxor morbum suspicata, Medicum accersivit, qui nullum aliud verbum ab eo obtinere potuit, præterquam quod identidem ingeminabat: Tres solidos cum dimidio: sic dicendo præ dolore crepavit, & diabolus ejus animam asportavit, inquit præfatus Sanctus Pater. *S. Bernardin. in to.4. a.6. p.3.*

Fuga.

S. Bonav. in vit. S. Franc. c. 7. n. 5.

XI. Dum S. Franciscus unà cum sodali suo è Civitate Barensi in Apulia discessisset, ingens quoddam in via publica repererunt bene fartum marsupium, quod cùm auro argentoque refertum à socio ejus crederetur, is Sancto Patriarchæ magnam fecit instantiam, licentiamque sibi ab eo dari poposcit, illam aperiendi, & quid intus lateret, studiosiùs examinandi. Sanctus autem vir Dei, utpote à Deo in hoc casu specialiter illuminatus, fraudulenti serpentis artificium & dolum subitò detexit, cui tamen bonus ille frater, genuinam in loculis pecuniam asservari arbitratus, minimè acquievit, dolendumque esse dixit, quòd pauperes neglectâ illâ pecuniâ defraudarentur, quæ alias in magnum illorum subsidium erogari potuisset. Tunc sanctus ille Patriarcha, unà cum socio, ut turbatum sodalis sui animum non nihil componeret, dæmonisque fraudem perspicuè magis eidem detegeret, retrogressi sunt ad locum, in quo loculos jacere viderant; factâque ab utroque oratione, Sanctus vir Dei socio suo, ut marsupium aperiat, & pervestiget, imperare cœpit: oratione præmissâ jubet socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum; propter obedientiæ tamen mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam, & ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subitò evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Tunc S. Franciscus hanc sanctitate personæ suæ dignam protulit sententiam: Pecunia servis Dei, ô frater, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.

Mansi diss. 4. n. 4.

XII. Idem quoque S. Antonio Magno accidisse legitur; dum enim is perfectionis viam ingressus, tanquam destinatus à Deo Eremitarum Anachoretarumque Patriarcha, in vastam solitudinem iter ageret, dæmon ut à via cœptâ eum averteret, atque à sanctis propositis revocaret, quid fecit? vas ingens argenteum in mediam viam abjecit, ut Antonius illac transiturus, vas illud intuens inescaretur, & velut altera Atalanta in cœpto cursu sisteret. Antonius autem ad dictum locum veniens, viso dicto vase argenteo, corporis quidem gressibus substitit nonnihil, nequaquam verò animus ejus moram admisit per adhæsionem affectûs, quia argentum intuens, protinus artificium agnovit tortuosi serpentis, illudque declinavit; siquidem argentum istud torvo vultu respiciens, dæmoni dixit: Dispareat unà tecum argentum istud, tortuose coluber; ad quæ verba fumi instar evanescens disparuit, sanctus autem vir Dei iter suum, tanquam victor, gloriosè prosecutus fuit.

S. Chrys. hom. 16. in 1. ad Cor.

XIII. In vita S. Odoardi Angliæ Regis legimus: Quòd, cùm ejus subditi propter bella, quæ Rex pater ejus contra Dacos gesserat, magnopere ab eodem patre suo gravati essent exactionibus, earumque executiones ministri Odoardi Regis etiamnum prosequerentur, accidit, quòd, dum pecunia illa ad certum quendam ad hoc deputatum locum recondita esset, sanctus hic Rex super eadem dæmonem incubantem viderit, magnaque cum hilaritate ludos & jocos agitantem conspexerit, qui proinde illas deinceps à subditis exigi seriò prohibuit: Nihil sic diabolo, inquit idem D. Chrysostomus, hominem subjici facit, ut inhiandi opibus, atque habendi amore superari.

Damnum.

Mansi diss. 4. n. 15.

XIV. De certo quodam avaro referunt historiæ, quòd, cùm insignem quendam auri cumulum in rupis cujusdam loco recondito & secreto reposuisset, acciderit, quòd vir quidam pauper ob summam, quam patiebatur, egestatem desperabundus, & laqueum, quo sibi vitam abrumperet, manu suâ ferens, in hunc eundem locum incidere, cumque ex certis signis thesaurum ibi latere deprehendisset, & cœpisset fodere, incidit feliciter in reconditum auri depositi thesaurum, quem protinus ex eodem loco sustulit, & in locum thesauri laqueum, quem secum attulerat, eodem in loco recondidit. Post dies autem aliquot dives ille avarus cum ad repetendum depositum accessisset, illudque sublatum vidisset, obstupuit primum, ac quasi toto corpore obriguit, ut præ desperatione inventum in loco depositi laqueum collo injecerit, seque ibidem suspendio suffocârit. Quid vobis de tragico hoc casu videtur? Nunquid verè in eo verificatum fuisse videmus, quòd opes scilicet in amittendo sint laqueus desperationis?

S. Bernardinus. to. 2. §. 45. n. 1.

XV. S. Bernardinus de avaro quodam refert, quòd, cùm sua armaria auro per usuram adimplere, ac tum ab omni deinceps usura desistere decrevisset; magna cum parsimonia in hunc finem vivere cœperit, continuoque se pro pecuniis accumulandis, sudore fatigârit: at verò cùm ea vix ad medietatem replêsset, dæmon metuens, ne post repleta armaria ab ipso deficeret, & meliorem vitam agere inciperet; tali-ter guttur constrinxit, quòd quicquam non poterat deglutire; denique allatis variis cibis, cœpit æger clamare dicens: Crucior, crucior, & morior fame, sed quia à diabolo suffocabatur, spiritum exhalavit, ut verificetur, quod dicitur Eccl. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

Baron. to. 3. ao. 553.

XVI. Constantino Heraclii Filio imperante, vir quidam pecuniosus Constantinopoli in morbum incidit, mortemque formidans in pauperes triginta auri libras distribuit: convalescit subitò, & pecuniæ expensæ pœnitentiâ (haud dubiè dæmone impulsore) ductus, rem cum sincero quodam & recto amico, eoque locuplete communicat: qui ad amicum: Repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egentes distributæ, ne Deum, qui tui misertus te sanitati restituit tuæ, graviter offendas, forteque infausta & subitâ morte repentè opprimaris, atque sine pœnitentia discedas. Sed frustrà. Consilium enim amici fidum omninò rejicit. Tum amicus: Quando ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille: Quid suades? Et amicus verè misericors: Age, inquit, huc mecum ad tem-

plum adi, & ibi profitere: Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam: & ego ibi statim triginta auri libras denuo annumerabo. Placet hoc consilium avaro: ad templum venitur, verba concepta pronunciantur, aurum ab amico infelici illi in manus traditur: receptâ pecuniâ, dum pedem ex templo effert, subitò mortuus concidit, omnibus, qui præsentes aderant, ingenti horrore & pavore correptis, qui justum judicem laudabant, & celebrabant. Cùm autem, qui aderant Clerici, monerent amicum, ut suam sibi ipse pecuniam sumeret: Absit, inquit, hoc factum à me, imò cogitatio impia, ut ego Deo devotum aurum, & cœlo jam inscriptum recipiam, Domini est, nullum mihi in id ampliùs jus aut potestas. Quòd Ananias & Sapphira immemores de suo jam Deo dedicato suffurati, pœnas subitâ morte, quemadmodum & iste, persolverunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirificè comprobatis, aurum pauperibus est divisum.

S. Gregor. Tur. l. de glor. MM. c. 106.

XVII. Huic non absimile refert S. Gregorius Turonensis, accidisse in Galliis: Mulier quædam, inquit, sub specie religionis vacabat jejuniis, orationibus insistebat, vigilabat pertinaciter, ac loca sancta devotione simulatâ circuibat assiduè, cumque in hoc colore justæ vitæ duraret, immensas opes à multis suscipiebat, congregabat aurum quotidie, & quod devotio Christiana pro redimentis porrigebat captivis, loculis abdebatur occultis, & quæ dabantur inopum necessitatibus profutura, iniquis marsupiis condebantur: nam mulier effossâ humo in medio cellulæ ollam immensam imposuit: ibique cum aliquid datum fuisset, recondebat diligenter, & lapide super posito claudens, ut nulli pateret occultum. O terque quaterque execranda cupiditas, quæ luce fraudans homines, demergis in tenebras! Quid plura? Cùm olla impleta fuisset nummis, huic mulieri tempus resolutionis advenit. Mortua verò Deo, migrans in inferno sepulta est, post cujus exequias Sacerdotes, qui aderant, puellam ejus familiarem interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ea eroganda temporis sui permisit spatium? At illa respondit, nunquam se vidisse, quòd ulli inopum manus misericordiæ porrexisset: aut quò pecunia data devenisset: ignorare se confitetur: unum tantùm scio, ait: quòd cellulâ deportatum, regressum foras ultrà non vidi. Hæc audientes Clerici stupent, & quid ex hoc factum fuisset, diligenter inquirunt, totumque crebris ictibus pavimentum tundentibus, locus in quo occulta jacebat pecunia, tinnitum dedit impulsus, cavoquere sonans prodit, quæ latebant, & statim remoto lapide invenitur auri congeries, & clerici stupentes tantæ subtilitatis perversitatem, Episcopo, quid actum fuerat, indicant. Ille verò commotus, jussit reserato sepulchro pecuniam super corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi, quæ congregâsti: pauperibus verò Christi non deerit, unde sustententur. Nec mora, cùm prima quies nocturno tempore data fuisset, audiuntur voces à tumulo, fletûs & ululatûs immensæ: inter quas voces hoc maximè resonabat, se miseram, se infelicem, quæ auri consumebatur incendio. Denique cùm per triduum hæ voces adveniente nocte resonarent, populis non durantibus, ad Sacerdotem venitur. At ille accedens jubet tumuli opertorium amoveri, submotoque videt aurum quasi in fornace resolutum, in os mulieris ingredi cum flamma sulphurea. Tunc Sacerdos oravit ad Dominum, ut quia malitia ejus populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam juberet cessare à corpore, & operto tumulo discessit, vocesque mulieris amplius non sunt auditæ.

Idem de glor. Confess. c. 103.

XVIII. Quidam apud Lugdunensem urbem vix ita laborans, ut unum trientem posset habere; accensus auri execrabilis sacra fame voluit per eam sacculi ora replere, juxta illum Prudentii nostri versiculum:

Aurum namque fames parto conquirit auro.

Igitur de hoc triente vinum comparat: admixtisque aquis, iterum per argenteos venundans duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, & tam diu turpis lucri secutor est factus, usque quo centum solidos de hoc triente lucraretur: sed judicium Dei confutavit lucra diaboli. Congerens enim avarus negotiator aurum in sacculum, posse sursurus pecuniam unius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoque triente, quasi aliquid negotiaturus colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle phœnicia, sicut his manu gestare mos est, & ecce subitò adveniens Milvus rapit eum pedibus, atque decerpere tentat, putans à colore partem aliquam carnis esse. Sed cùm nihil pinguedinis sentiret in eo, evolans super alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat; laxatum sacculum dejicit in flumen. At ille apprehensis capillis elidens se ad terram, spargensque pulverem super caput, ajebat: Væ mihi, qui judicio Dei oppressus, perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, unus tantùm mihi remansit triens. Væ mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilo eos habui ad nihilum rediisse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium & in præsenti damni notam ingerit, & in futuro diversarum pœnarum genera parit.

Lyr. de imitat. Christi pat. l. 7. c. 1. doct. 15.

XIX. Sanctius Cicatellus nuper Genuæ obiit 95. annos nactus, Euclio avarus, qui cùm esset morti proximus, à Sacerdote inventus est habere secum in lectulo marsupium nummis plenum, & alteram crumenam brachio alligatam, quam identidem exiguis intervallis præ metu, ne sublata esset, manu contrectabat. Monitus de periculo, tantam auri cupiditatem formidolosam esse; respondit: Non possum aliter facere. Quò dictò cum suis idolis animam exspuit.

Janus Nicius exemplo 4.

XX. Præfectus oppidi cujusdam in Lusitania octavo quoque die confiteri, & SS. Eucharistiam sumere solitus, summam in vultu Religionem præferebat, verùm subjectos avarè & crudeliter regebat; Dumque studet maximè opes (jure, injuriâ) corradere, die quadam ignotus fit illi obvius in via, ac litteras reddit,

qui

qui ſtatim evanuit, nec viſus uſpiam poſtea. Præfectus litteris acceptis, lectisque, ſtatim: heu mihi! horridè exclamat, & amiſſis viribus, domum inter manus delatus in lecto collocatur: verùm in eo cubiculo, ubi decumbebat, 27. dæmones horribili formâ ſe obtulerunt, quorum 20. ſtatim intrò in hominem irruerunt, totumque immaniter poſſederunt, reliqui verò ſeptem in eodem cubiculo ſe continuerunt. Hoc aſpectu territis omnibus, Sacerdotes mox vocantur, adſunt, & exorciſmos adhibent; at dæmones, operam, inquiunt, luditis; Dei juſſu huc venimus, nullâ aliâ voce ejiciendi: qui foris in cubili ſunt, citiùs expellentur, quàm nos nequam hunc hominem deſeramus. Sacerdotes indè commoti, cubiculi dæmones aggrediuntur, qui ſingulorum peccata, qui aderant, aperiebant. Ex iis cùm jam ſex emigraſſent è cubili, poſtremus, qui ſupererat, converſus ad eos, qui in hominem immigrarunt, eumque acriter cruciarunt; Quandoquidem, inquit, relicti ſumus à ſociis, quid hîc agimus? cur non eos ſequimur; qui eo dicto, mox omnes facto impetu exceſſerunt, atque unà ſecum infelicem illam animam ad inferos detulerunt.

Baron. to. 12. anno 1066.

XXI. Reginherus Miſnenſis Epiſcopus poſt refectionem in cubiculum, ubi theſaurum ſuum reconditum habebat, ſecedens, cùm quaſi ſomnum capturus ſe incluſiſſet, ſequenti die fractis cervicibus examinis, ac theſauro ſuo incumbens, repertus eſt.

Spec. Ex. diſt. 6. ex. 84.

XXII. Uſurarius quidam cùm ſepeliri ſe cum ſacculo pecunia pleno curâſſet, aperto ſepulchro Dæmones ſub Bufonum ſpecie viſi ſunt cor ejus pecuniâ implere.

S. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 106.

XXIII. Mulier quædam ſimulatæ ſanctitatis cùm aurum pauperibus elargiendum iniquè congregâſſet, illudque poſt mortem Epiſcopus ſuper corpus exanime in ſepulchrum conjici juſſiſſet, aurum quaſi in fornace reſolutum in os mulieris cum flamma ſulphureâ fluere viſum, ipſaque lamentabili ejulatu ſe ab auro vehementiſſimè uri, conqueri audita eſt.

Baron. to. 7. ann. 553

XXIV. Quidam æger cùm triginta auri libras Pauperibus diſtribui juſſiſſet, ideoque ſubitò convaluiſſet, pœnitentiâ facti ductus amico ſuo dolorem aperuit, qui promiſit, ſe omnem ei pecuniam reſtituturum, ſi in templo coram Altari diceret: Domine, non ego, ſed iſte dedit Eleëmoſynam. Cùm autem conſenſiſſet alter, vix templo egreſſus concidit exanimis, & periit.

Vita PP. l. 10. c. 77.

XXV. Cæcus quidam aliis duobus cæcis narravit, ſe, quòd mortuum quempiam ita expoliare voluerit, ut ne linteum quidem, quo tegeretur, relinqueret, ab eo apprehenſum, & duobus oculis privatum eſſe.

Niceph. hiſt. l. 18. c. 40.

XXVI. Mauritius Imperator cùm paucis nummis magnam militum manum è captivitate liberare potuiſſet, ex avaritia occidi illos permiſit. Unde omnem occiſorum turbam noctu contra ſe coram Chriſto Judice exurgentem, & avaritiam ejus accuſantem vidit, juſtoque DEI judicio damnatus, cum uxore & omnibus liberis capite plexus eſt.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tantopere averſabatur hoc vitium, ut, quò eidem aditum in Societate occluderet, per triginta dies deliberârit, an domibus Profeſſis jus aliquod ad ſtabiles reditus templi relinquere vellet, & tandem in negativam partem ſe reſolverit. Ob eandem cauſam etiam vetuit, ne quicquam pro muneribus acciperet Societas. *Vita.*

II. S. Franciſcus Xaverius licet plurima, eaque magnifica munera eidem ſæpè à Regibus, & aliis que opulentis Perſonis offerebantur, magno tamen animò ſemper repudiabat. In navi, licet omnia à Prætore illi abundè fuiſſent ſuppeditata, non niſi mendicatò vivebat. Quæ verò Eleëmoſynæ nomine offerebantur, continuò in Pauperes & infirmos diſtribuebat. *Vita l. 1. & 2.*

III. P. Petrus Faber nondum conditis Conſtitutionibus proprio voto ſe devinxit, nunquam ſe quidquam pro Spiritualibus functionibus accepturum, ac ne annuis quidem fructibus liberaliter uſurum, niſi à poteſtatem habente cogeretur, quod ille votum inter magna Dei dona numerabat. Idem Moguntiâ diſcedens, cùm ei Cardinalis Archiepiſcopus ſpecioſa munera obtuliſſet, ea remiſit dicens, ſe non ex iis eſſe, qui argenteam ſupellectilem, ſed, qui omnia ſua ſecum portarent. Altera autem die cùm ei Cardinalis ipſe in Breviarii thecam centum florenos injeciſſet, accepit quidem, ne tantum Antiſtitem contemnere videretur, ſed omnes ſtatim in Socios Lovanienſes ſumma in egeſtate viventes, vel in Pauperes, aliosque pios uſus, erogavit. *Hiſt. Soc. l. 3. n. 33.*

IV. P. Jacobus Laynes in expeditione Africana nihil unquam de conquiſitis à ſe pro ægrotis ſubſidiis uſurpabat: Nihil unquam ab aliis in gratæ memoriæ monumentum oblatum accepit, quod eum in magna veneratione apud omnes poſuit. *Hiſt. Soc. p. 1. l. 10. n. 94.*

V. P. Aaroz cùm aliquando in Hiſpania concionatus fuiſſet, finita concione pro conſuetudine loci magnam ei pecuniæ vim obtulêre, in qua repudianda ita certatum fuit, ut populus ad ſtrepitum altercantium accurrerit, qui re cognita non ſine ſecunda admurmuratione diſceſſit. Cùm deinde celebris quidam Concionator diceret Dominicano cuipiam, docto & pio, Patres Societatis magnum facturos fructum, ſi univerſi in hoc concionandi modo convenirent, ſubjecit Dominicanus: Non in hoc rei ſumma vertitur, ſed in eo, ut univerſi conveniant in factis, Deique verbo gratis ubique evulgando: facilè dein, quantùm ad pietatem opus erit, in dictionis formâ conventuros.

Plura vide infra de virtute Paupertatis §. VI.

§. VII.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Maſcard diſc. 5. ex bet.

I. TEmpore Xerxis Regis vir quidam fuit Pythas nomine, qui uxorem habebat ſapientiſſimam, atque ad omnem benevolentiam & humanitatem optimè efformatam; Hic fortuitò in locum quendam incidens, ubi puriſſimi optimique auri venam prædivitem latere, certis ex veſtigiis deprehendebat, omnes conatus ſuos, cunctorumque ſubditorum ſuorum vires, induſtriam & labores tanta cum vehementia in aurum illud ex imis terræ viſceribus eruendum applicuit, ut, poſthabitis cunctis ruris, domuumque ſuarum negotiis, huic uni labori intenti eſſe cogerentur; unde factum eſt, quòd omnia non ſolùm tribunalia quieſcerent, verùm etiam agri ſylveſcentes, nil niſi lappas, ſentes, & tribulos germinarent, horti quoque & oliveta in mera degenerarent deſerta, vites denique nil niſi otioſos & infœcundos germinarent pampinos, adeoque ubique intra breve tempus tanta unicuique domui invaluit egeſtas, ut mulieres regionis illius lachrymabundæ ad Palatium Pythæ turmatim accurrentes à prudente ipſius conjuge opportunum plangentes popoſcerint ſubſidium, id quod ab eâdem protinus promiſſum fuit. Accidit autem, ut Pythas certa quadam ex neceſſitate aut voto exſtimulatus, peregrinationi cuidam in remotum locum inſtituendæ ſe accinxerit; quo è domo ſua abſente, uxor ejus quicquid ferculorũ ad lautum aliquod inſtituendum convivium deſiderari poterat, ex mero, puroque auro per artifices adhibitos eâ, quâ fieri potuit, cum induſtria & ingenio fabricari fecit: Quibus omnibus ritè perfectis, Pythas domum reverſus, cœnam ſibi apponi poſtulavit; Quapropter ſagaciſſima conjux ejus, ingentem ferculorum apparatum ex auro vivaciſſimè expreſſum menſæ inferri juſſit, quem quidem avarus princeps primitus ſumma cum voluptate, & complacentia luſtrando probavit, mox tamen famis vehementiâ exſtimulatus, veros, non fictos, nutritivos, non verò aureos ſibi cænaturo cibos popoſcit, unde ſagaciſſima mulier optimam (ejus nimium auri inveſtigandi ſtudium & avaritiam reprehendendi) occaſionem nacta, his eum verbis aggreſſa fuit; An non vides, optime marite, quantam hactenus per exceſſivum illud probroſumque auri accumulandi ſtudium, tibi, ſubditisque tuis accerſiveris egeſtatem, & univerſalem miſeriam; Ex quo ſubditis tuis à ſummo diluculo in ſeram uſque noctem in plures jam annos auro egerendo à te plùs nimiùm adſtrictis, aratri ſtiva quieſcit, terra paſſim tui ſolius culpâ in eam usque ſterilitatem redacta fuit, ut præ nimia ſui infœcunditate vix pecoribus paſcendis & nutriendis germen illius ſufficiat. Hâcque efficaci, licèt brevi invectivâ effecit, ut univerſali regionum illarum fami ſolerter pariter & ſuaviter fuerit proviſum; ſiquidem maritus ejus ſtultitiam, quâ hactenus auri cupiditate poſſeſſus laboraverat, agnoſcens, reſipuit, moresque priſtinos emendando, boni communi conſulere & proſpicere ſtuduit. Meritò igitur Ariſtoteles. 3. lib. Politicorum. cap. 6. admirabile illud parodoxum pronunciavit, quòd ſcilicet divitiæ in civitatibus annonæ parere ſoleant caritatem; quod jam adductum exemplum evidenter ſatis probavit. Hæc omnia ex magno illo oratore dicta ſunto.

II. Nidificabat aliquando in monte alauda, & quotidie accedebat ad S. Franciſcum, ut cibum pro enutriendis pullis acciperet, quos ut domum duxit, & major ex pullis roſtro minores appeteret, ac cibo prohiberet, vel privaret, exoſus S. Vir tantam cibi aviditatem, & inhumanitatem, velut ad rationis capacem, inquit: Inhumana, & inſatiabilis alaudicula; malam mortem obibis, nec erit ex carnivoris animalibus, quod velit tuis carnibus veſci. Ita accidit, nam in vaſculum aquæ, quod ipſe vir Sanctus pro potu earum appoſuerat, alauda cadens ſuffocata eſt; ex quo extracta felibus canibusque projecta, ab omnibus manſit intacta. *In Biblioth. paup. lit. l. de ira.*

III. Juſtinianus Imperator tam inexplebili avaritia fuit accenſus, ut omnia ſubjectorum bona his, qui Magiſtratus adminiſtrabant, ac tributa colligebant, aut nulla de cauſa inſidias hominibus ſtruere volebant, ob auri amorem vendiderit. Hinc innumerabiles, causâ falsâ confictâ, omnibus ſuis bonis mulctavit. *Evagr. l. 4. c. 29.*

IV. Crumus Rex Bulgarorum, quia non poterat à Nicephoro Imper. Conſtantinopolitano pacem obtinere, niſi iniquiſſimis conditionibus, irâ accenſus cum paucis militibus eum aggreſſus vicit, & caput ejus abſcindi, craniumque poculi in morem auro obduci voluit, ut vel ſic alii ſitim extinguerent illo capite, cujus avaritiæ ſitis ſedari non poterat. *Zonar. to. 3. in Nicepho.*

V. Cùm Jurisconſultus quidam injuſtæ cauſæ Patrocinium ſucipere nollet, ſollicitator multos aureos, quibus Bellatorum cataphractæ imagines impreſſæ fuerant, obtulit; quibus viſis Jurisconſultus, Eheu, inquit, captivum me tenes; quis enim tot armatis reſiſtet? *Marchant. in Tuba Paſtor. tract. 2. lect. 9.*

VI. Caligula Imperator tantopere auro & argento delectabatur, ut ſæpiùs in theſauris ſuis cum magna voluptate ſe volutaret. *Suetonius c. 33. vit.*

VII. Caliphas Babylonis Rex turrim habebat auro, argento, & lapidibus pretioſis refertam, & tamen obſidione cinctus perire maluit, quàm theſauro aperto milites evocare ad defenſionem. Unde captus, & eidem turri incluſus fame periit cum hac objurgatione: I nunc, & famem depelle theſauris tuis, quos tam avidè ſitiſti. *Faber in Dom. 16. poſt. Pent. conc. 4.*

VIII. Tomyris Scytharum Regina Cyro Perſarum Regi à ſe cæſo aurum in os infundi, & dici juſſit: Aurum ſitiſti, aurum bibe. *Ibid.*

Fuga.

IX. Crates Thebanus ſuas divitias in mare abjecit, dicens: Abite peſſum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. *Enert. l. 6.*

X. Ba-

Solinus c. 30. X. Babytaceni repertum aurum defodiebant, ne ejus usu polluti æquitatem corrumperent.

Balth. Chavasius l. 4. de Prud. c. 3. XI. Princeps quidam tantum malum credebat Avaritiam esse, ut, si improbis subditis suis longam & magnam creare molestiam vellet, divites eos faceret, quippe cum divitiis ingentem curarum sarcinam accepturos.

§. VIII.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Staplet. c. 5. in Dom. 2. post Pent. I. SIcut Infantes & Pueri magis amant unum pomum quàm totum regnum; ita Avari pluris faciunt parvam terræ particulam, quàm integrum regnum cœleste.

Ibid. II. Sicut Anguilla, quò magis stringitur, eò minus tenetur; sic terrenæ divitiæ, quò arctiùs eos amplectimur, eò minùs nostræ sunt.

Ibid. III. Sicut Talpa fodiens terram supra se congerit; ita Avarus terram effodiens & coacervans, eam supra se ponit, id est, Dominum suum constituit.

Idem hem. 3. in Dom. 14. post Pent. IV. Sicut is, qui cacumen altissimi montis ascendere cupit, ineptissimè ageret, si multis oneribus humeros gravaret, ita non minùs stultè agit, qui altissimum cœlum conscendere volens, divitiis terrenis se onerat.

S. Chrysost. ho. 50. S. Max. S. 12. V. Sicut, qui metallis effodiendis operam dant, potissimùm aliis laborant, sibi autem vix paucos nummos lucrantur; ita avari Posteris potiùs, quàm sibi in divitiis coacervandis laborant.

VI. Sicut, qui Hydrope laborant, quò magis bibunt, eò plùs sitiunt; ita avarus, quò plùs acquirit, tantò plùs desiderat.

VII. Sicut Custos in vinea erigit sibi umbraculum, ut custodiat non suas, sed alienas vites, (ipse enim vix delibat uvas) ita Avarus quoque summâ curâ & anxietate custodit thesaurum suum, non sibi, sed aliis, cùm ipse vix modicum de eo sumere audeat. Unde Job ait: Ædificavit sicut Tinea domum suam (id est, ut, dum ædificat, destruat) & sicut custos fecit umbraculum.

Job. 27. v. 18.

Senec. l. de mor. VIII. Sicut Viator stultus foret, si itinere jam propè finito de magno Viatico angeretur; ita non minùs ineptit, qui, cùm cras fortè moriturus sit, de bonis hîc accumulandis sollicitus est.

S. Ambros. super Luc. IX. Sicut hi, qui per insaniam mente abalienati sunt, non jam res ipsas, prout sunt, aspiciunt, sed prout Phantasia easdem repræsentat; ita mens avari vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum & argentum credit se tractare, etiamsi alia negotia tractet.

Granat. in loc. com. X. Sicut Absalon capillis in arbore suspensus est, Mulo aufugiente; ita avarus in fine vitæ à suis possessionibus deseritur, ipso miserè interea per cupiditates suas pereunte.

Engelgr. p. 2. cœli in festo S. Matthæi. §. 3. XI. Sicut vas vino oppletum & occlusum, etiam laxato Epistomio, guttam non emittit, ita avarus divitiis repletus nec obolum dat pauperibus, quia vacuum, id est, defectum & inopiam pati timet.

XII. Sicut Porcus non nisi post mortem aliis est utilis; ita avarus in vita inutilis est omnibus, post mortem pluribus omnia sua relinquens prodest. S. Bonav. in diæta Salut. tit.

XIII. Sicut per insaniam mente emoti, res non ut sunt, sed pro morbi sui ratione quævis imaginantur: Sic anima tua ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum respicit: Libentiùs vides aurum, quàm Solem: quæcunque vides, in aurum verti cupis, dasque operam, quoad possis, & liceat: Quid enim rerum non moliris, movesque, unius auri gratiâ? Frumentum tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lanæ ipsæ transeunt in aurum, omnis mercatura, studium omne tuum ac solertia, conciliat tibi suggeritque aurum. S. Basil. ho. 6. in divites.

XIV. Sicut sterquilinium quidem dispersum utile est, agros enim uberes reddit: congregatum verò non tantùm est inutile, magis autem inquinat, & fœtet: sic divitiæ dispersæ fructiferum reddunt agrum humani cordis, congregatæ verò amatorem suum inquinant. S. Bern. apud Mansi disc. 19. n. 16.

Fuga.

XV. Sicut sublatâ & radicitus evulsâ arboris alicujus radice, omnes quoque ejus frondes, flores & fructus deficiunt: Eodem quoque modo sublato affectu inordinato ad bona temporalia, animas quoque puras & immaculatas remanere deprehendetis. Mansi disc. 5. n. 3. f.

XVI. Sicut putei illi, qui identidem exhauriuntur, longè elegantiores cæteris esse solent: sic etiam divitiæ illæ, quæ quiescunt, & reponuntur nullius usus existunt; at quæ moventur, & hinc indè transeunt, summam utilitatem fructumque afferunt. Audiamus denique pro conclusione, quisnam ex mente D. Chrysostomi dives appellari verè mereatur: Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa largitur. S. Basilius Orat. 4.

XVII. Sicut Agricola prudens qui viam, per quam neminem vult transire, follatis præcidit, ac palis in terra confixis, applicatis pungentibus spinis illam obstruit, atque munit: sic nempe sapientia Dei in itinere divitiarum posuit angustias multas in eas acquirendo, sollicitudines & timores in eas conservando, & dolores plurimos in eas amittendo, ut sic saltem impedirentur homines per talem viam turmatim currere ad infernum. Unde Deus apud Oseam diviti cuidam avaro dicit: *sepiam viam tuam spinis.* S. Bernar. to. 2. S. 45. o. 2. c. 1.

XVIII. Sicut qui spinas laxâ tenet manu, non pungitur aculeis; sin vero manum contrahat, quo magis contrahit, eo magis sauciatur; sic divitiæ si manibus extensis, id est, liberalibus geras, noxiæ non sunt, at verò si arctiùs & avidiùs utaris & comprimas, mirum est, quàm non modo animam, sed etiam corpus enervent. Did. Stella in c. 8. Luc.

Damnum.

XIX. Sicut infernus, quantoscunque devoraverit, nunquam dicit, satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur. S. Augustin. l. 4. de sal. doct. c. 30.

XX. Sicut aviculæ, quæ reti illaqueatæ, aut viscо innexæ captæ sunt, continuò quidem expansis alis volare nituntur, sed quò major est earum Mansi disc. 20. n. 7.

rum ad volandum conatus, tanto alas suas copiosiori visco imbuunt,& tenaciùs retinentur, & à volatu plùs impediuntur ; idem quoque multis accidit animabus, quæ bonis hisce terrenis debitâ quidem cum temperantiâ & sobrietate frui & gaudere volentes, attamen postquam illorum dulcedinem deguſtârunt, tanto deinceps cum affectu illis sese immergunt, ut ab illis se expediri aut illa affectu suo deserere nunquam possint, *incidunt in tentationem,& in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Tim. 1.c.6.v.9.

S. Ant. Pad. in dom. 6. post Pasch.

XXI. Sicut tinea vermis, vestimentum, ita avaritia mentem corrodit; unde tinea dicta est, eo quod teneat, & eousque insideat, quousque corrodat ; sic avaritia mentem avari corrodit, ut plena multiplicet, sed secundùm multiplicationem suam plùs esuriat.

Stapl. text. 6. in Dom. 2. post Pent.

XXII. Sicut viscus utramque Aviculæ alam constringit, ut sursum ferri nequeat; ita Cupiditas Intellectum & Voluntatem detinet Avari, ne sursum feratur.

S. Chrysost. ho. 7. in Avar.

XXIII. Sicut flumina ex parvis initiis exeuntia, paulatim incrementum intolerabile in progressu accipientia, demum impetu violento, quidquid objicitur, secum trahunt; ita avari, potentes, quò magis crescunt, eò magis opprimunt, & per oppressorum ruinas ad alios opprimendos feruntur.

Stapl. text. 3. in Dom. 14. post Pent.

XXIV. Sicut terra, quæ aurum ex se producit, ad cætera omnia sterilis est ; Sic anima auri cupida ad nihil aliud, nisi ad illud coacervandum, utilis est.

Ibid.

XXV. Sicut Navis pretiosis mercibus onusta, dum in mari fluctuat, jucundissimum est Domino spectaculum ; at in portum delata, mercibus spoliatur, & nihil nisi fæces & sordes retinet ; ita avarus in hoc mundo plenus divitiis, secundo vento navigare videtur, sub mortis horam autem spoliatus terrenis opibus, cum suis peccatis & sordibus nudus manet.

Stapl. text. 2. in Dom. Sept.

XXVI. Sicut Luna non patitur Eclipsin, nisi cùm plena est, & tunc maximè distat à Sole; ita homo tunc maximè obscuratur, & à Deo recedit, cùm divitiis plenus est.

Ibid.

XXVII. Sicut Aspis, ne vocem Incantatoris audiat, alteram aurem caudâ, alteram terrâ obtegit ; ita Avarus, ne vocem Dei ad conversionem vocantis audiat, utramque aurem, Intellectum scilicet & Voluntatem cupiditate divitiarum occludit.

Faber con. 4. in Dom. 16. post Pent.

XXVIII. Sicut Mercurius seu argentum vivum naturali inclinatione auro & argento se sociat, tamque firmiter ea apprehendit, ut non nisi per vehementem ignem separari queat, & tunc ipse in fumum abit ; ita Avaritia ad aurum & argentum quidem quærendum impellit, sed ubi hæc acquisita sunt, ipsa in fumum abit, & evanescit.

Hector Pintus in cap. 3. Daniel.

XXIX. Sicut vermiculus sericus gignit ex se fila quædam, ex quibus conficit folliculum, in quo reconditus moritur ; ita dives cupiditate & avaritia ductus ex suis opibus sepulchrum sibi in Inferno construit, & parat.

XXX. Sicut Araneus seipsum evisceratpro inani telâ texenda, & tandem per scopam convolvitur, & in ignem mittitur ; ita Avari per labores inutiles seipsos consumunt, & tandem in ignem infernalem præcipitantur. *Marchant. in tuba Sacerd. tract. 2. dect. 10.*

XXXI. Sicut mare sine fluctibus nunquam conspicitur ; ita Avarus nunquam sine sollicitudine, tremore, curis, periculis invenitur, cùm antè, quàm priora componat, posteriora succedant. *S. Chrysost. ho. 39. in Matth.*

XXXII. Sicut, si quis videret Latronem aliis per silvas transeuntibus insidiantem, spoliantem & mactantem, haud dubiè non beatum ac miserum prædicaret propter scelerum gravitatem, & supplicii subeundi periculum ; ita nec Avari, licet nondum in manus Judicis venerint, quia tamen certò venturi, gravissimeque æternis suppliciis castigandi sunt, felices, sed potius summa commiseratione digni censendi sunt. *S. Chrysost. Conc. 1. de Laz.*

§. IX.

MOTIVA.

I. QUia *Avaro nihil est scelestius*, atque adeò nihil abominabiliùs apud Deum, teste Siracide ; & meritò quidem 1. Quia Animam propriam venalem habet. 2. Quia Deum ipsum cum Juda pro pecunia vendit. 3. Quia in plurima alia scelera, præsertim contra fraternam caritatem & justitiam commissa præcipitat. 4. Quia est Idolorum servitus, dum Aurum & Argentum pro Diis habet, & adorat. *Eccl. 10. v. 9.*

II. Quia *Vanissimus est labor Avari*, sicut Aranei, cùm modico tempore divitiis frui possit, meritòque brevi auditurus sit illud Christi: Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te ; & quæ parâsti, cujus erunt? Hinc Salomon, quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit? Et iterum: Quid prodest Possessori, nisi quòd cernat divitias oculis? Neque enim proderunt divitiæ in die ultionis. *Luc. 12. v. 20. Prov. 17. v. 16. Eccl. 10. v. 10. Prov. 11. v. 4.*

III. Quia *Mille curarum & afflictionum causa est Avaritia* ; Quis autem ultro se in spinas conjiciat, & inter illas miseram & doloribus refertam vitam vivere cupiat; Quis siti perpetua vexari quàm modico potu contentus esse malit; Atqui nunquam satiari novit cupiditas teste S. Isidoro ; semper enim avarus eget, quantòque magis acquirit, tantò plus quærit: nec solùm desiderio augendi cruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur. *S. Isid. l. 2. de sum. bon. c. 41.*

IV. *Quia Avaritia est morbus propè incurabilis*: Quemadmodum enim, qui acutæ bilis fervore febricitant, non solùm non extinguunt ardorem potu, sed magis accendunt ; & Ebriosi quò plùs potui indulgent, tantò magis augent sitim ; ita avari, quò plura possident, tantò plura cupiunt, atque adeò nunquam curantur, nisi, quod rarissimum & difficillimum est, divitias contemnant, & abjiciant.

V. *Quia in manifestum salutis amittendæ periculum præcipitat obrestitutionis difficultatẽ*; ut enim qui profundo luto immersus est, vix spem concipere potest emergendi ; ità nec avarus divitiis immersus facilè emerget, nisi poten-

Habac. 2. v. 6. tentiori à manu extrahatur. Hinc Abacuc clamat: Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum; Et *Marc. 10. v. 24.* Christus: Quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Et S. Paulus: *1. Tim. 6. v. 2.* Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

Senec. ep. 96. ad Lucil. VI. *Quia nihil homine indignius, quàm opibus inhiare*: Quid enim aurum, argentum, margaritæ sunt, nisi terra aut lapis? Quàm turpe autem est, his cor affigere? Hinc rectè Seneca dixit, ipsam naturam nos ab hoc vitio abstterrere, dum nulli vitio nos conciliat, sed integros ac liberos genuit. Neque aliquid, quod Avaritiam irritaret, in aperto posuit. Pedibus enim aurum & argentum subjecit, calcandumque ac premendum dedit; vultus autem nostros in cœlum erexit.

Didac. Stella in c. 10. Luc. VII. *Quia avaritia nemini prodest, multùm verò nocet*, uti rectè Didacus Stella advertit, dicens: Superbus & arrogans ampliſſimas ædificat ædes, & ita ædificatores famulosque alat, necesse est: Helluo pistoribus, venatoribus, caponibus edacitate suâ prodest: & sic aliis emolumento sunt alii peccatores, quod in divitibus avaris multo aliter se habet; nam præter hoc, quod nemini ex usu sunt, Reipublicæ summè nocere solent, frumentum reliquaque necessaria asservantes, & in tempora cariora reponentes, pauperes affligentes, omnesque summis incommodis afficientes. Nec patientibus avarus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, seipsum, proximum; nam Deo retinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit oportuna, Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.

Stella in c. 14. Luc. VIII. *Quia nauseam cœlestium creat*; Non aliter, quàm si quis ad magnum & lautum convivium invitatus, moræ impatiens vilibus dapibus se adeò in principio ingurgitaret, ut postea omni edendi appetitu amisso, reliqua comedere non posset, jam enim inediæ satisfecerat, antequam lautioribus cibis fruitus erat. Hoc contingit quàm plurimis, qui naturale desiderium divinorum bonorum, quod Deus hominibus, quasi quandam cœli famem dedit, rebus terrenis tradunt, & ita inebriati bonis temporalibus vivunt, ut æterna cœlorum bona non desiderent, dicantque: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Unde prudens negotiator, qui videt *S. Bern. S. de 4. negot.* in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam, mundi contemptum, & fugit.

S. Gregor. ho. in Evang. Luc. 2. IX. *Quia animam vehementer cruciat*, uti S. Gregorius indicavit dicens: Quis mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istæ delectent; & tamen spinæ sunt, quæ cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cùm usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Et iterum: Quis talem non miseratur? anguſtatur abundantiâ, constringitur, & coanguſtatur ex opulentia: ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores. Salmeron quoque de hisce spinis ex S. Ambrosio ita scribit: Spina crucians cogitatio est comparandi divitias, labor in illis augendis & cumulandis, timor in illis amittendis, dolor in eis expendendis. *S. Ambros. s. 81.*

X. *Quia bona, de quibus avarus gaudet, non sui ipsius, sed aliena sunt*, uti S. Bernardinus ostendit hac similitudine: sicut si videns canem aliquem, duos homines insequentem, & agnoscere velis, uter ex illis canis illius Dominus sit, id melius experiri non poteris, quàm dum duo illi homines ab invicem separantur; sic divitiæ temporales non apparent, cujus sint, hominis, an mundi, sed cùm mundus ab homine separatur, tunc manifestè apparet, quòd proditor mundus illas non dedit, sed mutuavit.

§. X.

Media.

I. SE *peregrinum æstimare*, uti S. Basilius agnovit dicens: Exilium haud agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum, & neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo: universam terram Dei esse scio, cujus sum advena & peregrinus. Ideo etiam Christus in peregrini specie apparuit, ut nos, qui membra ejus sumus, in hac vita peregrinos & advenas nos esse sentiamus. Hinc S. Bernardus dixit: obsecro, in peregrinatione hujus seculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, utpote citò indè evocandi, & migraturi in patriam, & civitatem nostram. *S. Basil. an. 3. 20. v. 38* *Haymo in c. 24. Luc.* *S. Bern. ad FF. de monte Dei.*

II. *Cœlestis Patriæ meminisse*, quia ibi est domus nostra, id est, in Cœlo, ibi etiam omnia recondamus, nihil hîc penitus relinquentes, quicquid enim hîc dimiserimus, amittimus. Sicut enim viator, quantò magis ad viæ suæ terminum appropinquat, tantò magis gaudet & exultat, animumque resumens tanto celeriori gressu progreditur: ita quoque anima fidelis, quæ oculos suos in cœlum defixos tenet, ad iter suum, quantumvis difficile, prosequendum, animatur, omniaque obstacula facilè superat. Hinc S. Laurentius Just. dixit: validissimum contra præsentis vitæ illecebras medicamentum est, futuræ vitæ habere notitiam: absque æternæ vitæ gustu & scientia istius non habemus contemptum. Quod confirmans S. Gregorius, si semel, inquit, quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse conspicit, quicquid ad finem currit. *S. Chrysol. hom. 12. in Matt.* *S. Laur. c. 1. de casto conn.*

III. *Vanitatem rerum mundanarum considerare*, nam, ut S. Gregorius Nyssenus rectè advertit, omnia, quibus in hac vita mortalium curæ distentantur, inanis quædam opinio sunt, nihilque subsistens; opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitiæ, & his similia. Unde & Seneca: Nemo ex his quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm illi, quibus sceptrum aut chlamydem in scena fabulæ assignant. *S. Gregor. Nyss. tr. 1. in ps. 107.* *Seneca ep. 80.*

IV. *Damna avaritiæ perpendere*; Quæ S. Bonaventura explicans textum illum Apoc. 3. 17. *quia dicis, quòd dives sum &c.* indicat dicens: *S. Bonav. in c. Apocal.*

nota hîc, quanta sint infortunia avari, est enim miser, quia divitias cum labore acquirit; pauper, quia cum dolore perdit; cæcus, quia nihil aliud respicit; & nudus, quia nihil aliud bonum facit.

S. Bern. in serm. sexag.

V. *Ad veras & cœlestes divitias animum adjicere:* ita S. Bernardus suasit: Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate. Veræ divitiæ sunt non opes, quas Mundus offert, sed virtutes, quas animus possidet. Hinc & Christus monet, has præ aliis quærere, ut quas nec fures effodiunt & furantur, nec tinea & ærugo consumit.

Marc. 6.

S. Greg. hô. 32. in Ev.

VI. *Brevitatem vitæ perpendere:* nam, ut S. Gregorius ait, longa nostra desideria increpat vita brevis. In cassum multa portantur, cùm juxta est, quò pergitur. Aſt S. Augustinus confirmans, Avaritiæ morbus, inquit, nunquam meliùs compescitur, nisi cùm dies mortis sine oblivione meditatur.

S. August. de conflict.

Matth. 6. v. 34.

VII. *Regnum DEI, & Justitiam ejus ardenter quærere*; sic enim radix Avaritiæ, scilicet timor inopiæ, & indigentiæ tollitur, cùm vera sit promissio Christi asserentis, talibus omnia necessaria ad jectum iri, uti S. David expertus est dicens:

Ps. 22. v. 1.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco Pascuæ me collocabit.

S. Aug. super Ps.

VIII. *DEI amorem augere:* nam, teste S. Augustino, augmentum caritatis est imminutio cupiditatis. Si DEUM amemus, inquit, nummos omnino non amabimus. Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. Utere mundo, non te teneat Mundus: quò intrâsti, iter age: existi, non mansurus. Certè Cassianus ait, hoc vitium nasci ex torpidæ mentis ignavia; cùm juxta S. Gregorium Avaritia non soleat evenire illis, qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum; sed his maximè, qui effeminatos gressus gradientes per blandimenta sæculi resolvuntur.

Cass. l. 2. c. 1.

S. Greg. l. 30. mor. c. 16.

S. Ambros. super Lucam.

IX. *Exitum Avaritiæ funestum frequenter meditari:* cur enim, quæ ad usum diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? inquit S. Ambrosius, cave insidias, cave fraudes; nam avarus, teste S. Gregorio, more avium captus, cùm escam rerum terrenarum avidè conspicit, quo strangulétur peccati laqueo, non agnoscit.

S. Gregor. Past. p. 3. c. 21.

S. Ambros. c. 7. de Naboth.

X. *Pauperibus dare divitias & sic in Patriam præmittere:* quid enim hoc melius bono, inquit S. Ambrosius, si pauperibus largiaris, in quo tibi DEUM debitorem quâdam pietatis fœneratione constituas? Hinc ipse Christus suasit, facere amicos de mammona iniquitatis.

Luc. 16. v. 9.

Rosign. l. 2. de discipl. c. 16.

XI. *Christi inopiam frequenter perpendere:* quid enim indignius, quàm ut servus abundet divitiis, Domino summam indigentiam patiente? quid absurdius, quàm ut Discipulus magnificiat opes, quas Magister suus sapientissimus verbo & opere spernendas esse docuit?

XII. *Evomere divitias animum gravantes:* sicut enim ei, qui stomachum gravatum sentit, suadent Medici, ut Medicinam ad vomitum provocantem sumat; ita & avaro nihil ad avaritiæ lenimentum magis prodest, quàm si pecunias minuendo evomat. Hinc Plato cuidam pecuniis cumulandis semper intento dicebat: O improbe, ne possessioni augendæ studeas, sed cupiditati minuendæ: Sibi ergo applicet Avarus Spiritus S. Consilium per Sirachidem datum:

Stob. s. 8. injust.

Eccl. 31. v. 25.

Si coactus fueris (à tuis cupiditatibus) in edendo multùm, surge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori (& animo) tuo infirmitatem.

§. XI.

ASCETICA.

I. IMprimis nôsse debet Ascetа, 1. Quibus potissimùm modis committatur, nimirum quatuor illis, quos Hugo sequentibus verbis indicavit: Quatuor sunt in rebus possessis observanda, ne licita injustè quæramus; aut injustè acquisitis illicitè fruamur: ne multa, quamvis licitè possideamus: ne licita illicitè defendamus: Malè enim acquirere, aut malè uti acquisitis, de licito facit illicitum, multa sibi possidere propinquum est cupiditati, & sic quandoque, quod nimium diligitur, malè defenditur.

Hugo l. de claus.

II. Nôsse pariter debet modum legitimè & cum fructu etiam spirituali rebus possessis utendi, quem quidem S. Gregorius pulchrè indicavit dicens: si cuncta Mundi relinquere non potes, sic tene, quæ hujus Mundi sunt, ut per ea non tenearis; ut terrena res possideatur, non possideat. Sit res temporalis in usu, æterna in desiderio; hæc ut in itinere, illa ut in termino. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tota mentis intentione spectemus illa, ad quæ tendimus. Nam & omnia retinendo relinquimus; si sic temporalia gerimus, ut tamen totâ mente ad æterna tendamus. Et hoc est, quod Apostolus suasit dicens: Reliquum est, ut, qui Uxores habent, tanquam non habentes sint: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Sicut enim is, qui in aqua submergitur, periculo caret, quamdiu caput extra aquas liberum tenet; sic qui divitiis circumdati & immersi sunt, periculo vacant, quamdiu caput liberum est, seu cor non adhæret. Porrò, quomodo divitiis utendum sit, S. Bruno etiam indicavit, dicens: *Qui volunt divites fieri &c.* Ecce, qui volunt fieri, dixit; non qui sunt: cupiditatem damnabilem ostendit, non divitias: possunt divites esse, & boni, sed illi, de quibus dicitur: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Cor autem apponit, si aliquid agat eorum, quæ saluti officiunt, sive eorum, quæ salutaria sunt, aliqua omittat. Uti S. Abraham fecit, de quo S. Laurentius Justinianus dixit: cùm locuples esset, inquit, nequaquam inordinatè divitias dilexit; unumquemque Deus non secundùm affluentiam rerum, sed secundùm inordinatum affectum judicabit; nec diviti obsunt opes, si benè utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter sordes & inopiam ambire non desierit. Habeat homo multas facultates, si in eis non extollitur, pauper est; non habeat aliquid, sed cupiat, & in-

1. Cor. 7. v. 29.

Staplet. text. 5. in Dom. 19. post Pent.

S. Bruno de imit. Christ. in paupert.

Titelman. in Psal. 61.

S. Laur. Just. c. 4. Ign. Vita.

& infletur, inter divites & reprobos judicabitur, quia divites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & in pecuniis.

S. Prosper l. 2. de vit. contempl. c. 16.

III. Nosse debet solidum modum avaritiam extirpandi, quem S. Prosper sapienter præscripsit, dum dixit: Quem possidendi delectat ambitio, DEUM, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat, & in eo habebit, quæcunque in eo sanctè habere desiderat. Sed quoniam nemo possidet DEUM, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitùs possessio, & efficietur ejus Deus possessor & portio. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur conditor census, & hæreditas ejus dignatur esse ipsa Divinitas? Quid ultra quærit; cui omnia suus Conditor fit? aut quid ei sufficit; cui ipse non sufficit?

Manst. dis. 17. n. 8.

IV. Nosse debet *cur Deus cor humanum taliter efformârit*, nimirum illud in medio corporis, tanquam omnium sensuum & operationum nostrarum primum mobile, reposuit; eo quoque modo illud formavit; ut ex ea parte, quâ terram & hæc terrena bona respicit, illud strictum, acuminatum, clausum, & angustum esse voluerit; ex ea verò parte, quâ cœlum suspicit, apertum esset & largum, ut ex hoc unusquisque homo intelligeret, quòd ad consequenda bona cœlestia, tantundem affectum, cogitationes, curas & animi contentionem dilatare & ampliare possit, quantùm se quoad bona terrena coercere, moderari, & constringere tenetur, ne modum excedat.

S. Salvianus l. 1. ad Cath. Eccl.

V. Nosse debet, *cur opes datæ sint*; id quod S. Salvianus indicavit dicens: Ad hoc Deus facit homines locupletes, ut bona operatione sint divites, ut commutent scilicet divitias, quas acceperunt, in bonis operibus collocantes DEI opes, quas habent in hoc sæculo temporarias, benè utendo, facientes sempiternas, ac sic agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cùm, qui sunt divites in hoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cœlo. Unde S. Augustinus etiam dixit: Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ possessiones, omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum.

S. August. s. 72. de div.

Senec. ep. 75.

VI. Nosse debet, *divitias, & similia bona, ex se ipsis utilia non esse ad salutem, sed id solùm ex possessoris bonitate provenire*; ut ipse etiam Seneca naturali lumine agnovit, dicens: Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo est: quoniam quidem quæ parata nobis sunt, non habet in usu Deus, nec enim libido ad illum, aut opes: Ergo (quod incredibile est) bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ DEO desunt.

Cassianus l. 7. Instit. c. 14.

VII. Nosse debet, *triplicem Religiosis avaritiæ morbum contrahi posse. Unus*, qui decipiens miserabiles quosque, ea, quæ ne antea quidem, cùm in sæculo degerent, possidebant, congregare persuadet. *Alius*, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, postea resumere, & rursum desiderare compellit. *Tertius*, qui initio malo, vitioso que contractus, & ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit.

S. Bernardinus tom. 2. ser. 43. a. 2. c. 3.

VIII. Nosse debet, *cur avari nunquam satientur*: nimirùm quia potus pecuniæ non ibi est, nec ibi ponitur, ubi est sitis auri. Unde sicut vinum in dolio non sedat corporalem sitim, sic pecunia in arca sitim mentis sedare non potest. Rationalis enim anima ad imaginem Dei facta, creaturis omnibus occupari potest, satiari non potest: quia capacem Dei, quidquid Deo minus est, implere non valet. Insuper nullum corpus in spirituali loco contineri potest. Nam sicut sapientiâ non potest repleri arca, sic nec pecuniâ repleri potest anima. Unde Bernardus: Non plùs satiabitur cor hominis auro, quàm corpus aurâ.

§. XII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Marc. 4. v. 7.

I. EX occasione thematis: *Aliud cecidit in spinas*: Divitiæ spinis comparari possunt. 1. Quia ad illas perinde, ac ad spinas accessus est difficilis & periculosus; vix enim sine læsione conscientiæ accedunt homines ad illas; hinc Salomon ait: Qui festinat ditari, non erit innocens. *Prov. 28. v. 20.* 2. Quia sicut spinæ sunt receptaculum venenatorum animalium; ita Diabolus, teste S. Chrysostomo, veluti sub spinis occultatur intra divitiarum impostaram assidue latitans; radix omnium malorum cupiditas. *S. Chrys. ho. 9. in Epist. ad Rom.* 3. Quia sicut spinæ dolorem inferunt, cùm infiguntur, & cùm infixæ manent, & maximè cùm extrahuntur; sic divitiæ cruciant, dum acquiruntur, possidentur & amittuntur. 4. Quia sicut spinæ in extremitate maximè pungunt; ita divitiæ in ultima possessione seu mortis tempore maximè pungunt; tunc enim verificatur illud Ecclesiastici: O mors, quàm amara est memoria tui homini pacem habenti in substantia sua. *Eccl. 41. v. 1.* 5. Quia sicut qui spinas laxâ & apertâ manu tenet, illarum non pungitur aculeis; Secus verò si manum contrahat; ita nec divitiæ nocent, si liberali & cautâ manu in proximos dividantur; secus verò, si arctiùs, quàm par est, contingantur. 6. Sicut spinæ suffocant semen in illas cadens; ita divitiæ Verbum DEI, & inspirationes divinas infructuosas efficiunt. Vide Staplet. text. 2. in Sexag. Item Fabrum conc. 2. in Sexag.

Eph. 5. v. 5.

II. Ex occasione thematis: *Avarus, quod est Idolorum servus, non habet hæreditatem in regno Christi & DEI*. potest ostendi gravitas & turpitudo avaritiæ ex eo, quod sit idolorum servitus. Nam 1. Frui volunt nummo, uti autem DEO (quemadmodum S. Augustinus loquitur) quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Hinc Pecuniæ dicunt, Deus meus, & omnia. *S. August. l. 11. de Civ. c. 25.* 2. Quia Pecuniæ obediunt perinde, ut Idololatræ suis Diis; imò magis, nam ut S. Chrysostomus advertit, Idolis non omnia parent, huic verò omnia, & quodcunque faciendum suggerit, obsequuntur. *S. Chrys. de civ. Matt.* Quid dicit Avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne DEUM, sacrificium te mihi offer. Dicto citius

citiùs parent. 3. Quia Idolis tantùm boves & oves, per avaritiam verò animæ sacrificantur, quo sacrificii genere nihil est Bacchicum magis, nihil insaniùs, inquit idem Sanctus.

S. Aug. l. 2. de civ. cap. 12. Hinc S. Augustinus ait: Jupiter pecunia vocatur, quòd ejus sint omnia. O magnam rationem divini nominis! Sed nimirum hoc Avaritia Jovi nomen imposuit, ut, quisquis amat pecuniam, non quemlibet DEUM, sed ipsum Regem omnium sibi amare videatur. Vide Engelgrav. in Cœli Emp. p. 2. in Festo S. Matthæi. §. 2.

Matt. 26. v. 15. III. Ex occasione thematis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* comparari potest Avaritia cum venditione Christi, imò dici, majus esse scelus ex multis capitibus. 1. Ex parte *Venditi:* quia Judas vendidit adhuc mortalem, & in exilio viventem; avarus autem glorioſum, & in Patria jam triumphantem vendit. 2. Ex parte *Vendentis:* Quia Judas nondum erat redemptus, quando eundem vendidit: avarus autem scit, quantum beneficium ei Christus per redemptionem exhibuerit, & tamen hoc non obstante eum turpissimè vendit. 3. Ex parte illius, *cui vendit:* nam Judas tantùm Judæis, Avarus autem Dæmoni eum vendit, dum ad ejus inspirationem Deum ex corde suo dimittit, ut modicam pecuniam lucretur. 4. Ex parte *pretii:* nam Judas triginta saltem argenteis vendidit; avarus autem etiam pro uno interdum nummo eundem vendere non erubescit. 5. Ex parte *temporis:* nam Judas semel tantùm vendidit; avarus autem ferè quotidie, imo aliquoties etiam in die, & horâ. Si ergo Judas propter unicam venditionem & traditionem tam gravi pœna multatus est, ut infimum in Inferno locum habere per revelationem sit cognitus; quantam timere debebit, qui toties & cum talibus circumstantiis vendidit? Hortare proin, ut illa Christi Verba: Amice, ad quid venisti? sibi dicta putent, & meliùs, quàm Judas, perpendentes, à tam scelerata & turpi venditione deinceps abstineant. Vide Engelgrav. in p. 2. Cœli Empyrei in Festo S. Matthæi §. 2.

1. Tim. 6. v. 10. IV. Ex occasione thematis: *Radix omnium malorum est cupiditas:* ostendatur, quàm meritò Avaritia radix omnium vitiorum sit & origo. 1. Quia sicut per radicem planta suscipit nutrimentum; ita vitia per avaritiam & cupiditatem nutriuntur, uti benè S. Jacobus indicavit,

Jac. 4. v. 1. dum dixit: Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. 2. Quia sicut radix magis se semper dilatat, & firmat in terra; ita & avaritia plures semper divitias appetit, & firmior per illarum amorem & possessionem efficitur. 3. Quia sicut Radix deorsum semper tendit; ita & avaritia semper magis inferno appropinquat. 4. Quia sicut radix nullibi, nisi in terra, subsistere & crescere potest; ita & avaritia non nisi in auro & argento, quæ nihil aliud, quàm terra sunt, sedem habet. Hortare ergo, ut securim ad hanc radicem ponant, & cum ea totam arborem malitiæ excidant.

Luc. 16. v. 11. V. Ex occasione thematis: *Hic diffamatus est, quasi dissipâsset bona ipsius:* ostendi potest, quòd Avari sint maximi dissipatores bonorum.

1. Quia dissipant bona *Fortunæ*; nam, teste Salomone, substantia festinata (qualis sunt vel maximè divitiæ avarorum) minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prov. 13. v. 11.* 2. Quia dissipant bona *Corporis:* nimirum sanitatem, robur, speciem, & quandoque ipsam vitam, quæ per avaritiam amitti quotidiana experientia docet. 3. Quia dissipant bona *Animæ:* tum naturalia, ut sunt memoria, intellectus, voluntas, ac aliæ potentiæ, quas inutilibus operibus, puta opibus cumulandis, occupant: tum moralia, qualia sunt quies animi, fama, amicitia, cùm ejusmodi homines omnibus exosi sint. 4. Quia dissipant etiam bona supernaturalia *Gratiæ & Gloriæ:* dum toti sunt in divitiis cumulandis, nihil admodum de salute sua & meritis augendis solliciti. Hinc adolescens ille Evangelicus ad the saurum in cœlo comparandum à Christo stimulatus, abiit tristis, quia habebat multas possessiones. Vide Fabrum conc. 1. in Dom. 8. post Pentec. *Matth. 19. v. 23.*

VI. Ex occasione thematis: *Et ecce quidam Homo hydropicus erat ante illum:* potest Avaritia Hydropi comparari. 1. Quia sicut Hydropicus perpetua siti vexatur, & ideo quamvis aquam aut alium potum arripit; ita avarus continua siti divitiarum urgetur, & quodvis etiam vilissimum lucrum avidissimè amplectitur. 2. Quia sicut Hydropicus, quò plùs bibit, eò plùs aceenditur; sic & avarus, teste S. Gregorio, ex potu sitim multiplicat, quia cùm ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat. 3. Quia sicut Hydropicus cum grandi suo damno bibit, dum omnis potus hauſtus in corruptum humorem mutatur; ita & avarus omnes, quas acquirit divitias, in perniciem suam convertit. 4. Quia sicut Hydropicus graves ab aqua inclusa & nimio humore cruciatus patitur; sic & avarus à divitiis, teste quotidiana experientia. 5. Quia sicut Hydropicus plùs semper bibendo, mortem sibi accelerat; ita & avarus, quò plùs cumulat divitias injustè, tantò magis inferno ac morti sempiternæ appropinquat. Vide Fabrum, Conc. 4. in Dom. 16. post Pentec. *Luc. 14. v. 2.* *S. Greg. l. 14. mor. c. 6.*

VII. Ex occasione thematis: *stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te, & quæ parâsti, cujus erunt:* ostendi potest multiplex stultitia Avarorum. 1. Quia felices esse cupiunt, & medium arripiunt, quo summè miseri & infelices reddantur. 2. Quia diversorium, in quo vix per horam hospitabuntur, ampliſſimè & abundantissimè instruere satagunt, & de Domo, in qua perpetuò habitaturi sunt, bene instruenda nihil sunt solliciti. 3. Quia aliis, non sibi, laborant; quæ autem major stultitia, quàm sibi mortem & supplicium æternum, idque inexplicabile, procurare, ut alteri pauculas in hac vita opes fluxas & noxias relinquat? 4. Quia portam arctam, per quam ad æternam felicitatem intrandum est, divitiis onusti & gravati ingredi volunt, cùm tamen Christus eas potiùs abjiciendas esse docuerit. Vide plura de hac materia apud Engelgrave in Cœlo Empyr. p. 1. die 2. Bacchanal. Item Panarium Busæi v. Avaritia n. 7. *Luc. 12. v. 20.*

VIII. Ex

Sap. 5. v. 8. VIII. Ex occasione thematis: *Divitiarum jactantia quid profuit nobis? transierunt omnia tanquam umbra:* potest Avaritia umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra lumen, sic ipsa illustrationes & inspirationes cœlestes Animæ impedit. 2. Quia calorem caritatis reprimit, planeque extinguit, ut umbra calorem solis. 3. Quia sicut umbra sterilitatem in frugibus, sic ipsa in bonis operibus inducit. 4. Quia Diaboli & vitiorum habitatio est, sicut umbra Serpentium & Colubrorum. 5. Quia sicut umbra somnum provocat; sic illa obdormire facit animam in pietatis & virtutis studio. 6. Quia sicut umbra celeriter transit; ita & Avaritia cum bonis, quæ promittit. Unde exclamare *Ps. 101. v. 12.* cogentur Avari cum Davide: Dies mei sicut umbra transierunt.

§. XIII.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Lyranus in c. 7. Jud. I. DEUS Gedeoni insignem illam adversus Madianitas victoriam impertiri volens, hoc ei signum dedit, è quo, quosnam in suum exercitum seligere posset proficuos milites, quorum opera in illo erat certamine adhibenda, perspicuè dignosceret: *Qui linguâ lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt:* Hi autem, qui commodè bibebant, genuaque sua, cum qua poterant commoditate flectebant, ut se super aquas extendere, easque tantò copiosiùs bibere possent, repudiati fuêre, electi verò sunt & probati, qui obiter ad instar canum undas lambebant; omnia in figura contingebant. Lyranus enim in moralitate in hanc historiam ita scribit: Per illos, qui biberunt aquas flexo poplite, significantur illi, qui ad hauriendum hujus mundi bona sunt nimis effusi, & illi non sunt apti ad sequendum Christum. Per illos autem qui biberunt manu aquam ad os projiciente, significantur illi, qui de bonis hujus mundi accipiunt, quantùm sufficit ad necessitatem. Hi enim sunt milites ad militiam Christianam aptissimi, & adversùs inimicum infernalem insuperabiles, & ab illis solis corona cœlestis gloriæ acquiritur.

Hugo Card. in Ezech. II. Idem Deus quondam Ezechieli Prophetæ ad se die quodam accersito præcipit, ut acceptâ novaculâ capillos capitis sui sibi abraderet: eosque adhibitâ justi ponderis trutinâ libratos in tres partes æquales divideret, & primam quidem harum partium in medio civitatis igne succensam combureret: secundam verò portionem in minutissimas partes discinderet: Tertiam denique in ventos dispergeret. Quo quidem divino præcepto Prophetæ imposito, quoad sensum literalem, strages populo immittenda, & quas in ea passurus erat, miseriæ significabantur: quia aliqui eorum in igne perituri erant, alii in minutissimas particulas comminuendi, alii denique velut mancipia in captivitatem abducendi erant: In sensu autem spirituali per capillos bona significantur temporalia, quia sicuti corpori & vitæ corporali superflui capilli sunt, non verò essentiales, cùm sint quædam capitis excrementa, ita quoque bona terrena necessariam cum vita spirituali Christiani hominis, & cum anima connexionem non habent: mysterium verò, ob quod sic capilli in tres partes dividendi erant, ab Hugone Cardinali his verbis tangitur: Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia divites hujus mundi suas divitias expendunt, alii in igne libidinis, alii in vento superbiæ, alii in lites & bella.

III. Injusti opum corrasores non immeritò cygnis comparantur, qui in morte omnium suavissimè canunt. Quia & hi morte suâ, ceu cantilenâ suavi, testamento hæredes recreant. Unde Seneca rectè: Avarus nihil boni facit, nisi cùm moritur. *Holkot in Sap. Lect. 65.*

Fuga.

IV. In magna illa caritatis annona, quæ universam penè terram affligebat eo tempore, quo Joseph Ægypti salvator audire meruit, magna erat in Ægypto ex præfati Joseph speciali providentia & directione frugum quarumlibet abundantia; Unde Ægyptii, ut alias nationes ad se pro frumentis comparandis evocarent, paleas, è quibus frumentum excussum fuerat, in Nilum conjecerunt, ut ex illis deorsum per varias regiones decurrentibus annonæ in Ægypto reservatæ omnibus insinuaretur notitia: Omnia in figura contingebant: Etenim Salvator totius Mundi, per transitorias hujus præsentis vitæ aquas, paleas decurrere facit, id est, multa nobis bona apparentia, honores videlicet, divitias, delicias & voluptates ob oculos objicit, ut ex illarum palearum vi attractiva & apparentiâ permoti, apprehendere & conjicere valeamus, quòd in cœli granario frumentum Electorum copiosissimè abundet, de quo dicitur: *Triticum autem congregate in horreum meum;* Ibi enim sunt thesauri, gaudia, & gloria stabilis ac vera. Et ideo Sanctus Augustinus nos monet dicens: Ama alteram vitam, & videbis, quòd ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuscunque deliciis superabundet & affluat. *Manss disc. 22. n. 13.*

Damnum.

V. Consideratione dignissimum est, quòd is, qui opulentissimus, multarumque Provinciarum Dominus fuit, Job nimirum, Spiritûs Sancti instinctu de auro scripsit, dicens: *Ab Aquilone aurum venit.* Cur enim aurum potiùs à regionibus Aquilonaribus, quàm ab aliis Mundi partibus provenire dicit, cùm certum esse constet, aurum ex aliis quoque terræ partibus in magna copia ad nos adduci? Mysterium hujus dicti ex illis Jeremiæ Prophetæ verbis desumi posse existimo, quibus dicit: *Ab Aquilone pandetur omne malum:* Unde enim aurum venit, inde pariter omne vitium derivari necessum est: nam, ut S. Gregorius optimè dicit: Ubi aurum placet, ibi & vitium. Dic sodes, ubinam is qui omnis mali, omnisque *Idem disc. 1. n. 5.*

vitii

vitii author & inventor extitit, ſedem ſuam primitus collocavit? Num ad orientem? Vel ad meridiem aut occidentem? Minimè: quin potiùs ipſemet dicit: *Sedebo in lateribus Aquilonis:* Et ideo, tametſi omnia vitia laquei ſint dæmonis, quibus homines involvit, Apoſtolus
1.Tim.6.9. tamen ſolam avaritiam ſpecialiter *dæmonis laqueum* ſolemni nomine appellat.

Hugo Card. in c. 5. Ezech. VI. Hugo Cardinalis in c. 5. Ezech. dicit, quòd per capillos, quæ pars quædam ſunt corporis noſtri ſuperflua, bona temporalia & divitiæ ſignificentur; addit tamen, notandam eſſe magnam inter capillos M. Magdalenæ, & Abſolonis, differentiam, quia tametſi illa capillos ſuos valdè prophanaverit, tot animas in laſcivos ejus mores illaqueando, eoſdem tamen etiam tanta cum pietate & devotione in obſequium Redemptoris adhibere noverat, ut & ipſe ejus caperetur amoribus, & cordis ejus præda fieret: De Abſalone autem verè dici poteſt, illum, quot ex ejus vertice capilli prominebant, totidem etiam in capite ſuo geſtâſſe laqueos, ex quibus in arbore quercûs infami modo ſuſpenſus remanſit. Noſtiſne aliquam differentiæ aſſignare cauſam? Non eſt alia, quàm hæc; Quia capilli Abſalonis laquei erant dæmonis, quia hactenus ſpecialia avaritiæ fomenta præbuerant; per quæ quis peccat, per hæc & torquetur; Etenim non obſtante, quòd tanti Regis Filius eſſet, nihilominùs capillos ſuos vel eo-
2.Reg.14. 26. mam capitis ſui detonſam vendebat, & in ea negotiabatur: *Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis ponderе publico.* Quid magis admirandum audiri poteſt? &c.

S. Auguſt. in c. 15. Gen. VII. S. Auguſtinus ſequens movet dubium, cur videlicet DEUS non æquè arboribus & plantis benedixerit, ac aliis creaturis? & reſpondet, ideo id Deum non feciſſe, quia arbores per fibras & radices in lateribus terræ inhærent. Cùm igitur homines arboribus ſint ſimiles, unde & Philoſophus hominem arborem inverſam appellabat: Et Pſalmiſta de eodem dicit: Quòd ſit *lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*; hinc eſt, quòd Deus arboribus non benedicendo inſinuare nobis voluerit, ſe benedictiones ſuas cœleſtes nequaquam communicare illis, qui affectibus & cogitationibus ſuis bonis terrenis immerſi hærent.

Manſi diſc. 14. n. 2. VIII. Refert Magiſter Henricus de Gandavo in ſuo Quodlibeto, quando Conſtantinus dedit Eccleſiæ bona temporalia, vox fertur audita fuiſſe: Hodie cecidit venenum in Eccleſia DEI. Id tamen accidiſſe natrat propter malum abuſum. Quis autem eſt, qui Conſtantinum Magnum Fidem & Religionem Chriſtianam de interitu perichitantem reſtituiſſe, & ſtabiliviſſe neſciat? & tamen ex altera parte, quando illam bonis temporalibus adauxit, valdéque locupletem fecit, eidem præjudicium quoddam intuliſſe dici poteſt, non quidem ex intentione & culpa ipſius, ſed eorum culpâ, qui divitiis illis in pravos fines abutebantur.

Idem diſc. 16. n. 8. IX. In earcere Pharaonis Regis Ægypti duo ex Regiis ſervis ejus detinebantur captivi, pincerna videlicet Regius, & magiſter piſtorum, qui ambo Dominum ſuum graviter offenderant, ambo in ſomnis viſionem habuerant, ſed valde inter ſe differentem, quas Joſephus utrique declarans, primo Regiæ gratiæ redintegrationem, alteri verò pœnam capitalem prædixit; cujus porrò præſagii multæ quidem adduci poſſent rationes, veruntamen ea, quæ ad præſens noſtrum propoſitum pro ſenſu morali aptiſſimè quadrat, hæc eſt, quia ſcilicet Pincerna tali fungebatur munere, in cujus executione manus ſuas coinquinare neceſſum non erat; ſiquidem acceptum cyathum diſco imponebat, vinumque ei infuſum Regi bibendum propinabat, quæ omnia ſine ulla manuum ſuarum coinquinatione facillimè facere poterat: Magiſter verò piſtorum non item; hic enim maſſam continuò tractabat, quæ ubi manibus ejus adhæreſcebat, eaſdem farinâ conſperſas, & non aliter, à maſſæ glutine depurare poterat. Omnia in figura contingebant; Etenim hiſtoria hæc monet illos, qui mundas manus non habent, qui terrenis rebus immerſi vivunt, iisdémque accumulandis continuò ſtudent; monet, inquam, illos, ut ſibi ab ira Dei, & à condemnatione æterna diligenter caveant, eò quòd manus ſuas ſemper immundas habeant; placent enim illis res alienæ, moxque viſas concupiſcunt, rapinas, & extorſiones continuò committunt, ſuntque bona temporalia, veluti maſſa quædam, quæ faciliter æquè ac tenaciter ea tractantibus adhæreſcit. Unde Albertus Magnus ſuper illa verba Pſalmi: *Nolite cor apponere*; hanc gloſſam adjicit, quaſi dicat: habere, non damno; ſed affectum ponere in illis, reprobo, hoc enim eſt, quod divites reprobos efficit.

Idem diſc. 5. n. 4. X. Quando in tempeſtatibus maritimis periculum eſt ſubmerſionis, aut naufragii, nautæ ſe invicem alligare ſolent rei alicui, quam in navi habent, maximè autem alicui tabulæ vel trabi, aut aſſeri ligneo, ſperantes, quòd dum huic arctè alligati in ſuperficie natant, tandem aliquando ſalvi ad litus maris ſint perventuri; Quod ſi verò aliquis ferro vel maſſæ aureæ, vel argenteæ firmiter ſe aſtringeret, quæ naturâ ſuâ fundum peteret, nequaquam verò in aquarum ſuperficie natare ſolet, is utique omni foret ſpe periculum evadendi fruſtratus; ſiquidem una cum illis in fundum uſque demergendus foret. Ad eundem quoque modum hæc eſt ingens avari præ cæteris peccatoribus infelicitas, quòd ſcilicet ambitioſi adhæreſcant honoribus, dignitatibus; luxurioſi crapulæ; iracundi vindictis; Cùmque hi affectus quantumvis immoderati ſint, tandem nihilominus ſive per ſimiles ætatis annos, ſive per illarum continuum uſum, ſive per infirmitates, aut aliud quodvis ſimile accidens moderantur, vel certè totaliter deficiunt; cujus contrarium fit in peccato avaritiæ, utpote quæ non ſolùm per annos quantumvis decrepitæ ætatis; verùm etiam per divitiarum incrementum magis ſemper magisque adaugetur, ac proinde etiam vicinæ mortis tempore avarum non deſerit, ſed æquè firmiter ei adhæreſcit. Unde Hugo Cardinalis ait: Signanter dicit: Mergunt, quia divites ad modum naufragantium, quod tenent, vix dimittunt.

XI. Vide-

Idem diſc. 6. n. 5. XI. Videmus quotidie, quòd, dum à piſcatore vermiculus aut alius gratus cibus in aquas cum hamo projicitur, omnes certatim accurrant, ut illum aliis præripiant, illique, qui eum unà cum hamo deglutivit, alii quaſi invideant; ſed immeritò, cùm potius eidem compati ſuo modo deberent, quia nondum retraxit hamum piſcator, quem ubi retraxerit, cibus ille cauſabit, ut paulò pòſt ex ſuo, cui innatabat, elemento extrahatur agonizans, móxque torrendus vel aſſandus ſuperimponatur carbonibus: Idem quoque multis accidit, qui in hac præſenti vita pinguibus hæreditatis opulentæ, vel inſignis fortunæ, vel dignitatum, Dominiorum, deliciarum, voluptatum, aliarúmque proſperitatum temporalium bolis, juxta cordis ſui votum impinguantur. Sed caveant ſibi tales; nondum retraxit hamum piſcator, ipſi hamum, quem unà cum cibo deglutierant, intra fauces ſuas habent, nec tamen id advertunt, id quod præcipuum & manifeſtum eſt æternæ reprobationis ſuæ indicium; *recordare, quia recepiſti bona in vita tua*; ſed quænam hinc naſcitur conſequentia? hæc cruciatuum cauſa tota; Etenim in hac vita gaudere, ad ignem infernalem hominem condemnat: *ſicut piſces capiuntur hamo*, inquit Sapiens, *& ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo ſupervenerit interitus*, aves enim lætæ prorſus hinc indè circumvolant; dum eſca ſub laqueo vel reti reconditâ ſeſe nutriunt: piſces pariter feſtivi in aquis circumnatant, ſeque hamum unà cum injecta aquis eſca deglutiiſſe ignorant, & tantò faciliùs ambo morti in prædam cedunt: Idem quoque multis mortalium accidit, qui in hac vita felicisſimè vivunt; quando enim ſe ſibi in hoc Mundo verum quendam ſtabiliviſſe Paradiſum credunt, quando in proſperrimo humanæ felicitatis ſtatu degunt, rota fortunæ protinus everſa circumvolvitur, Sol ad occaſum vergit, ipſique ad infernum ex improviſo aguntur præcipites.

§. XIV.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Geneſ. 4. I. CAin legitur primus ædificaſſe civitatem, ſed non Abel, quia ſancti non habent hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirunt.

Stelianus apud March. tr. 2. Tub. Poſt lect. 3. II. Semiramis Regina ſepulchro ſuo inſcribi juſſit: Si quis Rex pecunia indiget, hoc Monumentum diruat. Cùm ergo Darius cupiditate pecuniæ allectus, ſepulchrum aperiri juſſiſſet, nihil niſi hæc verba ſcripta invenit: Niſi eſſes inſatiabilis, ſepulchrum mortuorum non attingeres.

Ibid. lect. 9. III. Quod quidam de Magnatibus cecinit, pariter omnibus Avaris applicari poteſt:

Cuncta trahunt ad ſe Magnates aurea, ſicut
Magnetes ad ſe ferrea cuncta trahunt.

Ibidem lect. 11. IV. Turoni, cùm Rex Galliæ Ludovicus IX. culinam ſub habitu nobilis communis intrâſſet, & Adoleſcentem veru vertentem quæſiiſſet, quantum lucraretur? audivit reſpondentem: Lucror tantùm, quantùm Rex ipſe. Cumque Rex iterum quæreret: Quid ergo Rex lucratur? Iterum ille reſpondit: Victum & Amictum; tantundem & ego. Sed ille à DEO, ego verò ab eo, dum illi inſervio. Quo reſponſo Rex delectatus, eum poſtea ad honores evexit.

V. Rectè cecinit Horatius ironicè: *Horat. l. 1. epiſt. 1.*

O Cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos. Sic Janus ſummus ab imo
Perdocet, hæc reciaunt Juvenes dictata, ſeneſque.

VI. Nec minùs verè & argutè Menander cecinit: *Menand. apud Stobæum.*

Tantùm dato,
Ipſos habebis vel miniſtrantes Deos.

VII. S. Gregorius Nazianzenus potentiam auri ſic expreſſit: *S. Greg. in carm. de ſua vita.*

Vinum aſſerebat quiſpiam omnia vincere,
At fœminam alter, tertius palmam dabat
Vero, dediſſem aſt robur ego quàm maximũ
Auro, arbitratu cuncta quod regat ſuo.

VIII. Alius ſic eandem potentiam expreſſit:

Audito nummo, quaſi viſo Principe ſummo
Diſſiliunt Valvæ, nihil auditur, niſi ſalve. *Engelgrav in cœlo Emp. die 1. Bach. Ibid.*

IX. E contrario verò,

Qui caret argento, fruſtra utitur argumento.
Pauperibus ſemper curia clauſa Codris.

X. Ovidius quoque Symbolam ſuam conferens breviter, ſed rectè, cecinit:

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores. *Ovid. l. 1. Faſt.*

XI. Fructum verò Avaritiæ ſuppreſſæ ſequentibus verſibus pulchrè expreſſit Horatius:

Quòd ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes, *Horat. in Epiſt.*
Quò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc ſtudium ſumi ſemper tractemus, & imi.

XII. Imperator Trajanus theſaurum Principum Lieni non malè comparavit; ut enim creſcente liene reliqua membra tabeſcunt: ſic creſcente fiſco (vel cujusvis avari divitiis) debilitantur facultates. *Sextus Aurelius in vita Iulian.*

XIII. Auguſtus Imperator ſuos Officiales ſpongias vocabat, quas, cùm impletæ eſſent opibus, ipſe exprimeret. *Fab. conc. 1. in Dom. 5. poſt Pent.*

Damnum.

XIV. Si pecuniam habes, inquit Seneca, neceſſe eſt, ut te ipſum, aut pecuniam vilem habeas. *Sen. Ep. 15.*

XV. Pecuniæ oportet imperare, non ſervire. Pecuniâ ſi uti ſcias, ancilla eſt; ſi neſcias, Domina. *Idem in Prov.*

XVI. Hortulanus quidam, cùm priùs omnem pecuniam in egenos diſtribuiſſet; poſtea autem ſeductus à Diabolo congregare & parcere cœpiſſet, ſubitò putrefacto pede omnem pecuniam in Medicos erogare debuit. Unde, cùm rogâſſet à Domino miſericordiam, ſtetit Angelus noctu coram ipſo, & dixit: ubi ſunt nummi tui? ubi ſpes tua? & cùm peteret veniam, Angelus tangens pedem ſanavit. Vide fuſiùs l. c. *Vita PP. l. 5. libell. 6. n. 21.*

XVII. Cùm Sigismundo Imperatori quondam ex Hungaria quadraginta millia aureorum allata eſſent, & ea de cauſa dormire nõ potuiſſet, manè is fortiſſimos Militiæ Duces ad ſe evocavit, & his *Silinus l. 4. in Alphonſo.*

& his verbis allocutus est: Ecce crudelissimos hostes, ac tortores acerrimos, à quibus nulla mihi data requies, nullus oculis sopor. Ite proin, & eos ex Gazis educite, & inter vos æqua sorte dividite. Illis deinde cum gaudio abeuntibus, ipse quoque gaudens dixit: Recessit à me tortor, qui me flagellavit: securiùs modò quiescam.

S. Cyprian. ep. 2. ad Donat. Rectè ergo S. Cyprianus dixit: Inter divitias trepidum sollicitudo discruciat, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia.

Pontanus in Bellar. p. 2. c. 27. XVIII. Bernardus Pipini Frater, Caroli Magni nepos, conjurationis reus, impetravit, ne sibi, quemadmodum reliquis ejusdem factionis, oculi stylo ferreo eruerentur, sed aureâ pelvi solis radiis oppositâ, in eandem continenter fixam oculorum aciem intendens, ad fulgorem auri excæcatus est. Idem quoad internum oculum avaris contingit. Hinc S. Ambrosius ait: cæca est avaritia, non videt, quæ divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis.

S. Ambros. s. 59.

Ovid. l. 11. Met. XIX. Mydas Rex Apolloniæ petiit ex magna avaritia, ut, quidquid tangeret, aurum fieret. Id verò cùm obtinuisset, munus in ultionem conversum est, cùm cibus & potus in auri naturam obrigesceret. Quâ fabulâ pulchrè avarorum stultitia & miseria significatur.

Petrarch. l. 1. Dial. 100. XX. Recte Petrarcha: Virtutum nutrix optima est Paupertas, opulentia vitiorum. Multos pavidos & imbelles, omnes tumidos ac superbos, nullum penitùs virum fortem fecêre divitiæ. Qui thesaurum congregat, sibi curas & invidiam, hostibus stimulos, furibus sollicitudinem addidit.

Ibid. l. 2. dial. 13. XXI. Quidam Pater, cùm Filio multas pecunias relinqueret, iste autem omnes in arcula servaret, nec ad utiles usus impenderet, abeunte quondam Romam Filio, extractos saccos pecuniâ spoliavit, & iisdem magnificam domum instruxit, omniaque ad summum splendorem comparavit, saccosque arenâ iterum repletos antiquo loco reposuit. Quos cùm Filius rediens apertos arenâ plenos reperisset, & ideo apud Patrem de furto questus fuisset, respondit Pater, quid refert, ô Fili, apud te, arenâ ne, an pecuniâ pleni sint sacci, cùm neutro modo utaris? ingeniosè scilicet tenacitatem Filii taxans.

§. XV.
AXIOMATHA.

I. Lapis Lydius auri index, aurum hominum. *Chilo Laced.*

II. Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit. *Iuvenal. Sat. 14.*

III. Avaro tam deest, quod habet, quàm quod non habet. *S. Hier. ep. 103.*

IV. Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Seu, ut alii, pecuniæ obediunt omnia.

Geld regirt die Welt.

V. Nullâ ditari ratione potestis avari,
Vos faciût inopes, quas cumulatis, opes. *Buchlerus V. avarit. Floril. p. 4. f. 183.*

VI. Auff einen kargen Sparer folgt ein milder Zehrer.

VII. Ubel gewonnen übel zerronnen.

Malè parta, malè dilabuntur.

VIII. Geiz ist der Hoffart Polster. *Ibid. p. 1.*

IX. Ein silberner Hamer bricht ein eisene Thür.

X. Geld, Gewalt, und Herren-Gunst,
Bricht Ehr, Recht und alle Kunst.

XI. Geitz und Geld seyn Meister in der Welt.

XII. Geld und Geitz bringt manchẽ ans Creutz.

XIII. Geld ist aller Reichs- und Landtäg End und Schluss.

§. XVI.
AUTHORES.

I. Bernardus Rosignolius l. 2. de discipl. c. 16.

II. Cassianus l. 7. de Inst. renunciat.

III. Ludovicus Granatensis in Duce Peccatorum. l. 2. c. 5. fol. 619.

IV. Jacobus Marchantius in horto Pastorum & Tuba Sacerdotali tract. 2.

V. Josephus Langius v. Avaritia, in Polyanthea.

VI. Jacobus Alvarez to. 2. l. 1. p. 2. c. 7. & 8.

VII. Joannes Busæus in Panario v. Avaritia.

VIII. Petrus Canisius p. 3. de 7. vit. capital. §. 4.

IX. Thomas Stapletonus in Promptuario tex. 5. in Dom. 2. post Pent. & tex. 3. in Dom. 14. & text. 5. in Dom. 19. Itẽ tex. 8. in Dom. Quinq.

X. Henricus Engelgrav. in p. 2. Cœli Empyr. in Festo S. Matth.

XI. Matthias Faber. conc. 1. in Dom. 8. post Pent. & conc. 4. in Dom. 16.

XII. Josephus Mansi in Bibl. moral. tract. 8.

TITULUS XV.
BACCHANALIA.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Faber. conc. 4. in Quinquag. SUnt tempus jejunium Quadragesimale antecedens, quo Homines Genio suo liberaliùs solent indulgere. Quorum originem Matthias Faber Ægyptiis adscribit, & ab his Orpheo Magistro ad Græcos, inde ad Romanos, & tandem ex Italia trans Alpes in Germaniam translata, totum deniq; orbem pervasisse ait. Celebrabrantur autem apud Romanos noctu à nudis Fœminis ac Viris, nisi quòd circa caput & femoralia pampinis & uvarum racemis cingebantur. Sicq; tumultuario invicem commixti cœtu, in sublime saltantes, variaque gesticulatione caput & brachia moventes, carmen inconditum Baccho cantabant, nec priùs à saltatione cessabant, quàm defatigati, & toto corpore vacillantes, aut in proximum sibi socium resupinarentur, aut in pavimentum velut fanatici & amentes proruerunt.

§. II. Ex

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Exod. 32. v. 6. I. SEdit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

Pſ. 81. v. 2. II. Usquequò facies peccatorum ſumitis?

Eccl. 9. v. 20. III. In medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis.

Fuga.

Eph. 5. v. 15. IV. Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt (ſicut enim dicitur mala eſſe domus, quæ malos habitatores habet, ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt à malis hominibus, ait rectè S. Remigius.)

S. Remig. in cit. loc.

Rom. 13. v. 12. V. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum JESUM Chriſtum.

Eccleſ. c. 3. VI. Tempus flendi, tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.

Eccl. c. 2. VII. Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid fruſtrà deciperis?

2. Cor. 6. VIII. Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo cum idolo?

Pſal. 80. IX Ibunt in adinventionibus ſuis.

Rom. c. 12. X. Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum, & nolite conformari huic ſæculo.

Damnum.

Luc. 18. XI Ecce aſcendimus Jeroſolymam & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.

2. Mach. c. 5. XII. Omnes, qui ad ſpectaculum proceſſerant, trucidavit.

Apoc. c. 12. XIII. Deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quoniam modicum tempus habet.

Num. c. 11. XIV. Adhuc carnes eorum erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſcemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus eſt in populum, & percuſſit eum plagâ magnâ nimis.

Luc. 11. v. 24. XV. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa (id eſt, voluptatibus carentia) quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.

Oſea 2. v. 10. XVI. Et nunc revelabo ſtultitiam ejus in oculis amatorum ejus, & vir non eruet eam de manu mea. Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus.

Iſai. 28. v. 7. XVII. Abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcieruut videntem, ignoraverunt judicium; omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordibusque, ita ut non eſſet ultra locus.

Num. 11. v. 33. XVIII. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plagâ magnâ nimis.

Ezech. 13. v. 19. XIX. Violabant me propter pugillum hordei & panis fragmentum, ut interficerent animas, quæ non moriuntur.

Prov. 7. v. 21. XX. Irretivit eum (Bacchus) multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eum ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quòd ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta jecur ejus.

§. III.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

S. Chryſ. hom. 1. in Gen. I. SI Medici pharmaca dare volentes jubent interea temperanter agere, ne minùs pharmaca operentur; multò magis jejunium ſuſcepturos tenuitate victûs mentem expurgare, & leviorem reddere oportet.

S. Baſil. hom. 1. de laude jejun. II. Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantiâ præparatur, ne velut ulciſcens veniat dies jejunii.

Ibid. III. Non eſt per temulentiam aditus ad jejunium; nec ad juſtitiam iter per fraudem; nec ad ſobrietatem per laſciviam; nec per malitiam ad virtutem. Crapula & ebrietas ad laſciviam inducunt, ad jejunium frugalitas.

Idem ho. 2. de jejun. IV. Quis eras pudicam uxorem legitimè ducturus, hodie ſcorta & concubinas inducat in ædes? aut quæ uxor legitima tale pateretur connubium?

Idem. V. Nullus ſervus Hero ſuo reconciliari cupiens, hoſtem illius Patronum adhibet. Ebrietas inimica eſt DEO. Itaque ſi cupis per confeſſionem reverti ad DEUM, fuge temulentiam, ne magis etiam abs te DEUM alienes.

S. Baſil. Orat. 5. de jejunio. VI. Hem, quid facis, O homo? nemo uxorem caſtam in matrimonium ducturus, pellices ac meretrices præaſſumit, ſecúmque habitare facit; nam mulier honeſta ferre non poterit, ut ſcorta unà ſecum habitent. Noli igitur & tu, cùm inediâ corpus tuum macerare vis, ebrietatem priùs introducere, ebrietatem, inquam, quæ nihil aliud eſt, quàm publicum ſcortum, quàm bacchans & furens mulier, ad omne genus turpitudinis prompta, ac parata.

S. Chryſoſt. to. 5. ſer. 48. VII. Quis eſt adeò doloris expers, ut non doleat, cùm in ea, quæ ad diabolum pertinent, plùs ſtudii conferri cernat? Atqui nulla ſpes veniæ nobis, vel excuſationis reliqua eſſet, ſi vel æquale ſtudium conferretur, cùm autem etiam longè ſuperet, quis nobis defenſionis locus relinquitur? Quotidiè nos invitant ſpectacula, nec ullus pigritatur, nullus eſt, qui cunctetur, nullus eſt, qui negotiorum occupationes obten-

dat, ſed tanquam expediti, & omni curâ ſoluti occurrunt omnes, non canitiem ſenex reveretur, non ardorem naturæ ac libidinis juvenis ſuſpectum habet.

Damnum.

S. Vinc. Ferrer. ſer. 3. in Quinquag. VIII. Eſt tempus hoc tempus deſcendendi de peccato in peccatum, & per conſequens ad infernum, & ideò dicitur: *Tenent tympanum, & citharam, & ducunt in bonis dies ſuos, & in punctò ad infernum deſcendunt.*

Salvianus l. 6. de provid. IX. Spectacula etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt diaboli. Quomodo, O Chriſtiane, ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, qui opus diaboli eſſe confiteris? Renuntiaſti ſemel diabolo, ſemel & ſpectaculis ejus, ac proinde neceſſe eſt, prudens & ſcieus, dum ad ſpectaculum remeas, ad diabolum te redire agnoſcas.

S. Carolus Borr. Act. Mediol. p. 7. pag. 1151. X. Vide retia inextricabilia, quæ dæmon inimicus noſter hoc tempore nobis tendit; vide foſſas peccatorum, in quas tot homines cæco quidem modo præcipites agit; vide innumerabilium animarum prædam, quam hoc tempore ſibi ſurripit. Quid plura? vide, inquam, quantùm hodie Sathanas triumphet, quomodo in hoc populo tuo regnet, & tyrannizet, idque non ſolùm quoad plebeios toto anno vitæ vanitati deditos, verùm etiam perſæpè quoad illos, qui alio anni tempore bonam habent animæ ſuæ cuſtodiam, & à mundo ſapientes eſſe exiſtimantur.

S. Ephrem. to. 1. de abſtin. & ludier. XI. Ubi cytharæ & chori, ac plauſus manuum, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum triſtitia, & diaboli feſtum.

§. IV.

EXEMPLA SACRA, ET CATHOLICA.

Fuga.

S. Aug. l. 7. de Civit. I. ROmanorum Senatus ea ſacra aut ſacrilegia potiùs ad extremum per totam Italiam abolevit, ita ut ne nomen quidem Bacchanalium audire ampliùs voluerit.

Mancinus de paſſ. l. 9. p. 668. II. Regina Galliæ, & uxor Ludovici XIII. poſt gravem morbum ſuperatum, quindecim aureorum millia, quæ in larvarum tripudium deſtinaverat, voto, quod in extremis fecerat, exolvendo, in piam cauſam impendit, reſtitutæ vitæ pretium.

l. 2. inſin. c. 14. & 16. III. S. Gertrudis, quia viderat Chriſtum triduo Bacchanaliorum ad ſimilitudinem languentis ſupra pectus ſuum recumbere, per totum illud tempus nihil aliud inveſtigavit, quàm ut orationibus, ſilentio, & cæteris afflictionibus pro emundatione mundanorum hominum inſudaret. Quod obſequium quàm gratum illi fuerit, oſtendit illi per aliam viſionem, quando eidem in throno gloriæ ſedens, cum S. Joanne Evangeliſta ſcribente apparuit, &, cùm ipſa, quid S. Joannes ſcriberet? quæſiiſſet, reſpondit, omnia opera & obſequia per hoc tempus Bacchanaliorum ab hominibus ſibi impenſa eum ſcribere, ut ipſe quidem (Chriſtus) eis menſuram bonam poſt mortem reddat, poſtea verò cum hac charta etiam ad Patrem æternum eos ducat, & menſuram coagitatam & ſupereffluentem gratiæ ac gloriæ ipſis impetret.

Vita p. 4. c. 24. IV. S. Maria Magdalena de Pazzis ſæpe noctu ſe proripiebat è lecto, & ibat ad SS. Sacramentum, ibique proſtrata in terra amarè deflebat DEI offenſas, & petebat ſalutem animarum, præſertim Bacchanaliorum tempore, quo DEUS magis offenditur, quo & augebat pœnitentias & preces pro peccatoribus, aliasque Moniales ad hoc excitabat.

Manſil. diſc. 13. n. 4. V. S. Catharina Senenſis toto hoc durante Bacchanalium tempore, pro majori parte noctis in profunda oratione abſorpta erat; dato autem ſigno, quo aliæ ſorores ad Matutinũ decantandum accerſebantur, ipſa licentiam ſibi à Deo dari poſtulabat, ut per modicam quietem membra corporis nonnihil reſtaurare poſſet, hoc enim commodiori tempore fieri non poſſe credebat, quàm illo tempore & hora, quo multi diverſorum ordinum religioſi & religioſæ Deum pſallendo in cordibus ſuis laudabant.

Chron. S. Franc. p. 3. l. 6. c. 35. VI. In Chronicis S. Franciſci de quodam Patre F. Michaële de Barea magnæ ſanctitatis viro legitur, quòd tantam peccatorum, quæ hiſce diebus liberè committuntur, habuerit diſplicentiam, ut ad locum, ubi mulieres ad tripudia, & choreas inſtituendas congregatæ erant, accedens, unamquamque illarum ſeorſim his verbis fuerit obteſtatus: Quòd ſi mihi, O benedicta filia, promiſeris, quòd ex puro amore Dei illum per hæc tripudia, & alia hujus temporis peccata offendere nolis; viciſſim ſanctè tibi polliceor, quòd de toto hoc anno Deo per orationes ſpecialiſſimè recommendabo; hiſque promiſſis, plurimas illarum à vanitatibus illis frequenter abſtraxit. Accidit quoque, quòd hiſce diebus locum quendam, qui caligarum dicitur, ubi varii prophani luſus exercebantur, accedens, in medio ludentium tanto cum fervore in dictorum ludorum deteſtationem prædicaverit, ut multos præſentium non ſolùm pro illo anno, ſed & pro aliis ſequentibus à ſimilibus luſibus ſæcularibus deterruerit.

Vit. S. Ludvv. VII. In vita S. Ludvvinæ Virginis legitur, quòd dum hæc pientiſſima Virgo, inſtar Jobi ulceribus pleni & afflicti, variis morbis excruciaretur, audito ingenti quodam diſſolutorum hominum ſtrepitu in plateis hoc Bacchanalium tempore excitato, poſtquàm de cauſa illius ſibi adſtantes domeſticos interrogâſſet, eidem reſponſum fuerit, hoſce clamores à nonnullis conſuetis recreationibus operam dantibus excitari; quod ipſa audiens zelo reparandi honoris cœleſtis ſponſi ſui, qui illis prophanis diebus conculcabatur, mota, eundem ſponſum ſuum enixè rogavit, ut pro diluendis prophanorum iſtorum hominum offenſis, afflictum corpuſculum ſuum novo quodam & vehementi morbi genere dignaretur exercere, & ecce ſubitò graviſſimâ quâdam infirmitate correpta fuit, quæ acerrimos ei accerſivit dolores, qui per totam Quadrageſimam usque ad Paſcha Reſurrectionis ſine ulla intermiſſione continuârunt.

Vit. l. 5. c. 14. VIII. S. Gertrudis, quia Sabbatho Bacchanalium tota in Deum abſorpta, ab omni ſe applicatione exteriori ſequeſtrabat, ideo Deus illam

ſum-

ſumma cum benignitate in ſinum ſuum recepit, ubi tantâ cœleſtium conſolationum abundantiâ fruebatur, ut ſibi planè videretur, quòd ſimul cum Domino ſuo de omnibus cœli terræque Regnis liberè diſponere poſſet: Ad hæc cœleſtis ejus ſponſus dixit ei: O Dilecta mea tu hodie facta es protectrix mea, ita enim tibi perſuaſum & decretum eſſe ſcio; quòd ſi ſana eſſes, libenter pro me laboratura eſſes, ut ſecurus efficerer ab iis injuriis, quibus hoc tempore ſpecialiſſimè offendor, ac proindè cùm hodie paſſim ab omnibus repellar, ad te veni, ut meam in te quietem habeam.

Ibidem. IX. Eidem virgini Chriſtus Redemptor noſter in Dominica Quinquageſimæ eodem modo & forma apparuiſſe legitur, in qua flagellatus, & inter duos lictores circumductus fuit, quorum unus ſpinis caput ejus cingere, & doloroſiſſimè pungere videbatur; Cúmque S. Virgo funeſtum hoc & lacrymabile ſpectaculum memoriâ ſuâ circumferens, ad amarum fletum incitata, ſtagnantibus præ lacrymis oculis eum ſciſcitata fuiſſet, an aliquis hunc ejus dolorem mitigandi modus excogitari poſſet, Chriſtus cœleſtis ſponſus ejus ei reſpondit: Quòd ſi quis amaram paſſionem meam devoto & amoris pleno corde ad mentem ſeriò revocaverit, ſeque exinde in corde ſuo compungi ſentiens, pro peccatoribus Deum precatus fuerit, is utique ſuaviſſimum afflicto cordi meo emplaſtrum conficiet, quo mediante dolor hic meus mitigari, & lenior ac tolerabilior fieri poſſit.

Damnum.

Annales Eccl. Anno 1352. n. 31. X. Annales Eccleſiaſtici de Epiſcopo quodam referunt, quòd is, quia Joannis nomine inſignitus erat, in feſto S. Joannis Evangeliſtæ, multas fœminas nobiles ad tripudiandum invitare conſueverit, cumque ipſe in medio illarum dieuchoreas velut choragus duxiſſet, repentè cadens miſerabili morte expiravit, mortuus non ut Epiſcopus, non ut Sacerdos, ſed veluti hiſtrio; mortuus non in atrio, ſed in theatro; non in loco ſacro, ſed prophano; non in Eccleſia, ſed chorea.

Num. 25. XI. Cùm Bacchi (qui Num. 25. Beelphegor nominatur) feſtum celebrarent, & cum Filiabus Moab fornicarentur Iſraëlitæ, præcipit DEUS Moyſi, ut tolleret cunctos Principes Populi, & contra Solem in patibulis ſuſpenderet, & præterea unusquisque occideret Proximos ſuos, qui Beelphegor initiati ſunt.

Exod. 32. XII. Cùm Populus Iſraëliticus ſediſſet manducare & bibere, & ſurrexiſſet ludere, mandatum eſt Moyſi, ut occidat unusquisque Fratrem, & Proximum, & Amicum ſuum, ſicque viginti tria milla hominum occiſa ſunt.

Fab. conc. 4. in Quinquag. XIII. Dum Carolus VI. Rex Galliæ in nuptiis Nobilis cujusdam, leonis veſtem & larvam cum aliis quinque aſſumpſiſſet, ſaltibusque jucundè, ſpectante totâ aulâ, vacaret, Ludovicus Aurelianenſis Regis Frater ſtudio clariùs videndi correptam faeem admovens, & Regem, & ſocios ita accendit, ut quatuor miſerè ſtatim perirent, unus in cellam properans, & aquæ vinoque ſe immergens ſervaretur, Rex ipſe uxoris Biturigis caudatâ veſte involutus difficulter ab interitu vindicaretur.

XIV. In Germania anno 1570. cùm Comites aliquot Hohenloenſes Eberhardum Conſanguineum ſuum in arce Waldenberga viſitaſſent, &, ut Bacchanalium tempus invitabat, Faunorum Perſonis & veſtibus aſſumptis ſpectaculum jucundum Matronis facere voluiſſent, ex aleis, quibus Hopites ad luſum incitabant, una in terram cecidit, quàm, dum puer perſonatus attollere conatur, funalis incautiùs adhibiti flammam concipit, cui, dum Eberhardus ſuccurrere parat, etiam ipſe, ac paulò poſt & ſocii juvare volentes flammâ corripiuntur. Concurritur ergo ad labrum vicinum, quod Comes in hunc eventum aquâ impleri juſſerat; at illud jam exaruerat. Alius, qui vas plenum aquâ attulerat, in ipſo limine offendens concidit, aquamque effudit: alterius aquam ferentis cadus fatiſcens, auxilii deſperatione calamitatem auxit. Sic ergo intra tres horas tres Comites miſerè exuſtulati perierunt. *Ibid.*

XV. Quidam, ut tempore Bacchanalium liberius inſaniret, Pictorem, qui faciem ei perſonatam pingeret, vocari juſſit. Sed Pictor aquis tantùm coloratis eum illinebat potiùs, quàm pingebat. Unde is Perſonatum ſe putans, cùm plurimas ineptias peregiſſet, omnium ludibrio ſe expoſuit, & magno tandem cum dolore fraudem Pictoris agnovit. *Ib. conc. 5.*

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. POliverius Manaræus, dum Laureti degens intelligeret, tempore Bacchanaliorum comœdiam publicam & infamem apparari, & fruſtra aliis mediis impedire conatus eſſet, orationem quadraginta horarum in Sacello Lauretano magnifice ad hunc finem adornato inſtituit, ſicque omnes homines à comœdia abſtraxit, atque ad celebritatem ſacræ ædis attraxit. *Barry in devot. antecin. c. 7.*

II. Gandiæ pridie Cinerum ſex è noſtris, vertice ac pedibus nudi, longo fune à cervicibus pendente, duo etiam flagellis terga cruentantes, cæteri cum cruce & calvaria in manibus, concionabundi celeberrimas urbis vias obivere. *Imago 1. ſæc. l. 3. c. 9.*

III. Anno 1653. Bononiæ, feriâ quintâ pinguiore, Sodales propè quingenti, facie horridi, quinque partitam aciem inſtruxêre: præibant in primo agmine centum ſub crucis vexillo, trabali cruce onuſti. Secunda centuria mortis Calvarias portabat. Tertia ſub extremi judicii ſignis proceſſit. Quarta ſub inferni labaro flammeis ſaccis ardens & minax. Quintam Beatorum Cœleſtis Archiſtrategus ducebat. Quo ſpectaculo mirè ſpectatores commoverunt, & ad pœnitentiam ac compunctionem incitârunt. *Lit. ann. Venet. 1653.*

IV. Anno 1640. Sodales Parthenii primariæ Congregationis Aſſumptæ Virginis, ut Feriis antecineralibus Populum à profana licentia ad pietatem & devotionem avocarent, novem florenorum millia in extemporaneam tridui ſole- *Imago 1. ſæc. l. c.*

mnitatem expenderunt. Nam molem centum viginti palmis altam, octoginta latam pulcherrimis statuis, imaginibus, historiis, emblematis adstuporem exornârunt, & quatuor mille luminibus illustrârunt, ubi res divina solemnissimè ab Archiepiscopo Rodiensi, præsentibus septendecim Cardinalibus, & omnibus propè Romanæ Curiæ Prælatis, Principumque oratoribus celebrata, magnoque Populi concursu per totum triduum facta fuit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Fuga.

Anonym. I. SIcut morigeri Filii, dum patrem à Fratribus vehementer irritatum advertunt, diligenter cavent, ne aliquid committant, quo Patrem ampliùs offendant; ita boni Christiani, dum tempore Bacchanaliorum vident, Patrem cœlestem gravissimis peccatis ad justissimam iram concitatum, sedulò ab ulterioribus offensis abstinent, & potiùs pro se & Fratribus placare piis obsequiis & precibus studeant.

l. 4. in fin. c. 16. II. Sicut à quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in adversitate, quàm in prosperitate; sic & ego (dicebat Christus ad S. Gertrudem) magis accepto fidelitatem illam; quæ mihi hoc tempore (Bacchanaliorum) exhibetur, quo mundus plùs peccando me infestat.

Stapl. text. 1. in Quinquag. III. Sicut Mulier videns Filios suos cum Occisoribus Patris sui fœdera pepigisse, ludere, convivari &c. subuculam viri sui sanguine conspersam profert, ut eâ ostensâ Filios à consortio Homicidarum abstineat; ita Ecclesia hoc tempore Bacchanaliorum Passionem Christi in Evangelio proponit, ut per ejus considerationem à peccatis absterreat homines.

Ibid. IV. Sicut meritò reprehendimus eos homines, qui equos conductitios, quando finis itineris appropinquat, tam improbè agitant, & vexant, ut ad longum tempus inutiles existant; ita non minùs carpendi sunt, qui ita per Bacchanalia gulæ & ebrietatis peccatis se onerant, ac gravant, ut postea ad quadragesimale jejunium ac pœnitentiam inhabiles existant.

§. VII.

Motiva.

Manst Tr. 9. disc. 1. n. 3. I. *QUia Bacchanalia sunt contra finem ab Ecclesia intentum*; uti Josephus Manst ostendit, sic discurrens: Inter cæteros, qui in hunc mundum irrepserunt, errores, unus hic est, quòd, quia paulò pòst in decursu Quadragesimæ, jejuniis, mortificationi, pœnitentiæ & solitudini nobis vacandum est, ideo hoc tempus, Quadragesimale jejunium immediatè præcedens, recreationibus, ludis, spectaculis, choreis, comessationibus, aliisque similibus dissolutionibus & vanitatibus jure merito transigendum esse censeatur. Hoc autem falsum est, quia in Dominica Septuagesimæ, in qua mundani Bac- [illegible] celebrandis se accingere solent, Sancta Mater Ecclesia longè contrarium nos docet, dum ita canit: *circumdederunt me gemitus mortis &c.* Unde venerab. Ivo Carnotensis in sermone de Septuagesima ita scribit: Sub typo universi temporis commendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum, & canticorum, casum humani generis recolimus, ut mortalitatis nostræ dolores attendentes, quotidie doleamus; Unde in Introitu hodiernæ Missæ, Sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse, deplorat.

II. *Quia stulta est eorundem Bacchanalium celebratio, si peccatis sit conjuncta*; quid enim, inquit idem Author, de sapienti quodam viro diceres, qui se lavare & mundare volens, priùs manus & faciem, ac totum corpus atramento totaliter defœdaret, utique rationis & judicii deliquium pati assereres. Et revera ita est; & ideo Bacchanalia nos recto rationis usu destituunt, adeóque hoc tempore verè stultorum infinitus est numerus. *Idem disc. 3. n. 4.*

III. *Quia Diabolicum inventum sunt*; uti S. Chrysostomus indicavit, dicens: Non est hoc eorum, qui ad æternum Regnum vocati sunt, quique sunt in cœlesti illa civitate conscripti, non est spiritualia arma gestantium, quod certè proprium est Diabolo militantium, ille enim est ille, qui etiam in artem jocos ludosque digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos redderet molliores; propterea in urbibus etiam theatra construxit, & illos risuum ac turpium voluptatum inventores paravit, ut per illorum luem universas prorsus urbes communi peste corrumperet. *S. Chrysost. hom. 6. in Matth.*

§. VIII.

MEDIA

Ad illa eliminanda.

I. *EXempla bona abstinentium*; ita S. Carolus Borromæus suasit, dum dixit: quod exempla bonorum magnam in se efficaciam habeant, ut eos, qui totaliter depravati non sunt, ad ea imitanda invitent; ac proinde eo ipso, quo exercitia spiritualia hisce diebus tractabuntur à bonis, hoc saltem obtenturus sit, ut non omninò mali ad eadem sectanda facilè se induci permittant. *Vit. S. Carolil. 7. c. 7.*

II. *Prædicatio fervens, quâ abusus Bacchanalium perstringatur*; uti iterum idem Sanctus insinuavit dicens: Verbum Dei fœcundum semper fuit & fructuosum, ac proinde nequaquam convenit, ut hisce diebus, quibus Mundus pravis suis exemplis prædicando, homines ad mala sectanda hortatur & invitat, ego à prædicando verbo Dei desistam. Tandem ait: Eo tempore, quo multæ animæ ad interitum properare, Divinæque iracundiæ flagella à populo provocari conspiciuntur, bonus & sollicitus Episcopus ad placandum Deum, eumque ad compassionem erga peccatores promovendum, ad orationem & pœnitentiam unà cum bonis confugere arctè obligatur. Hinc S. Chrysologus tam seriò dehortatur; si quæ sunt viscera pietatis *Ibidem.* *S. Chrysol. ser. 155.*

tis nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si qua nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos, qui sic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad Tartara, festini sunt in gehennam.

S. Aug. in ps. 50. III. *Oratio seria*, uti Sanctus Augustinus monuit, dicens: Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, & affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda.

S. Ambros. s. 11. IV. *Passionis Dominicæ consideratio*; quemadmodum S. Ambrosius monuit, inquiens: Non corporalibus vinculis, ut Ulysses, ad arborem alligandus est animus, sed ad Crucis signum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lascivarum moveatur illecebris, cursúmque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. Quod ipsum *Orig. in c. 6. ad Rom.* etiam Origenes confirmans dixit: Certum est, quia, ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum; Est enim tanta vis Crucis Christi, ut, si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.

Sylva Hist. l. 7. c. 1. n. 5. V. *Cœlestium gaudiorum consideratio*, uti puella illa experta est, quæ choreis semper valdè addicta fuerat, adeó ut illas frequentissimè adire desideraret, si idei à parentibus concessum fuisset, tandem hanc suam in choreas propensionem Confessario manifestavit, qui illam interrogavit: Quid si chorearum voluptas per integrum annum quotidiè continuanda promitteretur, cum ea tamen conditione, ut unicâ tantùm die ab illis adeundis abstinendo te mortificares, nunquid hanc acceptares conditionem? Cui cùm illa, omninò se hanc conditionem libenter admissuram esse, respondisset, subjunxit Confessarius: Scito igitur, quòd, si te hisce tripudiis, quæ in terris instituuntur, voluntariè ex mortificatione uno tantum die privaveris, perpetuis Paradisi Choreis semper & in æternum interesse & assistere poteris. Ad quod illa subintulit, quòd si ita res se habet, ut asseris, libentissimè tripudiis terrenis in perpetuum renuntiabo; Ac proinde Confessarius, ut illam choreas ac tripudia contemnere doceret, hortatus est, ut verba illa Jeremiæ frequenti meditatione intra se ruminaret: *Ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*; Item ut illa Davidis verba penes se ponderaret, dicentis: *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum*; nec non verba illa ex hymno Virginum: *Quocunque pergis, Virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes curritant, hymnósque dulces personant*; quæ dum hosce Paradisi cantus melodicos, choreas, & gaudia seriâ meditatione aliquandiu in mente sua revolvisset, suam in brevi tempore animam prorsus immaculatam in cœlum moriens transmisit.

§. IX.

Ascetica.

S. August. contra Faustum l. 2. c. 21. I. INprimis nôsse debet Asceta, *quomodo excusationibus Bacchanalia inordinatè celebrantium occurrere debeat*; quòd videlicet illis, qui per Ecclesiæ permissionem dissolutiones Bacchanales exercentes se tuentur, & defendunt, idem respondere possumus, quod S. Augustinus contra Faustum his verbis scribit: Aliud est, quod sustinemus; aliud, quod præcipere jubemur; aliud, quod compellimur; emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.

II. Nôsse debet, *quid de spectaculis & Comœdiis ludicris sentiendum sit*; Nempè quod nihil magis damnosum moribus sit, quàm in spectaculis desidere, tunc enim facilius per voluptatem vitia subrepunt, ut Seneca rectè notavit. Et consentiens Petrarcha, multum, inquit, mali auribus invehitur, sed multò magis oculis, illis quasi feneſtris bipatentibus in animam mors irrumpit, nil potentiùs in memoriam descendit, quàm quod visum subit, facilè auditum prætervolat, conspectarum imagines rerum hærent etiam invitis, nec se tamen nisi volentibus ingerunt, perrarò & perocyus obituræ. Hinc Clemens Alexandrinus, prohibeantur, inquit, spectacula, quæ nequitiâ, verbisque obscœnis & vanis, temerè profusis plena sunt; quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent scurræ & histriones? Qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. *Seneca ep. 7. Petrarcha c. 30. de remed.* *S. Clement. l. 6. Pad. c. 12.*

III. Nôsse debet, *quid de larvis sentiendum sit*; de quibus sensum suum S. Carolus Borromæus sequentibus verbis expressit: Proscriptæ sunto in perpetuum omnes larvæ, per quas homines figuram, quam Deus illis indidit, non solùm transformare, sed & delere student; imò per quas aliqui in turpi illa stultitia eo usque progrediuntur, ut antiquas, in bestias se transformandi, metamorphoses æmulari videantur; sint etiam præter omnem alium respectum maledictæ & execrandæ larvæ, utpote antiquæ ruinæ nostræ, quam dæmon serpentis larvâ contectus nobis procuravit, nobis refricantes memoriam. Abominabiles larvæ, sub quibus hominibus verba inhonesta eloqui, & in gesta & acta impudicitiæ plena prorumpere, fas esse videtur; sceleratæ larvæ impugnatrices honestatis & pudicitiæ, gravitatis inimicæ, omnisque custodiæ, quam Christiani hominis anima intus forisque habere debet, extrema ruina. *S. Carol. p. 7. Act. Mediol. c. 7.*

IV. Nôsse debet, *quid de choreis judicandum sit*; idem videlicet, quod S. Ambrosius, & S. Franciscus Salesius judicârunt, quorum prior sic discurrit: Ibi intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio; Nemo, ut dixit quidam sæcularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit; quod si juxta sapientiam sæcularem saltationis author est aut temulentia, aut dementia, quid divinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cùm Joannes prænuntius Christi saltatricis optione jugulatus, exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam? Posterior sic locutus est: Choreæ & tripudia naturâ suâ ex se indifferentia sunt: sed hoc exercitium communiter usurpatum, valdè in partem mali *S. Ambros. l. 3. de Virg.* *Salesius in Introduct. p. 3. c. 33.*

mali propendet, & proinde periculi plenum eſt. Quia verò noctu, & in tenebris ac caligine plerumque inſtituuntur, hinc multa opera tenebroſa & vitioſa facilè ſe inſinuant in rem, quæ ex ſe ipſa mali admodum ſuſceptibilis eſt. Illorum causâ vigilatur in multam noctem, unde fit, ut matutinum craſtini diei tempus poſtea depereat, & Deo quis & pietatis exercitiis vacare non poſſit. Verbo ut dicam, ſemper ſtultitia eſt, diem cum nocte, lucem cum tenebris, & opera ſancta cum ineptiis commutare. Omnes, ad invidiam quodammodo & certatim, ſecum vanitatem ad tripudia ferunt: ipſa autem vanitas tam evidens eſt, ad pravos effectus, & periculoſos & illaudabiles amores colligendos diſpoſitio, ut hæc omnia facilè ſit è tripudiis oriri. Hoc tibi Philothea de choreis dico, quod de fungis Medicorum filii. Nam ut hi fungos optimos nihil valere ajunt, ſic ego dico, optima tripudia non admodum eſſe bona: ſi tamen fungis tibi veſcendum ſit, vide, ut benè præparentur, & condiantur; ſi aliqua ex cauſa, à qua te non facilè queas excuſare, tripudia te adire oporteat, vide ut tripudia tua benè ſint condita & præparata. At quomodo, petes, illa condiam? modeſtiâ, dignitate, & bonâ intentione. Comede parùm, & rarò, ajunt Medici loquentes de fungis, nam quantumcunque benè cocti ſunt, copia eorum venenum & virulenta eſt. Parùm & rarò tripudia, Philothea, aliter enim ſi feceris, periculo te exponeſ, ut eisdem affectum applices. Fungi, teſte Plinio, cùm ſpongioſi & poroſi ſint, omnem, quæ ſibi proxima eſt, infectionem & virulentiam facilè attrahunt, ut ſi ſerpentibus vicini ſint, illorum venenum ex vicinitate recipiant. Tripudia, choreæ, & id genus tenebroſa & nocturna conventicula, plerumque vitia & peccata aliquo in loco dominantia (puta jurgia, invidias, irriſiones, & carnales vanósque amores) ad ſe attrahunt. Et ſicuti hæc exercitia corporis illa exercentium poros aperiunt, ita etiam animi illorum: unde ſi virulentus & peſtilens aliquis ſerpens, verbum aliquod laſcivum, aliquam ineptiam, & ſermonem impudicum auribus tunc afflet; vel baſiliſcus quispiam impudicos intuitus, & amoroſos oculorum nutus conjiciat, facili negotio animi occupantur, & intoxicantur. Unde meritò Petrarcha dixit, choream eſſe Veneris præludium, libidinum ſtimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces. Pro quorum confirmatione proderit referre, quod in vita Jo. Baptiſtæ Vitelli de Fulginio refertur, quòd ſcilicet, dum civitas Fulginienſis pro Bacchanalibus ſolenniter celebrandis magnos ſumptuoſóſque apparatus faceret, ipſe ad illa impedienda ferventem inſtituerit orationem, ad quam unà cum ipſo faciendam aliam quandam animam valde ſanctam invitaverat, quæ, dum oraret, in ſpiritu elevata vidit in principio Choreæ per aulam ſaltantia ſeptem dæmoniorum capita, quæ tam viris, quàm mulieribus, dictis tripudiis operam dantibus, omnigenas ſuggerebant malas cogitationes, quæ illos vel maximè à Deo elongare, & vitiis tenaciùs irretire poterant. Hi quoque dæmones in medio ipſorum ſpiritus rixarum & homicidiorum immiſerant: At verò, quia inter hæc omnia tantò ferventiùs orationi inſiſtebat, vidit, quòd in eodem momento, quo choreæ inchoabantur, Angelus quidam de cœlo deſcenderet, qui ſtricto gladio, quem in manibus gerebat, dæmones in fugam agebat, ſimúlque tibicinum inſtrumenta minutim confringebat; Unde corruente theatro omnia in confuſionem converſa fuerunt; Ex quo facto dæmonem chorearum & tripudiorum originem, authorem, & promotorem eſſe, clarè ſatis colligitur.

Vit. l. 2. c. 9.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Domine, ut videam*: poteſt oſtendi fraus Dæmonis, quâ hoc tempore decipere ſolet; eum in finem narrari poteſt hiſtoria ſupra §. 4. indicata de Pictore, qui Perſonam affingere vultui juſſus, non niſi aquâ coloratâ falſas lineas duxit. Huic ergo Pictori ſimilis Diabolus dicatur, qui & ipſe falſas lineas ducit, id eſt, falſa axiomata & principia hoc tempore dictat, qualia ſunt: 1. Nemo nos agnoſcit. 2. Hoc tempore omnia licent. 3. In Quadrageſima velut tempore pœnitentiæ omnia peccata facilè expiari poſſunt. Quorum proin dogmatum falſitas paulò fuſiùs oſtendatur. *Luc. 18. v. 41.*

II. Ex occaſione thematis: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*: poteſt oſtendi, quomodo Paſſio Chriſti hoc tempore renovetur. Et 1. quidem, quomodo agonia renovetur, offerendo illi calicem amarum per immoderatas compotationes. 2. Quomodo iterum flagelletur per denudationes corporum, & vitia luxuriæ. 3. Quomodo coronetur per aſſumptionem larvarum hominibus illudendo. 4. Quomodo crux gravis ei per peccatorum hoc tempore commiſſorum onus imponatur. 5. Quomodo omnino crucifigatur contrahendo conſuetudinem in iſtis peccatis & emendationem ſibi ac pœnitentiam quaſi impoſſibilem efficiendo. Introducatur proin Chriſtus illis S. Bernardi verbis Auditores alloquens: Nonne ſatis propter te vulneratus ſum? numquid pro iniquitate tua afflictus ſum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Pro qua materia videri poteſt Henricus Engelgrav. in Cœlo Empyreo. *Ibid.* *S. Bern. in quod. ſerm.*

III. Ex occaſione thematis: *Stultorum infinitus eſt numerus*: poteſt dicere Concionator, infinitum quidem eſſe numerum ſtultorum larvatorum per plateas diſcurrentium, ſed multò majorem eſſe numerum occultorum ſtultorum, qui, cùm videantur ſapientes, revera tamen ſtultiſſimi ſint, quorum proin aliquos breviter ſe producturum, larvasque detracturum, ut vel pudore obruti deinceps à tali ſtultitia abſtineant. Fingatur ergo ſapientem quendã audiviſſe de quodam loco & urbe, quòd ſtultis abundet, pro- *Eccl. 1. v. 15.*

proinde illuc iter ſuſcepiſſe, ut ſapientiâ ſuâ illos corrigere, & erudire poſſet. 1. autem obvium habuiſſe Nuntium vehementer feſtinantem, ſed, cùm quæſitus fuiſſet, quò tenderet? reſpondentem, ſe non quæſiviſſe, quò ire debeat? redituram itaque & quæſiturum. Per hunc Nuntium dicat ſignificari eos Chriſtianos, qui magnum ætatis ſpatium in hoc mundo confecerunt, nec tamen unquam indagarunt, cur creati ſint? cur in hunc mundum miſſi? Oſtendatur proin, quomodo hanc ſtultitiam corrigere debeant, id quod in poſterioribus quoque ſtultis obſervandum. 2. Obvium habuiſſe Adoleſcentem generoſo & petulanti equo inſidentem, & ſarcinam gravem propriis humeris portantem, qui quæſitus, cur non equi tergo ſarcinam imponat? reſpondit, timere ſe, ne equus nimiùm prægravetur. Significat eos, qui, ne corpus, velut equum animæ caſtigare, aut appetitas delicias negare illi cogantur, animæ ſarcinam peccati imponere non verentur, non conſiderantes, quòd hoc onus nihilominus & corpus premat, & omnino in infernum depreſſurum ſit. 3. Obvios habuiſſe Juvenes per avia & devia in curru vectos, & cum curru perpetuo everſos; quos, cùm accedens advertiſſet, cæcum aurigam habere, & cauſam hujus cæci electi quæſiſſet, reſponderunt, ſed ideo eum elegiſſe, ut liberiùs per avia & devia vehi poſſent (quod ipſos ſummè delectaret) etſi verò hoc modo ſæpe cum curru caderent, & vulnera gravia acciperent, habere tamen ſe bonos chirurgos, qui curarent. Significant eos, qui memoriam præſentiæ DEI deponunt, ut liberiùs viam mandatorum declinent; vulnera peccati verò non curant, eò quòd Confeſſarios ſufficientes habeant. 4. Obvium habuiſſe Gigantem, tenui filo à formoſa & tenella Muliercula ad carnificem tractum, qui quæſitus, cur non abrumperet filum, & ſe à periculo mortis liberaret; reſpondit: non poſſum. Significat eos, qui à voluptate ad interitum trahuntur, & ad eandem repellendam excitati reſpondent, ſe filum conſuetudinis rumpere non poſſe. 5. Urbem ipſam ingreſſum, vidiſſe muros deſtructos, cujus deſtructionis cauſam cùm quæſiiſſet, reſponſum eſt, id factum juſſu Magiſtratûs, eò quòd difficile nimis eſſet muros conſervare. Magiſtratum autem hunc conſtare centum Senatoribus, & hanc conſuetudinem habere, ut, quod ultimus & maximè juvenis Senator faciendum diceret, hoc ratum, licet omnes reliqui contradicerent, habeatur. Significant, qui Mandata DEI gravia nimis æſtimantes, violando deſtruunt, eò quòd Amor proprius, nequicquam DEO, Sanctis, ratione contrarium ſuadentibus, ſic ſuaſerit. 6. Ulterius progreſſum vidiſſe duos cum oblonga trabe domum ingredi volentes, ſed quia nullus alteri præceſſionis honorem concedere volebat, ab eadem excluſos. Significat eos, qui ex ambitione primatum ubique affectantes, malunt cœlo excludi, quàm alteri cedere. 7. Ingreſſum hoſpitium vidiſſe Famulos & Ancillas ſplendidiſſimè veſtitos & paſtos, Hoſpitem ipſum cum Uxore laceris veſtibus indutos, & vix mucido pane refectos. Significat eos, qui omnem curam in ornandum & recreandum corpus impendunt, nullâ animæ ratione habita. 8. Cum Hoſpite cellam ingreſſum vidiſſe Cellarium in terra jacentem, & aſpicientem, quomodo vinum nobiliſſimum aperto epiſtomio in terram effluat, & ridentem eos, qui ad claudendum epiſtomium hortabantur. Significat eos, qui tempus nobiliſſimum ſine fructu perire ſinunt, fruſtra admoniti, ut modico labore illud conſervare ſtudeant. 9. Urbe egreſſum vidiſſe imaginem fœdiſſimam, & membris ſine omni proportione pictis conſtantem, ante ædes Pictoris proſtare; ubi, cùm quæreret, qualis Pictor ibi habitaret? reſponſum eſt eſſe hujus propoſiti, ut in pingendis imaginibus non artis ſuæ dictamina, ſed vulgi judicium ſequatur; hinc ob diverſitatem judiciorum tam fœdas imagines prodire. Significat eos, qui hominibus placere cupientes, illorum potiùs judicio, quàm rationis dictamini, & Sanctorum, Chriſtique exemplis actiones ſuas conformare ſtudent. 10. Macellum prætergreſſum vidiſſe Lanionem cultro ſibi digitum abſcindentem, cauſamque quæſitum reſpondiſſe, accepiſſe ſe ex caſu fortuito modicum vulnus in digito, ideoque ut juſtiorem habeat cauſam Chirurgum vocandi, voluiſſe omnino digitum abſcindere. Significat eos, qui commiſſo uno peccato, plura admittunt, ut copioſiorem habeant confeſſionis materiam, & eâdem operâ ſingula confiteantur. 11. Ulteriùs progreſſum vidiſſe duos ſibi ultro pedes porrigentes, & gladio abſcindentes, & cùm cauſam facti quærerentur, reſpondentes, pro Philippei lucro ortum inter illos certamen eſſe, quis meliorem gladium haberet? & ideo in pedum abſciſſione probare eos voluiſſe. Significat eos, qui ut ſuas & militum ſuorum vires, animosque oſtendant, bella ſuſcipere, & plurima utiliſſimaque membra à Republica abſcindere non verentur. 12. Denique vidiſſe turbam cum magno furore tela in aëra rectà ſurſum jacientem, iterumque in ſua capita non ſine gravi læſione recipientem, eo quod de Sole, qui æſtu fruges impediiſſet, vindicare ſe voluerint. Significat eos, qui ob infortunia exorta de DEO per blaſphemias & maledicta, & murmurationes ulciſci ſe volunt, faciuntque, ut omnia hæc tela iterum in capita eorum recidentia, duplicatum damnum inferant.

Nota ex his ſtultitiis tres conciones fieri poſſe, ita ut in prima Stulti, quos ante urbem: in ſecunda, quos intra urbem: in tertia, quos urbe egreſſus invenerit, explicentur.

IV. Ex occaſione thematis: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*: narrari poteſt, quod S. Gertrudis, ut ſupra §. 4. dictũ eſt, viderit Chriſtum tempore Bacchanaliorum ad ſimilitudinem languentis & infirmi ſuper ipſius pectus recumbere; quo viſo ſignificare videtur voluiſſe, quod hoc tempore cupiat à dilectis ſuis Amicis velut infirmus tractari. Et 1. quidẽ Medicinam confeſſionis ſalutaris accipere. 2. Cibo gratiſſimo ſui SS. Corporis refici. 3. Blandiſſimo alloquio orationis ferventis recreari. 4. In lectulo molliſſimo contriti, & in omne Dei beneplacitum reſignati animi collocari. Quæ omnia paulo fuſiùs explicari poſſunt, ſimul oſtendendo, quã grata Chriſto hæc obſequia ſint futura. *Cant. 2. v. 5.*

Luca 18. v. 41. V. Ex occasione thematis: *Domine, ut videam*, dici potest, rectè hoc tempore Evangelium hoc de cæco curato legi, quia nihil magis nunc necessarium est, quàm ut homines videant, 1. quidem *Vanitatem* gaudiorum, quæ sectantur, & de quibus olim cum Salomone dicent: Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole. Ita vanitatem agnovit fructuosè, qui, cùm post diem totum inter epulas aliaque gaudia traductum, noctu nihil aliud sibi, quàm oneratum corpus & animam, relictam adverteret, resipuit, & Religionem ingressus, meliora & veriora gaudia quærere statuit. 2. *Stultitiam*, quæ nunc committitur, dum omni licentiæ frenum permittitur, ut postea pœnitentia agatur; quis enim seipsum fœdat, aut vulnerat propterea, ut occasionem habeat se lavandi, aut curari possit? 3. *infelicitatem* ob damna secuta in opibus, famâ, pace, virtutibus, meritis, gratiâ, & gloriâ, ut meritò quidam dixerit, ejusmodi voluptates similes esse pomo à Fenella Regina præparato, quod qui tangebat, à telis erumpentibus petebatur, & occidebatur.

Eccles. 2. v. 11.

§. XI.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Fuga.

S. Bernardinus to. 1. ser. 41. a. 2. c. 4.

I. MEmorabile factum est, quod à pluribus Classicis & Authenticis Scriptoribus, nominatim verò à S. Bernardino, de Senis refertur. Hic enim postquàm quæsisset; Vis nôsse hanc distinctionem filiorum Dei, & diaboli? Mox subdit: audi exemplum. Vir quidam uxorem cum tribus filiis habebat, quos veros & legitimos filios suos esse hactenus semper existimabat, donec tandem aliquando conjux ejus adultera suam erga maritum bilem emovere volens, apertè diceret, quòd ex tribus illis filiis, quos maritus suos esse hactenus crediderat, duos ex habito cum aliis viris commercio genuisset; cumque maritus eam instanter, uter ex tribus illis verus suus & naturalis filius esset, interrogâsset, illa hanc ei notitiam dare pertinaciter renuit, & paulò post, absque eo, quòd filium legitimum manifestaret, mortua fuit; Maritus verò paulo post etiam infirmatus testamentum condidit, in quo illum hæredem suum futurum esse declaravit, qui ex tribus illis verus, legitimus & naturalis filius ejus esse probaretur, absque specifica illius nominatione. Post mortem vero hujus singuli hæreditatem tanquàm veri filii adire contendentes ad judicem concurrerunt, qui ad imitationem Regis Salomonis, ad discernendum, uter illorum verus filius esset, hoc medium excogitavit: Præcepit enim eorum Patrem ad arborem alligari, & quod quilibet eorum fratrum sagittâ impeteret Patrem, ut noscere posset ex jactu, quis verus filius ejus esset; fuit forte memor iste prudentiæ Salomonis 3. Reg. 3. de meretricibus coram eo contendentibus, tam mirabiliter ex vinculo amoris naturalis veritatem conjecturantis, & justissimè judicantis. Primus illorum fratrum sagittam jacit rectissimè, quantùm sapuit, in cadaver Patris defuncti; Secundus toto conamine nititur superare primum; cùm ad tertium pervenitur, concutiuntur viscera ejus, titubare incepit animus ejus, & contremuit, negat natura filii vulnerare propriam carnem Patris, horret facinus, patet vulnus, stupet Spiritus, & demum ipsius naturæ vinculo tractus, prælegit potiùs pro hæreditate Patris naturalem dilectionem, quàm ejus substantiam temporalem, aitque Judici: Date hæreditatem, cui dare licet, quia potiùs eligo eam amittere, quàm meum licet mortuum vulnerare Patrem. Nescitur rei veritas, palàm fit per naturam, quod absconditum erat per culpam, manifestatur hic esse filius verus, & tota hereditas ejus in manibus relaxatur. Enim verò quis nostrum est, qui non videat, Salvatorem nostrum hisce diebus vehementiùs, quàm aliàs, lamentari posse de fidelibus suis dicendo: *Posuerunt me quasi signum ad sagittam*; Etenim corpus & sanguis Christi in trunco crucis publicè expositus esse cernitur, Sancta quoque Mater Ecclesia eos, qui veri filii, & ad cœlestem hæreditatem adeundam prædestinati sint, explorare nititur; Quotquot igitur hisce diebus gaudiis & recreationibus suis ex vero Dei amore se privant, hi veri fideles sunt. E contra verò: *ecce peccatores paraverunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent*, quia qui hisce diebus appetitibus suis inordinatis omnem libertatem indulgent, qui peccatorum suorum jacula sine ullo filiali respectu, aut reverentia in pectus Christi figunt, hi infallibile in se signum edunt, è quo agnosci possit, quod filii sint adulteri & spurii; Non sic anima illa electa fecit, de qua dicitur: *Arcum conteret, & confringet arma.* Hi igitur cœli veri declarabuntur hæredes.

Mansi dise. 18. n. 8.

II. Si pictor aliquis virum doloribus plenum delineare volens, caput illius exprimeret, spinis & tribulis undequaque cinctum, cujus capilli livido sanguine rigentes, oculi profundati, vultus pallidus, & sputis defœdatus ac lividus esset, collum verò eboris instar candidum, ac cætera totius corporis membra veste pretiosissimâ auro & gemmis distinctâ amicta depingeret, ipsum vero citharam intra manus illius depictam plectro tangentem, & hilari voce cantantem exprimeret, nunquid pictoris illius stoliditati & imprudentiæ indignareris? Nunquid illum pictorem amentem & delirum esse diceres? utique sic de illo arbitrareris; sed audi, quid Apostolus de nobis Christianis dicat: Imprimis de Christo asserit: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*; sed quænam sunt huic capiti subordinata membra? Nos Christiani membra illius sumus: *An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Quænam igitur est illa stoliditas nostra, quod, cùm sancta Mater Ecclesia Christum caput nostrum nobis exhibeat sanguinem & lachrymas manantem, cum clamore valido, & lacrymis flagellatum, spinis circumdatum, & felle potatum, nos stolidi homines, aliud nihil, quàm voluptates, convivia & gaudia requiramus & cogitemus?

III. Deus olim serpentem æneum, qui Christi Crucifixi figura fuit, in palo quodam erigi jussit, ut omnes, qui ex serpentinis morsibus

accensi

accensi & intoxicati erant, ex hujus ænei serpentis aspectu sanarentur. Serpentes infernales hoc tempore vel maximè igniti, in nostram perniciem venenum suum certatim evomere contendunt, lasciviam nimirum, gulam, prophanitatem larvarum, & similes alias carnalis hominis dissolutiones: quonam verò remedio id obtinebimus, ut ab horum serpentum morsibus venenum prorsus nullum contrahamus, aut contractum protinus in nobis curetur? S. Bernardus ait: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem æneum intuere, & fuge non tam vulnera, quàm ubera crucifixi.

S. Bern. epist. 35.

Manst l. c.

IV. De insigni Dei servo Joanne Baptista de Fulginio, implacabili illo Bacchanalium hoste, refertur, quòd, cùm quidam è germanis fratribus suis his diebus mortuus fuisset, ipse se lætum esse ostenderit, ea præcipuè de causa, ut cadaver illius publicè expositum, multis frœnum illis diebus injiceret, quo à peccatis coërcerentur: sperabat enim, quòd per hoc spectaculum, si non plures, saltem aliquem à peccato aliquo veniali deterrere posset. Sed quænam est proportio inter hominem aliquem naturali morte extinctum, & inter filium Dei propter peccata nostra in crucis infami ligno suspensum? Fratres, exclamabat S. Augustinus, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur.

Turpitudo.

Manst disc. 3. n. 7.

V. Si miles aliquis crastino die cum validò quodam & exercitato inimico suo in duello conflictaturus, hodie eidem arma in manus consignaret, quibuscum adversus ipsum validè decertare posset, quid id ipsum videns de eo diceres? Omnibus nobis evidenter & clarè satis constat, corpus nostrum intra paucos dies jejunio esse macerandum, ut tantò magis efficiatur spiritui subjectum, cur igitur tanta cum industria efficere satagimus, ut spiritui caro prævaleat? Dictio illa, *Carnevale*, quæ Italicè idem, quod Bacchanalia significat, secundùm suam Etymologiam idem significare videtur, quod, *Caro prævaleat*; quod mirum non est, quia nos inimico nostro arma subministramus, adeoque directè operamur contra consilium Apostoli dicentis: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis, Peccato*; Porro convivia, ebrietates, voluptates, & aliæ Bacchanalium dissolutiones arma sunt, quibuscum caro & corpus nostrum adversus spiritum dimicabit.

S. Aug. tr. 9. in l. c. 2.

VI. S. Augustinus Bacchanaliorum gaudia vocare solitus est diaboli sacramenta, quia sicut Sacramenta à Christo instituta sunt ad sanctificandas animas, ita sacramenta diaboli contrarium operantur effectum, siquidem eò solùm tendunt, ut perdant animas, easque gratiâ & amicitiâ Dei privent, per voluptates ab ipso excogitatas, ut conscientias indissolubilibus peccatorum nodis illaqueare possit. Sacramenta, in quantùm sacrificia, iram Dei placant; at verò dœmonis sacramenta, qualia sunt Bacchanalia, eandem semper magis irritant; Sacramenta Christi S. Augustinus portas Paradisi appellat, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur: At verò hæc dœmonis Sacramenta scopuli quidam sunt procurantes nobis præcipitium inferni; cujusmodi sunt larvæ, comœdiæ, spectacula prophana, scurrilitates impudicæ, tripudia, choreæ, crapulæ, ebrietates, & quævis aliæ Bacchanalium turpitudines.

S. Augustin. tr. 120. in Ioan.

VII. Quæstio est moralis, quare in Dominica Quinquagesimæ Sancta Mater Ecclesia facit mentionem de Christi Passione, cùm dicat sapiens: *Omnia tempus habent, tempus flendi &c.* Omne negotium ipsius opportunitatem habet; cùm ergo hodiè sit tempus lætitiæ & exultationis, quare fit mentio de Christi Passione, quæ est flebilis & tristis? Respondetque hic vir sanctus sequentibus verbis: Respondeo, quòd Sancta Mater Ecclesia à Spiritu sancto gubernata & recta sciens excessum & gulositatem filiorum suorum, quam faciunt his tribus diebus in comedendo & bibendo, ideo cogitavit ponere coram filiis Christi Passionem, ut fideles restringantur à gulositate, considerantes, quantum constitit peccatum gulæ primorum parentum, non gallinarum & perdicum, sed unius pomi fructûs, esu commissum, quòd Filius Dei habuit suspendi in patibulo crucis. Et quidem, quod sanctus hic Prædicator de gula dixit, nos quoque aliis dissolutionibus & turpitudinibus Bacchanalibus applicare possumus.

S. Vincent. Ferrer. ser. 1. in Dom. Quinquag.

Damnum.

VIII. Quærunt nonnulli, cur inter tot arborum & plantarum genera ficus potissimùm ab illo Deo, qui præ cunctis aliis virtutibus de mansuetudine gloriatur, dicens: *Discite à me, quia mitis sum*: maledictionem accepit, cur non potiùs pinus, vel ulmus, aut alia quædam arbor inutilis hoc maledictionis fulmine percussa fuit? Idque eo præcipuè tempore, quod fructibus pariendis nequaquam à natura destinatum erat, (non enim erat tempus ficorum) solvit hanc difficultatem S. Bonaventura dicens: Per fici arborem potest intelligi homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur esse secus viam, id est, in via carnis, non in via spiritûs. Per hanc verò viam homo Bacchanaliorum tempore dici potest incedere, ac proinde mirum non est, si Deus super se provocat maledictionem.

S. Bonav. ser. 1. in Dom. 7. post Pentecost.

IX. Cùm Archias Thebarum Tyrannus die quodam in numeroso amicorum se recreantium, & dulciter conversantium agmine constitutus, lætus, festivus & hilaris assisteret, litera quædam ad eum delata est, in qua ipse secreto monebatur, multos in ipsius necem conjuratos hostes eodem in loco ipsi machinari mortem, ac proinde necessum ei esse, ut ab eorum insidiis se cautè subduceret; cùmque literarum bajulus instanter, literas ut aperiret, illarumque seriem attentè perlegeret, sollicitaret, is nihilominùs earum lectionem usque & usque distulit; cùmque ulteriùs literas illas arduum illi significare negotium, ac proinde in mora lectionis magnum subesse periculum, moneretur; Tyrannus respondit: Serva in crastinum; sed gravi mulctâ moram hanc luere coactus fuit; Siquidem mox, ut ab amicis digressus fuit, violentâ hosti-

Manst disc. 9. n. 4.

hoſtium ſuorum manu protinus interemptus occubuit. Quot ſunt, qui hiſce diebus internas à Deo inſpirationes accipiunt, à Prædicatoribus enixè rogantur, monentur ex librorum lectione ſpiritualium, nec non ab optimis moratorum hominum exemplis, ut hiſce diebus à mundi univerſali vanitate ſe ſubducant, qui tamen, tempus adhuc ſufficiens ſupereſſe, reſpondent, quo in imminente Quadrageſimali tempore ſe ab iis ſubtrahere, & bona operari poſſint; nunc tempus eſſe, ut pro communi hominum aliorum more genialiter vivant, quos tamen Deus in Quadrageſima juſto ſuo judicio à mortali quadam infirmitate corripi, vel occaſione inſolentiarum illius temporis inimicitiæ alicujus graviſſimum ſubire periculum, vel per crapulam ſuam totaliter perdere valetudinem, taliaque experiri diſcrimina permittet, ob quæ totâ vitâ ſuâ ſuſpirare, & gemere cogantur.

Idem diſc. 10. n. 7. X. Sardonica herba hanc proprietatem habet, quòd tales in illam deguſtante ſpaſmos cauſet, ut moriens os ſuum eo modo aperiat, & expandat, ut omnibus ridere videatur; quot ſunt hiſce diebus, qui ex hac herba deguſtârunt, id eſt, certi peccati cujusdam, vel diſſolutionis venenum abſorpſerunt, qui tametſi modò rideant, & jucundi ac hilares exiſtant, attamen intra breve tempus ſe mulctandos ac puniendos eſſe pertimeſcunt, aut verò culpæ illius mortalis, quæ illos æternæ mortis reos effecit, gravem interiùs puncturam, & remorſum ſentiunt?

Baron. anno 256. n. 1. XI. In Annalibus Eccleſiaſticis refert Baronius, quòd, dum Gentiles in urbe Neocæſarienſi prophano cuidam feſto celebrando inſiſterent, ingens quædam hominum in confinibus habitantium multitudo eò confluxerit, adeò ut, dum unus alteri præ nimia populi confluentis denſitate cedere vix poſſet, dæmonem, cujus ſolennitates agebantur, ſupplices interpellarint, ut largiorem illis, commodioremque locum indulgeret, altâ voce clamantes: Jupiter fac nobis locum. Quod cùm S. Gregorio Thaumaturgo innotuiſſet, ſubitò ad eos miſit, qui illis futurum eſſe nomine ejus prædicerent, quòd poſt modicum tempus largiorem & capaciorem locum eſſent habituri, imò voto & deſiderio ipſorum longè ampliorem; Unde eodemmet die peſtilentialis quædam illis eſt immiſſa mortalitas, quæ cantus ipſorum in planctus ſubito convertit; tantus enim ex eâdem lue morientium numerus fuit, ut vivi mortuis ſepeliendis minimè ſufficerent, nam quotidiè terribilis coram eis figura ſe ſpectandam præbuit, domus autem, ad quas propiùs accedebat figura iſta, ſine ullo remedio aut juvamine ſubito exanimabantur ab incolentibus illas; Tandem vero ideo ſupplicium iſtud ſibi à Deo immiſſum fuiſſe animadvertentes, qui dæmonem invocaverant, ad Thaumaturgum accurrerunt, qui flagellum iſtud orationum ſuarum efficaciâ protinus amovit, eosque ad Chriſtianam Religionem integerrimè perduxit.

Surius 1. Decembr. XII. Surius in vita S. Eligii refert, quod dum populo ſuo die quadam prædicans eidem, ut à ſaltibus & tripudiis, cunctisque aliis prophanitatibus, à dæmone ad præcipitandas in infernum animas adinventis, abſtineret, perſuadere conaretur, quidam ex eis Epiſcopum ſe ipſorum petulanti levitati opponentem diutiùs ſuſtinere non valentes, de inferenda ei nece inter ſe deliberârint. Quod cùm ſanctus hic Præſul Martyrii patiendi cupidus audiſſet, cum uno tantùm Diacono & duobus Clericis ad eam ſe civitatis partem, ubi hi morabantur, contulit, & medium furibundæ multitudinis pertranſiens, in locum quendam ſublimiorem & elevatum aſcendit, indéque contra choreas, & tripudia mira cum energia prædicans, vanitates dæmonis inſtrumentum & inventiones eſſe dixit: è contra vero furens plebecula variis eum convitiis & injuriis afficiens, mortem ei, niſi deſiſteret, comminabatur, aperte proteſtando, quod his ſe conſuetis recreationibus & ludis nequaquam paterentur privari. Quarè ſanctus hic vir ovium ſuarum emendationem & reſipiſcentiam vehementer deſiderans, Deum enixè rogat, ut ad ſalvandas ipſorum animas dæmones ipſorum corpora obſidere & ingredi permitteret, & ſubito quinquaginta ex illis, qui contra eum conjuraverant, à dæmone fuerunt obſeſſi, qui omnes furioſè ſalire & ſaltare cœperunt, non obſtante, quod alii flexis coram S. Epiſcopo genibus in terram provoluti eum ſupplices rogarint, ut pro infelici illa hominum obſeſſorum multitudine ſuas apud Deum preces & orationes interponeret, quibus ipſe reſpondit, admiranda potiùs & laudanda ab ipſis eſſe juſta Dei judicia, qui in reos juſtis benéque promeritis ſuppliciis ad aliorum exemplum & correctionem animadverteret: Ad tempus illis traditi ſunt, quos amant; ſentiant magiſtros ſuos, quos colunt; Unde hi per annum integrum obſeſſi choreas & tripudia ſua continuârunt, in cujus fine, recurrente die, quo ſaltare cœperant, eosdem aquæ benedictæ aſperſione abſolvit, & à tripudiis abire juſſit.

§. XII.

MISCELLANEA.

I. MAchometanus quidam Legatus ad Chriſtianos miſſus, cùm quæſitum ex eo fuiſſet, quid apud eos notatu dignum vidiſſet? reſpondit, nihil ſibi mirabilius viſum, quàm quod certo tempore per integrum triduum (Bacchanalia intelligebat) omnes propemodum inſanirent, & quarto die, modicâ quantitate cineris capiti impoſitâ ad ſe redirent. *Buſqueck in ſua relat.*

II. Quod olim Seneca ſuis dixit, hoc Chriſtianis non malè accommodatur: His, inquit, maximè diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illas omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum fortitudinis ſuæ capit, ſi ad blanda, & ad luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius eſt, ebrio ac vomitante Populo ſiccum ac ſobrium eſſe: eadem, ſed non eodem modo facere. Licet enim ſine luxuria agere feſtum diem. *Seneca ep. 18.*

III. Nec minus huic tempori quadrant illa S. Chryſologi verba: Erras homo, non ſunt hæc ludicra, ſed crimina. Quis de impietate ludit? de Sacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit riſum? ſatis ſe decipit, qui ſic ſentit. Qui *S. Chryſolog. ſ. 155.*

jocari

jocari voluerit cum Diabolo, non potest gaudere cum Christo. Nemo cum Diabolo jocatur impunè.

Bellarmin. s. 2 0. Dom. IV. Olim, inquit Bellarminus, hoc festum simplex erat, quia homines simpliciter sine larvis ac choreis moderatè & Christianè lætabantur; post brevi evasit semiduplex, & sic tandem crevit, ut etiam duplex primæ classis evaserit, & cum octava celebretur.

Virg. l. 3. Æneid. V. Olim Polyphemo Ulysses titione ardente unum, quem in fronte habebat, oculum extinxit; nunc Bacchus thyrso suo rationis lumen hominibus adimit tempore Bacchanaliorum.

Seneca ep. 94. VI. Sapienter Seneca, magna pars sanitatis est, inquit, hortatores insaniæ reliquisse. Hoc ut esse verum scias, aspice, quantò aliter unusquisque sibi, aliter Populo vivat. Nemo oculis suis lautus est, nec paucorum quidem, & familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator & conscius.

Vir. jo. Aprik. VII. S. Catharina Senensis, quia feriis his antecineralibus se in conclave abdiderat, apparuit ei Christus cum Matre & Angelis, dixitque: Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexa crucem & pœnitentiam, quærens summum & æternum bonum his diebus, dum mundani vacant gulæ & luxuriæ, ideo ego te desponsabo mihi, annuloque digito inserto adoptavit in Sponsam.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius Opusc. 11. c. 21.
II. Matthias Faber conc. 4. 5. & 6. in Domin. Quinquag.
III. Henricus Engelgrav. in Parth. Dominica, & Fer. 2. ac 3. Quinquag. Item p. 2. Lucis Evang. Dom. Quinquag.
IV. Thomas Stapletonus text. 1. in Quinquag.

TITULUS XVI.

BAPTISMUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST remedium, quo homines à peccato originali ac actuali liberantur, & felicitatis æternæ seu gloriæ Hæredes efficiuntur. Quæ definitio omni Baptismo, ut examinanti patebit, convenit.

Divisio.

II. Dividitur in Baptismum *Fluminis*, *Flaminis & Sanguinis*. Baptismus *Fluminis* est novæ legis primum & maximè necessarium Sacramentum, in ablutione corporis exteriore & legitima verborum pronunciatione, juxtà Christi institutum, consistens; uti P. Petrus Canisius definivit. Baptismus *Flaminis* est votum seu desiderium efficax Baptismi Fluminis suscipiendi, cum perfecta contritione conjunctum. De quo S. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani Junioris sic loquitur: Audio, vos dolere, quòd non acceperit Baptismatis Sacramentum; atqui hoc etiam in votis habuit. An non ergo habuit gratiam, quam desideravit? imò habuit, quia popposcit. Baptismus Sanguinis est Martyrium seu effusio sanguinis pro Christo susceptа; de quo S. Clemens sic loquitur: Qui Martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, & quod propter confessionem ex hac vita exeat. Et si Catechumenus sit, recedat ad DEUM lætus; cruciatus enim, quo propter DEUM afficitur, erit ei verior Baptismus; quia is quidem experientiâ ipsâ mortuus commoritur Christo, reliqui verò mystica repræsentatione. Unde & S. Cyprianus, numquid, ait, potest vis Baptismi major aut potior esse, quàm confessio? quàm passio? ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?

Canis. p. 2. §. 1. de Bapt.

S. Clem. l. 5. Apost. const. c. 7.

S. Cyprianus ep. 7.

Cæremoniæ antecedentes Baptismum.

III. Prima est *Patrini seu Susceptoris Assistentia*: qui ideo adhibetur, ut partim Fidejussoris, partim Pædagogi (unde S. Augustinus Fidei Doctorem appellat) partim Patris Spiritualis munere fungatur. Unde S. Augustinus sic tales Patrinos alloquitur: Vos ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui Filios in Baptismate suscepistis, moneo, ut cognoscatis vos Fidejussores apud DEUM extitisse pro illis, quos visi estis de Sacro fonte suscipere, ideoque semper eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, caritatem teneant. Ante omnia symbolum & orationem Dominicam vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de Sacro fonte, ostendite.

S. Aug. in serm. post. Pasch.

IV. Secunda est *nominis impositio*: quâ significatur, baptizatum DEO nomen dare, & catalogo militiæ ejus adscribi debere.

V. Tertia est *Insufflatio in faciem Baptizandi*: tum ut significetur, Sathanam cum contemptu ab illo ejici; tùm ut indicetur, quòd per Baptismum Spiritus Sanctus, velut Spiraculum vitæ, illi insufflетur, & novus homo regeneretur.

VI. Quarta est *Formatio crucis in fronte & pectore*: ut non erubescat nomen Christi crucifixi, sed potiùs amet, & intrepide confiteatur.

VII. Quinta est *benedictio & impositio salis*: ut quemadmodum Origenes loquitur, baptizandus per salem typicum conditus iniquitatis fœtore careat: vel ut promissionis suæ memoriâ se à corruptione peccati præservet: vel ut veram Sapientiam Divinam accipiens, discretione in omnibus utatur.

Origen. hom. 6. in Exech.

VIII. Sexta est *Salivæ ad nares & aures appositio*: ut vocem DEI audire, & bonum odorem pietatis æternæ gustare incipiat,

Cæremoniæ comitantes Baptiſmum.

IX. Septima eſt *Renunciatrix Sathanæ*: de qua S. Ambroſius: Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, repete, quid interrogatus ſis, recognoſce, quid reſponderis. Renunciâſti Diabolo & operibus ejus, mundo, luxuriæ, & voluptatibus ejus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium. Præſentibus Angelis locutus es: non eſt fallere, non negare.

S. Ambroſ. l. 1. de initiandis c. 2.

X. Octava eſt *Unctio baptizandi*: de qua Ivo Carnotenſis, accepiſtis, inquit, & oleum ſanctum in pectore, ut vigeret in corde veſtro Sapientia: Accepiſtis & in humero veſtro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens ſervetur patientia; neque aliquando noverit ſiniſtra veſtra, quid faciat dextra veſtra. Quia verò in humeris vigor conſtat portandi oneris, hujus partis unctione Chriſti Athletæ dedicati eſtis, ut ſciatis, vos ad certamen eſſe vocatos.

Ivo Carnot.

XI. Nona eſt *Trina immerſio vel perfuſio*: cujus rationem reddens S. Gregorius ait: Nos autem, quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignificavimus: & dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimitur.

S. Greg.

Cæremoniæ ſubſequentes Baptiſmum.

XII. Decima eſt *Unctio verticis Chriſmate peracta*, qua ſignificatur, baptizatum nunc verè eſſe Chriſtianum, id eſt, Chriſmate unctum, & unctionem inviſibilem Spiritus Sancti, per quam regalis Sacerdotii Chriſti particeps factus eſt, accepiſſe.

XIII. Undecima eſt, *Veſtis albæ oblatio*: tum ut lætitia interna ſignificetur; tum ut meminerit baptizatus, ſe nunc eſſe candidatum regni cœleſtis, tamque puram deinceps retinere animam debere, quàm pura hæc veſtis eſt, & quàm purus ipſe de fonte exiit. Hinc S. Ambroſius, accepiſti, inquit, veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quòd exueris involucra peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina.

S. Ambr. l. ſupra. c.

XIV. Duodecima eſt *Cerei ardentis in manus traditio*: ut doceatur baptizatus, ſe Fidem, Spem & Caritatem non corde duntaxat, ſed etiam opere profiteri & exercere debere. Hinc S. Gregorius Nazianz. ait: Lampades, quas accendes, illius luminis geſtationum figuram gerunt, cum qua ſplendidæ & virgines animæ ſplendidis fidei lampadibus Chriſto Sponſo obviam prodibimus.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Zach. 13. v. 1. I. IN illa die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem, in ablutionem Peccatoris & menſtruatæ.

Matth. ult. v. 19. II. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

Rom. 6. v. 3. III. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.

Eph. 4. v. 4. IV. Unus DEUS, una Fides, unum baptiſma, DEUS pater omnium.

Zach. 14. v. 8. V. In die illa exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem: medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare noviſſimum: in æſtate & hyeme erunt.

Iſaiæ 12. v. 3. VI. Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.

Thre. 4. v. 7. VII. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores.

Neceſſitas.

Io. 3. v. 5. VIII. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum DEI.

Marc. 16. v. 16. IX. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Utilitas.

Ezech. 47. v. 9. X. Sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ ſerpit, quocunque venerit torrens, vivet.

Ib. 36. v. 25. XI. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis Idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri.

Ioel. 3. v. 18. XII. Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.

Act. 2. v. 38. XIII. Baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti.

ad Tit. 3. v. 5. XIV. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.

Dignitas.

1. Io. 3. v. 1. XV. Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur, & ſimus per baptiſmum, juxta illud S. Joannis: Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri.

Io. 1. v. 12.

§. III.
EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. BAptiſmus eſt, per quem primitias Spiritus accipimus, & principium alterius vitæ, ut ſit nobis regeneratio, & ſigillum, & cuſtodia, & illuminatio.

S. Damaſc. 4. Sent.

II Detrahe verbum ab aqua, quid erit niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur; nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud eſt virtus manens.

S. Aug. ho. 80.

III. Verus Baptiſmus conſtat non tam ablutione corporis, quàm fide cordis, ſicut Apoſtolica doctrina tradidit dicens: Fide mundans corda eorum. Et alibi: Salvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bona interrogatio ad DEUM.

Idem in lib. Sent.

IV. Unum novimus Baptiſma ſalutiferum, quandoquidem una eſt pro mundo mors, & una ex mortuis reſurrectio, quarum figura eſt Baptiſma.

S. Baſil. l. de S. Spir. c. 15.

Neceſ-

Neceſſitas.

S. Aug. l. de bapt. V. Si baptizata eſt caro Chriſti, quæ ſine peccato erat, propter exemplum imitationis, quantò magis baptizanda eſt caro mortis, propter evitandum judicium damnationis?

VI. Confugite ad aquas iſtas; ſolæ enim ſunt, quæ poſſunt vim futuri ignis extinguere. Ad quas qui moratur accedere, conſtat, in eo adhuc Infidelitatis idolum permanere, & ab ipſo prohiberi ad aquas properare, quæ ſalutem conferunt. Sive enim juſtus, ſive ſit injuſtus, Baptiſmus ei per omnia neceſſarius eſt; juſto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio, & regeneretur DEO: injuſto verò, ut peccatorum, quæ geſſit, remiſſio concedatur.

VII. Baptiſmus eſt captivorum, & alieni æris remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, character indeprehenſibilis, cœli iter, regni cœleſtis conciliatio, adoptionis gratia.

Utilitas.

S. Ambroſ. l. de Sacr. VIII. Per aquam baptiſmi tranſitus eſt de terrenis ad cœleſtia. Ideo Paſcha tranſitus dicitur: hîc tranſitus eſt de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hanc aquam tranſit, non moritur, ſed exurgit.

S. Chryſoſt. hom. ad Neoph. IX. Ecce libertatis ſerenitate fruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi: & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & in juſtitiæ ſorte verſantur, qui fuerunt in peccati confuſione. Non enim ſunt tantùm liberi, ſed & ſancti: non tantùm ſancti, ſed & juſti: non ſolùm juſti, ſed & Filii: nec ſolùm Filii, ſed & Hæredes: nec tantùm Hæredes, ſed & Fratres Chriſti: nec tantùm Fratres Chriſti, ſed & cohæredes: non ſolùm cohæredes, ſed & membra: non membra tantùm, ſed & templum, nec tantùm templum, ſed & organum Spiritûs. Vides, quot ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis videtur cœleſtem gratiam tantùm in peccatorum remiſſione conſiſtere, nos autem honores computavimus decem.

Dignitas.

S. Leo ſ. 1. de Nativ. X. Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.

§. IV.
EXEMPLA.

Qualitas.

S. Ambr. l. 2. in Luc. c. ult. I. CHriſtus, teſte S. Ambroſio, baptizatus eſt, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis vim haberent.

Act. 8. v. 36. II. Cum Philippus Eunuchum catechizâſſet, ſimulque ad aquam in via perveniſſent, ecce, inquit Eunuchus, aqua, quis me prohibet baptizari? & deſcendit uterque in aquam, & baptizavit Philippus Eunuchum.

Baron. ad ann. Dom. 68. III. Cum Proceſſus & Martinianus Milites cuſtodientes S. Petrum in carcere Mamertino viderent ejus cœleſtem vitam & doctrinam, ad Chriſtum converſi ſunt. At cum aqua deeſſet, Petrus ſigno Crucis in rupe expreſſo fontem eduxit, qui adhuc hodie poſt annos plus mille quingentos fluit.

IV. Cedualla Rex Britonum Romam proficiſcens deſiderabat baptizari, & poſt baptiſmum mundus ad cœlos aſcendere, quod utrumque obtinuit; nam Sabbato Paſchæ baptizatus mox languore corripitur, & paulò poſt carne ſolutus ad cœlum abiit. *V. Bed. l. 5. c. 7.*

V. In Luſitania apud Oſem campum baptiſterium, quod ante vacuum erat, toties, & tamdiu aquâ refertum inventum eſt, quamdiu baptizandi aderant; his deficientibus & ipſa diſparuit. Sed & in Lycia Provincia in Pago Cedebratis baptiſterium erat, quod à ſeipſo aquâ implebatur in die Paſchæ, & durabat usque ad diem Pentecoſtes, tunc verò evaneſcebat. *S. Greg. Tur. l. 1. de glor. Mart. c. 24. & 25. Sophron. in prato Spir. c. 25.*

Utilitas.

VI. Mellitus Monachus in extremis conſtitutus, dixit, apparuiſſe ſibi Juvenem literas deferentem, & dicentem: aperi, & lege. Illis verò apertis vidiſſe omnes, qui ab Epiſcopo baptizati fuerant, aureis literis ſcriptos. Quapropter certum tenuit, omnes brevi morituros, quod & factum. *S. Greg. l. 4. Dial. c. 26.*

VII. Cum S. Cæcilia Sponſum ſuum Valerianum ad Urbanum Pontificem mitteret baptizandum, & ipſa ei aſſiſtere non poſſet, Angelus ſub Juvenis fulgidiſſimi ſpecie adſtitit, qui ei libellum aureis literis ſcriptum obtulit, in quo hæc verba legebantur: unus DEUS, una fides, unum baptiſma. Quo viſo adeò recreatus eſt Valerianus, ut infracto animo Martyrium ſuſtinuerit. *Surius 22. Nov.*

VIII. Cum Rex Tartarorum Caſſanus deſponſatam ſibi Regis Armeniæ Filiam morti adjudicâſſet, eò quod Filio perquam deformi genito ſuſpicionem adulterii creâſſet, Regina petiit, Filium baptizare liceret, quo facto tam venuſtus apparuit Filius, ut Rex ipſe tanto miraculo commotus fidem Catholicam ſuſceperit. *D. Anton. p. 2. hiſt. tit. 20. c. 2. §. 9.*

IX. S. Maria de Ogniaco vidit à Puero, qui Exorciſmo & aliis precibus ad Baptiſmum parabatur, fugientem Dæmonem, ac deinde cum primum Sacris undis tinctus eſſet, Spiritum Sanctum viſibili ſpecie in Pueri animam, in innumera beatarum mentium corona ſubingredientem. *Padag. Chriſt. p. 2. c. 1. §. 1.*

X. Conſtantinus Imperator leprâ infectus, cum ſuaſu Sacerdotum Gentilium 3000. Infantium adduci, eosque, ut illorum ſanguine lavare ſe poſſet, occidi juſſiſſet, ſequenti noctè à SS. Petro & Paulo apparentibus, & collaudantibus, quod matrum precibus motus à cæde abſtinuiſſet, juſſus eſt, S. Silveſtrum in monte Soracte latitantem accerſere; à quo inſtructus in fide, baptizatus, & curatus eſt. *Baron. an. no 324.*

XI. S. Catharinæ antè quàm baptizata fuit, B. Virgo cum Filio apparuit, cui cum Catharinam illa commendaret, advertit ille faciem ſuam dicens, nimiam eſſe deformitatem. Intelligens ergo Catharina hoc ob defectum Baptiſmi dici, feſtinavit illum accipere, & paulo poſt ipſe Chriſtus iterum ei apparens, annulo eandem ſibi deſponſavit. *Ribad. 25. Nov.*

XII. In

Lit. lap. Lud. Frocs. 1596. XII. In Ciazzurana Insula Gentili Adolescenti octodecim annorum secrebrò visendum offerebat canis ingens, horribilis, rufus, qui eum alloquebatur, & per montes in loca abditissima deducebat, detinens eum ibi biduo vel triduo, atque impellens, ut se manibus sublatis adoraret, aliaque scriptione indigna faceret. Videns itaque Adolescens, se tantas molestias à capitali humani generis hoste perpeti, tandem perfugium habuit ad Ecclesiam, doctrinam Christianam audivit, & didicit, baptismi Sacramento Christo devinctus, ac de cætero nunquam à Tartareo illo cane divexatus.

Ven. Beda. l. 4. hist. Angl. c. 13. XIII. Cùm aliquando in Anglia tribus annis pluvia non cecidisset, ideòque plurimi fame periissent, ipsâ, quâ à S. Wilfrido Episcopo baptizati sunt die pluvia cecidit, totaque terra cum Incolis refloruit.

Bredent. l. 7. coll. c. 48. XIV. Prope Delphos Hollandiæ cùm Pueri quidam baptizati cæremonias ex contemptu admittere nollent, gravi infirmitate tamdiu sunt correpti, donec Parentum precibus permotus Sacerdos eas adhibuit.

Pad. p. 2. c. 1. §. 1. XV. Abbas Pachomius eâ nocte, quæ illi à suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem sibi de cælo in dextram manum decidentem videre, & vocem hanc audire visus est: aperi mentis tuæ oculos, Pachomi, & agnosce in rore isto accipere à Deo gratiæ argumentum & pignus.

Dignitas.

Ibid. p. 1. c. 1. §. 1. n. 6. XVI. Ludovicus Galliarum Rex nullibi jucundius, quàm Passiaci agebat, quòd eâ in urbe baptismo ablutus esset, quo honore nullibi majorem se accepisse dictitabat.

Ibid. n. 5. XVII. Cùm Quintianus Siciliæ Prætor S. Agathæ diceret: Nonne pudet te nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere? respondit illa: Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus Regum opibus & superbiâ.

Baptismus Flaminis.

Surius 4. Dec. XVIII. Cùm S. Philæmon à DEO illuminatus Christum confiteretur, & Tyrannus illi objiceret, quod baptizatus non esset, rogavit ille, ut aliquis è media turba ipsum baptizaret; cùm verò nemo id audiret, ipse autem DEUM rogaret, ut Sacerdotem mitteret, Christus in nube descendens eum baptizavit.

Baptismus Sanguinis.

Surius 25. Nov. XIX. Cùm quinquaginta Philosophi à S. Catharina conversi, jamque in media civitate eremandi baptismum sollicitè expeterent, S. Catharina jussit eos sine sollicitudine esse, eò quod mox proprio in sanguine essent baptizandi. Unde illi benedictione S. Virginis accepta signantes se signo sanctæ Crucis in ignem missi, animas DEO reddiderunt, ita tamen ut nec corpora, nec vestimenta, nec capillus igne fuerit correptus.

Surius 23. April. XX. Cùm S. Gregorius ad Martyrium duceretur, multi ad pedes ejus procidentes per Christi nomen & signum sanabantur; inter quos cùm Glycerius Agricola exclamâsset: Magnus est DEUS Christianorum: ideòque Imperatoris jussu ad supplicium duceretur, currebat ante milites, magnâque voce Deum rogabat, ut Martyrium sibi baptismatis loco esset.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut per primum Hominem in peccato & morte nascimur; ita per Christum in justitia & vita æterna in baptismo renascimur. *S. Aug. l. de bapt.*

II. Sicut Circumcisio non utile membrum amputat corporis, sed superfluitatem inutilem; sic per Baptismum Sanctum à peccato circumcidimur; manifestum autem, quod peccatum superfluitas concupiscentiæ est, & non necessaria concupiscentia. *S. Damasc. l. 4. orth. fid. c. 26.*

III. Sicut vox advenientis Spiritûs, id est, venti auditur quidem, non autem videtur; sic & ratio baptismi. Auditur, quod dicitur: tamen, quomodo per Spiritum fit, non videtur; auditur tamen, cum quid futurum est, ab eo, qui verba insinuat, prædicatur: ut fieri credatur, quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. *S. Aug. l. 99. vet. & novi test. q. 59.*

IV. Sicut viribus ignis intensiùs aqua calefacta non aliter, quàm ignis urit, sic Spiritûs Sancti operatione aquæ ad divinam reformantur virtutem, quâ baptizati corpus abstergunt. *S. Cyrill. Alex. l. 2. in Ioann.*

Utilitas.

V. Sicut aqua superne infusa ex omni parte arcam abluebat, eamque non obruebat, sed sublevabat, ut qui in ea erant, illæsi ab undis servarentur, impiis absorptis; eodem modo baptismi aquæ superne infusæ abluunt, & ad cœlum evehunt, ne ab undis iræ divinæ vel scelerum quis obruatur. *Bozius tr. 1. de sign. Eccl. 15.*

VI. Sicut Naaman per aquas Jordanis à lepra mundatus est, ejusque caro pura, quasi caro Pueri effecta est; ita per aquas baptismi anima à peccati lepra mundatur, & puritati perfectæ restituitur. *4 Reg. 5. v. 10.*

VII. Sicut in transitu Maris rubri Hostes à tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in Eremo sunt inventi; sic omnes, qui Sacro Baptismate tinguntur, eorum peccata præterita laxantur, quia eis velut à tergo Ægyptii hostes moriuntur: sed & in eremo alios hostes invenimus, quia, dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis Patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter includere festinant. *S. Greg. l. 9. epist. 39.*

VIII. Sicut aqua temperat æstum, radios solares excipit, & repræsentat ipsum solem; ita baptismus concupiscentiæ & vitiorum ardorem extinguit, characterem & præterea gratiam, velut splendidissimam Dei imaginem homini imprimit. *Faber conc. 10. in festo SS. Trin.*

IX. Sicut scorpii aut serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt; sic & Spiritus nequam, qui scorpii ac serpentes appellantur, permanere ultra non possunt in hominum corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus Sanctus habitare. *S. Cypr. l. 4. Epist. 7.*

X. Sicut Christi Crucifixi corpus tumulatum salutem mundo protulit; sic & nostrũ corpus per baptisma sepultum justitiam nobis ipsis produxit *Langius in Poliant. v. eod.*

Necessi-

Neceſſitas.

S. Chryſ. ho. 4. in Matt. XI. Sicut impoſſibile erat per mare rubrum pertranſire, niſi miraculo via fuiſſet facta: ſic à priore vita ad cœlos aſcendere ſine mediatione baptiſmi non poſſumus.

S. Hier. l. 4. in Ezech. c. 16. XII. Sicut cruenta Infantium corpora ſtatim, ut emittuntur ex utero, lavari ſolent; ita & generatio ſpiritualis lavacro indiget ſalutari; nullus enim mundus à ſorde, nec ſi unius quidem diei fuerit vita ejus.

S. Irenæus l. 1. c. 39. XIII. Sicut de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Chriſto JESU poteramus, ſine aqua, quæ de cœlo eſt. Et ſicut arida terra, ſi non percipit humorem, non fructificat; ſic & nos lignum aridum nunquam fructificaremus vitam ſine ſuperna voluntaria pluvia.

Jucunditas.

S. Hieron. contra Lucifer. XIV. Sicut emiſſus eſt de arca corvus, & non rediit, columba verò emiſſa ramum attulit; ita & in baptiſmate Eccleſiæ, deterrimo alite expulſo, id eſt, Diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritus S. nunciat.

§. VI.
MOTIVA.

Pro Baptiſmo recipiendo.

Io. 3. v. 5. I. *Neceſſitas:* quia niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum DEI.

II. *Utilitas*; cùm per baptiſmum vis ad hæreditatem cœleſtem conferatur, atque adeo meritò de illo illud Salomonis uſurpari poſſit: Sap. 7. v. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illo.

1. Io. 3. v. 1. III. *Dignitas*: quæ enim major obvenire poteſt dignitas, quàm à Deo in Filium adoptari? Hinc meritò D. Joannes dixit: videte, qualem caritatem dedit nobis Deus, ut Filii DEI nominemur, & ſimus.

IV. *Jucunditas*: ſi enim jucundiſſimum eſt vitæ corporalis uſum accepiſſe, quantum cenſeri debet gaudium & voluptas, ſi ad vitam æternam omni bonorum genere affluentem quis renaſcatur?

§. VII.
MEDIA.

Pro Baptiſmo ritè recipiendo.

I. *Præceptorum naturalium obſervatio*: facienti enim, quod eſt in ſe, non denegat DEUS gratiam Baptiſmi; id quod multis hactenus exemplis comprobatum eſt.

II. *Seria & conſtans hujus gratiæ petitio*: cùm enim hæc gratia ſit donum & datum aliquod ex præcipuis, quæ DEUS conferre poteſt, meritò illud deſurſum deſcendere atque adeò à DEO peti debere dicitur.

III. *Conſtans in miſericordiæ operibus exercitatio*: nam, ut bene S. Paulus dixit, Moyſi dicit (DEUS) miſerebor, cujus miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Itaque non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Matth. 5. v. 7. eſt DEI. Meritò ergo ad hanc miſericordiam promerendam, miſericordia velut efficaciſſimum medium (juxta illud Chriſti: Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur) adhibetur.

Rom. 9. v. 16.

IV. *Verbi divini auditio, aut privata cum baptizatis converſatio*: ita iterum S. Apoſtolus indicat dicens: Quomodo autem audient ſine prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.

§. VIII.
ASCETICA.

I. TRia ſunt præcipuè, quæ ab Aſceta de Baptiſmo notanda & ſcienda ſunt. Primum eſt, ut ſciat differentiam inter hunc, & S. Joannis Baptiſtæ Baptiſmum. Quæ quidem ſeptuplex fuit. 1. In *forma*. 2. In *neceſſitate*; quia baptiſmus Joannis non erat neceſſarius ad ſalutem, ſicut baptiſmus Chriſti. 3. In *efficacia*: quia baptiſmus Joannis non remittebat peccata, nec conferebat gratiam, nec per ſe diſponebat ad illam, ut baptiſmus Chriſti. 4. In *extenſione*: quia non extendebat ſe baptiſmus Joannis ad parvulos, utpote pœnitentiæ incapaces. 5. In ratione *ſignificationis*: quia baptiſmus Joannis non erat Sacramentum. 6. In *Duratione*: Quia ille ad annum duravit tantum, non autem baptiſmus Chriſti. 7. In *repetitione*: quia baptiſmus Chriſti ob impreſſionem characteris repeti non poteſt, uti tamen baptiſmus S. Joannis poterat.

II. Secundum eſt, ut inſtitutionis cauſas bene cognoſcat, quæ quidem quatuor plerumque aſſignantur. 1. Eſt, ut ſpiritualis hominum generatio primæ animantium generationi reſpondeat, quæ ex aquis facta eſt juxta illud Geneſis: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram. 2. Ut cauſa efficiens gratiæ baptiſmatis, ſcilicet mors Chriſti, aptiùs repræſentetur; ſicut enim Chriſtus morte ſuperata terræ commendatus, & tertia die ſine carnis corruptione reſuſcitatus eſt; ita qui baptizatur, aquæ immergitur, indeque rurſum mox emergitur ſine læſione; ut ſciat, ſe Chriſto conſepultum, ejusque temporali morte ab æterna morte ereptum eſſe. 3. Ut principalis effectus, ſcilicet ablutio à peccatis, aptiùs repræſentetur. 4. Ut baptiſmus tanto faciliùs adminiſtrari poſſit, cùm aqua elementaris facillimo negotio haberi poſſit. Gen. 1. v. 20.

III. Tertium eſt, ut bene cognoſcat officium hominis baptizati, atque ad illud implendum juvet: quod quidem officium breviter indicavit S. Auguſtinus, dum dixit: Sancto Baptiſmo conſona ſit vita Chriſtiana, ne cuiquam homini, ſi utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; item dixit: niſi abundaverit Juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Clarius vero S. Ambroſius id ipſum indicavit dicens: Quando Levita te interrogavit: Abrenuncias Diabolo, & operibus ejus? quid reſpondiſti? abrenuncio. Abrenuncias ſæculo & voluptatibus ejus? quid reſpondiſti? abrenuncio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam

S. Aug. c. 26. de fid. & oper.

S. Ambroſ. l. 1. de Sacr. c. 2.

quam tibi excidat tuæ ſeries cautionis; ſi Chirographum homini dederis, teneris adſtrictus, & reluctantem te fœnerator adſtringit: ſi recuſas, vadit ad Judicem, atque illic tua cautione convinceris. Hoc bene conſiderans Muritta Diaconus, Elpidophorum, quem de fonte à ſe ſuſceptum, à fide defeciſſe adverterat, oſtensâ veſte alba, quam in baptiſmo acceperat, ſic allocutus eſt: Hæc ſunt linteamina, Elpidophore, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum Majeſtas venerit judicantis: quas cuſtodivit diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putui ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hæc te acriùs perſequentur, cùm flammantem gehennam cœperis poſſidere, quia induiſti maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri baptiſmatis & fidei Sacramentum. Quid facies miſer, cùm ſervi Patrisfamilias ad cœnam congregârint invitatos. Dicet tibi Rex: Quomodo huc intrâſti non habens veſtem nuptialem? non video veſtem, quam tibi dedi, perdidiſti militiæ chlamydem, quam aquâ mundavi, & purpurâ mei ſanguinis decoravi. Characterem non video Trinitatis, ligate ergo eum pedibus & manibus, qui ſe ſeparavit à Fratribus Catholicis, in tenebras projicite. Hoc ipſum alia ſimilitudine declarans S. Chryſoſtomus ait: Arbores, quæ inſitæ ſunt, & cæteram habuerunt diligentiam Agricolarum adhibitam, ſi nullam referant laboris viciſſitudinem, radicitùs evulſæ igni tradentur; tale quid in cauſa contingit baptiſmatis. Cùm Chriſtus nos inſtituerit, & irrigatione ſpirituali potiti fuerimus, ſi deinde fructum nullum afferamus, ignis nos exſpectabit gehennæ, & flamma inextinguibilis.

Victor Uticenſ. l. 3. de perſec. Wand.

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*; poſſunt explicari effectus Baptiſmi per aquæ ſimilitudinem. Et 1. quidem oſtendi, quod ſicut olim in prima Mundi creatione Spiritus Domini ferebatur, ſeu, ut alii interpretantur, incubabat ſuper aquas, & ſic varia viventia produxit, ita & Spiritus Sanctus aquam baptiſmalem & ipſum Baptiſmum ſua virtute fœcundârit, ut præſtantiſſimum animalium genus, ſcilicet homo regeneratus, prodiret. 2. Quod ſicut aqua mundat à ſordibus; ita Baptiſmus à peccatis. 3. Quod ſicut aqua extinguit ignem, ita Baptiſmus liberet à flammis Inferni & Purgatorii; imò & concupiſcentiæ flammas mitiget. 4. Quod ſicut aqua eſt ſummè neceſſaria ad vitam juxta illud Eccleſiaſtici: Initium vitæ hominis, aqua, & panis; ita & Baptiſmus ad vitam ſpiritualem non minus neceſſarius ſit.

Ezech. 36. v. 25.

Eccl. 29. v. 5.

II. Ex occaſione thematis: *In illa die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem in ablutionem peccatoris*: poteſt huic fonti Baptiſmus comparari, & alii etiam ſententiæ de variis fontibus in S. Scriptura prolatæ ei applicari: Nimirum 1. Quod ſit parvus, qui crevit in fluvium magnum, id eſt, ex modicis initiis magna incrementa ſumpſerit. 2. Quod fons iſte aſcendebat à terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ; id eſt, ab humanitate Chriſti exortus ſit, & per totum mundum propagatus. 3. Quod ſit fons patens, id eſt, omnibus acceſſus ad baptiſmum pateat, ſi mandata ſervare velint. 4. Quod ſit fons aquarum, cujus non deficient aquæ; quia hoc Sacramentum usque ad finem Mundi durabit. 5. Quòd ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternam; eò quòd jus ad illam tribuat. 6. Quòd ſit fons Salvatoris, juxta illud Iſaiæ: Hauritis aquas de fontibus Salvatoris; eò quòd Chriſtus illum inſtituerit. Ut meritò quivis dicat cum Davide: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te &c.

Zach. 13. v. 1.

Gen. 2. v. 6.

l. 1.

Iſ. 58. v. 11.

Io. 4. v. 14.

Iſ. 12. v. 3.

III. Ex occaſione thematis: *Erat autem Jeroſolymis probatica Piſcina*; poteſt Baptiſmus huic Piſcinæ probaticæ comparari. 1. Quia ſicut hæc Piſcina vocabatur ovilis, eò quòd oves immolandæ ibi lavarentur; ita & in baptiſmo homines DEO per mortificationem ſacrificandi abluuntur. 2. Quia ſicut in illa erant quinque porticus; ita in baptiſmo quinque Chriſti vulnera, per quæ ad baptiſmum acceſſus datur. 3. Quia ſicut in illa piſcina jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum; ita per baptiſmum curantur cæci, id eſt, ignorantia fidei laborantes: claudi, id eſt, DEO & Mundo ſervire volentes: aridi, id eſt, caritate DEI & proximi carentes: languidi, id eſt, ab inordinatis affectibus debilitati. 4. Quia Angelus Domini, id eſt, Sacerdos movet, id eſt, applicat hanc aquam, & ſic infirmitatem tollit. Addatur vero, quod in hoc præſtantior ſit hæc Piſcina, quod non oporteat certa tempora exſpectare, nec queri cum languido illo: Hominem non habeo, ut mittat me in piſcinam &c.

Ioh. 5. v. 2.

IV. Ex occaſione thematis: *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua*: poteſt baptiſmus Jordani fluvio comparari. 1. Quia ſicut Jordanes idem ſignificat, ac fluvius Judicii, & regionem Judæorum fidelium à regione Infidelium dividebat; ita per baptiſmum Chriſtiani ab Infidelibus diſcernuntur. 2. Sicut in Jordane curabatur lepra Naaman; ita & in baptiſmo lepra peccati. 3. Quia ſicut Jordanes Filiis Iſraël ſe aperuit, & ſiccum iter præbuit; ita & per baptiſmum aditus ad terram promiſſionis, id eſt, vitam æternam patet. 4. Quia ſicut Chriſtus Jordanis aquas ſuo contactu ſanctificavit; ita & baptiſmo vim ſuam ac efficaciam ſua inſtitutione tribuit. 5. Quia ſicut, dum Chriſtus in Jordane lotus eſt, cœli aperti ſunt, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ deſcendit; ita & per baptiſmum reſeratur cœlum, ac Spiritus Sanctus deſcendit, facitque, ut de baptizato verè dicat Pater æternus: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Matth. 3. v. 6.

Matth. 3. v. 17.

§. X.

AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Candelabro Myſtico Tract. 2.

II. Pe-

II. Petrus Canisius To. 3. c. 2.
III. Antonius Dauroltius in Catechismo Historiali p. 3. c. 5.
IV. Matthias Faber p. 2. conc. 8. in Dom. 3. Ad. & conc. 6. Domin. 4.
V. Josephus Langius in Polyanthæa V. eod.

TITULUS XVII.

BEATITUDO.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Boëth. l. 3. de consol. 5. Aug. de Spir. & lit.

EST Status omnium bonorum aggregatione perfectus, juxta Boëthium. Juxta S. Augustinum verò ille beatus est, qui omnia, quæ vult, habet; nec aliquid vult, quod non decet. Juxta

S. Bern. apud Drex. l. 2. cal. c. 10. §. 1.

S. Bernardum autem Beatitudo est, ubi nihil sit, quod nolis: & ubi totum sit, quod velis.

Divisio.

II. Dividitur in substantialem & accidentalem. Illa in visione beatifica, hæc in gaudiis & actibus à dicta visione distinctis consistit. Dividi etiam potest in beatitudinem corporis, &

S. Anselm. l. 4. S. de simil.

animæ; quarum illa juxta D. Anselmum pulchritudinem, agilitatem, fortitudinem, libertatem, sanitatem, voluptatem, & longævitatem involvit: hæc verò sapientiam, amicitiam, concordiam, honorem, potestatem, suavitatem, gaudium continet.

Actus.

Hugo l. 4. de anim.

III. Potiores sunt, juxta Hugonem, sequentes. *Vivere* vitâ sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum, visio & cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.

S. Anselm. l. de simil. c. 59.

IV. *Sapere*, scilicet consilia atque judicia DEI, quæ sunt abyssus multa, item causas & origines rerum omnium. De qua Sapientia sic clarius loquitur S. Anselmus: Sapientiam quam omnes in hac vita non inutiliter amant, tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfectâ, quæ DEUS est, sapientiâ replebitur, eamque à facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit, creaturæ totius naturæ videbit, quæ in DEO meliùs, quam in seipsa consistit. Tunc etenim justi omnia scient, quæ DEUS fecit scienda, tam ea, quæ præterita, quàm ea, quæ postmodum sunt futura. Ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, quâ patriâ, quâ gente, quâ stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

V. *Amare* DEUM incomparabiliter, quia sciunt, unde, ad quid eos provexerit, amare item singulos, sicut seipsos.

VI. *Gaudere* de DEO ineffabiliter: gaudere de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit tanquam seipsum, tantum gaudium quisque habeat de bono singulorum, quantum de suo; quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Constat ergo, quod singuli tot gaudia habent, quod socios. Et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cùm autem quisque plùs amet DEUM, quàm seipsum, & omnes alios secum, plùs gaudet de DEI felicitate, quàm de sua & omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscujusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot & tanta gaudia? ideo dicitur: intra in gaudium Domini tui: non, intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset.

VII. *Laudare* DEUM sine fastidio, sine fine, sicut scriptum est: Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in secula seculorum laudabunt te. *Ps. 83. v. 5.*

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Cùm Moyses dixisset ad Dominum: Ostende mihi gloriam tuam: respondit Dominus: Ostendam tibi omne bonum. *Ex. 33. v. 19.*

II. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Psal. 16.*

III. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. *v. 15.* *Isaia 49. v. 10.*

IV. O Israël, quàm magna est domus DEI, & quàm ingens locus possessionis ejus. *Baruch. 3. v. 34.*

V. Tunc justi fulgebunt sicut sol in conspectu Patris eorum. *Matth. 13. v. 43.*

VI. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom. 8. v. 10.*

VII. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt eum. *1. Cor. 2. v. 9.*

VIII. Carissimi, nunc filii DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus, quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *1. Io. 3. v. 2.*

IX. Nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus DEUS illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. *Apoc. 12. v. 5.*

X. Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse DEUS cum eis erit eorum DEUS. Et absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, & dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. *Ibid. c. 21 v. 3.*

XI. Ostendit mihi civitatem Sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à DEO, habentem *Apoc. 21. v. 10.*

claritatem DEI, & lumen ejus simile lapidi pretioso: & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ.

Matth. 5. v. 12. XII. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Utilitas.

Ps. 16. v. 15. XIII. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Jucunditas.

Ps. 30. v. 20. XIV. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Isaiæ 65. v. 17. XV. Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & ascendunt super cor, sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum in his, quæ creo.

Ps. 35. v. 9. XVI. Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Io. 16. v. 22. XVII. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. Aug. l. de moribus. I. TAnta est pulchritudo Justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis Sapientiæ, ut, etiamsi in ea non liceret amplius, quam unius diei morâ permanere, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritoque contemnerentur.

Idem l. 22. de civ. II. Ibi DEUS erit omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Idem l. 3. de symbol. III. Facilius possumus dicere, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla tristitia.

Idem super Ioan. IV. Non erit aliqua invidia disparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas claritatis.

S. Aug. sup. Ps. 49. V. Hæreditas Christi, quâ Cohæredes sumus, non minuitur copiâ Possessorum, nec fit angustior numerositate Cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium Patrimonium. Regnum DEI tantùm valet, quantum habueris.

S. Fulgentius apud Sur. tom. 1. VI. Quàm speciosa debet esse cœlestis Jerusalem, si sic fulget Roma terrestris? si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?

S. Bern. l. de consid. VII. Merces Sanctorum tam magna est, quòd non potest mensurari: tam copiosa, quòd non potest finiri: tam pretiosa, quòd non potest æstimari.

VIII. Effugit omnem sermonem, excedit omnem humanum sensum decus illud atque Majestas. Quod DEUS præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, caritate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur. Acquiri potest, æstimari non potest. *S. Aug. apud Drex. l. 1. cal. c. 1.*

IX. Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die Nuptiarum? nam ex his minimis tua magna, & ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus. *Idem Sol. c. 21.*

X. De Rege autem, qui horum agminum medius residet, dicere vox nulla sufficit. Ultra omnem enim Sanctorum gloriam est, ipsius inæstimabilem adipisci conspectum, & splendore Majestatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria venientem, & Sanctorum ejus numero sociari, non erat dignum pati omne, quod mœstum est, ut tantæ gloriæ, bonitatisque participes haberemur? *S. Aug. s. 37. de Sanct.*

XI. Frater carissime, regnum cœlorum clamat DEUS se habere venale. Quod quidem regnum cœlorum tale est, ut ejus beatitudinem & gloriam nec oculus mortalis hominis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare. Ut tamen aliquo modo possis illud cogitare, quisquis ibi regnare meruerit, quidquid ipse volet, hoc erit in cœlo, & in terra: quidquid verò nolet, non erit in cœlo & in terra. Tanta enim erit dilectio in DEUM & eos, qui ibi erunt, & inter se ipsos invicem, ut omnes se invicem diligant sicut se ipsos, sed plùs ament omnes DEUM, quàm seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod vult DEUS, & quod volet unus, hoc volent omnes, & quod unus vel omnes, hoc ipsum volet DEUS. Quapropter quidquid volet unusquisque, hoc erit & de seipso, & de omnibus aliis, & de tota creatura, & de ipso DEO. Et sic singuli erunt perfecti Reges, quia quod singuli volent, hoc erit, & omnes simul cum DEO unus Rex, & quasi unus Homo, quia omnes unum volent, & quod omnes volent, erit. *S. Anselm. in epist. 2. ad Hugon.*

XII. Qualis sit hæc gloria futura, & quibus divitiis floreat, quantoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? quia legimus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* *S. Augustin. ser. 1. de verb. Ap.*

XIII. Quantum est illud Regnum! hic deficit sensus, imaginatio, ratio, intelligentia; est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehensibilis. *S. Bernar. ser. in Dom. 5. post Epiph. c. 4.*

XIV. Tanta est magnitudo Cœlorum, quòd, si de novo crearet Deus hujus magnitudinis tot terrarum orbes, quot grana arenæ maris, adhuc non impleretur Empyreum Cœlum. *Idem ibi. ser. 51. a. 2. c. 2.*

XV. Civitas ista est in mensura valdè spatiosa, unde dicit Bernardus, quòd ad literam quilibet Sanctus in Cœlo Empyreo habebit locum sibi assignatum proprium, & specialem magis spatiosum, quàm sit ab oriente ad occidentem. *S. Bernar. apud Mansfir 10. disc. 3. n. 3.*

XVI.

S. Aug. ſer. 18. de verb. Dom. c. 17.

XVI. Non tibi ſit anguſta domus ejus, pariter ab omnibus, totum à ſingulis poſſidetur Regnum Dei, creſcente poſſeſſorum numero non minuitur, quia non dividitur, unicuique integrum eſt, quod concorditer habetur à multis.

Idem in Man. c. 34.

XVII. Cùm ſint hæc omnia valdè delectabilia, quæ bonis, pariterque malis communia tradidiſti, qualia futura ſunt illa, quæ ſolis bonis recondiſti? ſi tam innumera & varia tua dona, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis; quàm magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ ſolis tuis es largiturus amicis? ſi tanta ſolatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? ſi tanta delectabilia continet carcer, quanta quæſo continet Patria?

Didacus Stella in c. 11. Luc.

XIIX. In hoc præcipuè Regnum Dei eſt mirabile; nam quando quis in extera proficiſcitur, dicitur abiiſſe in Franciæ, vel in aliud quodvis, non tamen rectè diceretur veniſſe Regnum Franciæ in illum: Verùm cum Regnum Dei priùs in hominem, quàm homo in illud ingrediatur, optimè dicitur, ad nos veniſſe Regnum Dei, tunc enim regnat in homine, cùm homo ſuſcipit illud per fidem & charitatem.

S. Bonav. in c. 16. Luc.

XIX. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur. Illi rapiunt, qui relinquunt omnia, & ſequuntur Chriſtum; mercantur, qui dant temporalia, & accipiunt æterna; furantur, qui bona occultè faciunt, & laudem humanam vitantes ſolo divino teſtimonio ſunt contenti; compelluntur intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo diſpenſante, probat, ne in futuro ignis judicii damnabiliter premat.

Utilitas.

S. Greg. in hom.

XX. Si conſiderentur, quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque ſubſtantia ſupernæ felicitati comparata pondus eſt, non ſubſidium.

Tertull. apud Lyr. in apoph. S. Ign.

XXI. O beati ſervi Chriſti! O Chriſtiani, membra veſtra ligata ſunt vinculis, ſed Spiritus veſter eſt liberrimus: Jacent corpora in carceribus, in equuleis, in tenebris, ſed mentes veſtras nil poteſt perturbare. Hoc tantùm agite, conſcendite cogitationibus veſtris in palmam, conſiderate pulchritudinem & ſuavitatem cœleſtis gloriæ, vagamini per pulcherrimas manſiones, quas Chriſtus ait eſſe in cœlis. Quoties eas Spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus ſentit in nervo, cujus animus eſt in cœlo.

S. Chryſ. ho. 24. in Matth.

XXII. Si nautis minaces Pelagi fluctus, ſi tempeſtates atque hyemes Agricolis, ſi vulnera cædesque Militibus, ſi graviſſimi illi ictus plagæque Pugilibus leves videntur, atque tolerabiles propter ſpem temporalium ac pereuntium commodorum, multò magis, cùm cœlum proponatur in præmio, nihil ex præſentibus his adverſitatibus ſentietur.

Jucunditas.

S. Aug. Diocl.

XXIII. Talis erit illa pulchritudinis delectatio, ut ſemper tibi præſens ſit, & nunquam ſatieris; imò ut ſemper ſatieris, & nunquam ſatieris. Si enim dixero, quòd nunquam ſatiaberis, fames erit. Si dixero, quod ſatiaberis, faſtidium times, ubi nec faſtidium erit, nec fames. Quid dicam, neſcio. Sed DEUS habet, quod exhibeat.

Idem in Manual.

XXIV. O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata. Ubi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate.

Euſebius Emyſſ. ho. 10. de Paſc.

XXV. Quia vidiſti me, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Si beatitudo eſt credere, quod annunciatur; quanto majoris beatitudinis erit videre, quod creditur?

Idem hom. 8.

XXVI. Recordemur, quàm jucunda ſit quies, quàm delectabilis repauſatio, poſt depoſitam alicujus graviſſimi oneris faſcem? Quàm dulce ſit poſt longam navigationem & pericula, ad optatam terram atque ad portum deſiderabilem perveniſſe. Atque ex his colligamus & cognoſcamus, quàm jucundum erit, comite bona conſcientia, ad vera & ſolida gaudia, atque ad Angelorum tranſire conſortia, & ad illam vitam conſcendere, ubi nulli erunt labores, nulla damna, nulla incommoda, & (quod ſupra omne bonum eſt) nulla peccata, ſed æterna innocentia, inviolata juſtitia, inconcuſſa ſecuritas, atque ſempiterna felicitas.

S. Bern.

XXVII. Si dilectus in myrrha, multò magis in botri ſuavitate. Quid faciet in præſentia, qui ſolùm in memoria delectat? ſi ſpes tam dulcis eſt, quantò res dulcior erit?

S. Aug. to. 9. ſolil. c. 36.

XXVIII. Hæc eſt plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei ſui; videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui ſalvavit eum, qui glorificavit eum, videbit eum cognoſcendo, amabit diligendo, laudabit poſſidendo.

S. Thom. opuſc. 63. c. 3.

XXIX. Ibi anima valdè delectabitur in continua viſione delectabilis vultûs Dei, de qua dicit Gloſſa ſuper Pſalmum, quòd viſione nihil delectabilius, quia ſemper amabunt, quem ſemper videbunt; In ea tanta eſt delectatio, quòd, teſte Auguſtino, ſi poſſent mali, mallent eſſe in pœnis, & Deum videre, quàm eſſe extra pœnas & Deum non videre, illa enim facies delectabiliter mirabilis eſt, & plena gratiarum.

Ibidem.

XXX. Tanta in Deo eſt jucunditas & amabilitas, ut cognitus ab anima ſtatim ipſam ad ſe trahat, eamque vehementer in ſe abſorbeat, ad ſimilitudinem magnetis, qui virtute ſua fortiter ferrum ad ſe trahit.

S. Bonav. in ſolil.

XXXI. Triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat & delectat. Gaudent delectabiliter in perfecta & clariſſima divinæ claritatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua & ſuaviſſima Divinæ bonitatis deguſtatione: gaudent ſempiternaliter in tranquilla & ſecuriſſima divinæ Majeſtatis tentione.

S. Aug. in ſolil. c. 22.

XXXII. S. Petrus unam ſtillam dulcedinis guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem, quid putas, dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis guſtâſſet, quam abſcondiſti timentibus te.

S. Bonav. in ſolil.

XXXIII. Cur per multa vagaris quærendo bona creata? Ama unum, in quo ſunt omnia; ſi delectat pulchritudo; *fulgebunt juſti ſicut Sol*? ſi

libertas, aut fortitudo; *Similes erunt Angelis Dei in cœlo*: si longa & salubris vita? *Est ibi Sanitas æterna*: si satietas aut ebrietas? *Satiabuntur de gloria, & inebriabuntur de ubertate domûs Dei*, si melodia; *ibi canunt Angeli*: si societas & amicitia: *ibi est beatorum Societas, & una omnium voluntas*; si honores & divitiæ: *Gloria & divitiæ in domo ejus*: si securitas & certitudo; *ibi omnium temporum æterna longitudo.*

S. Aug. in medit. c. 28. XXXIV. Si singula bona delectabilia sunt, cogita mente; vide quàm delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tantò differentem, quantùm differt Creator à creatura.

Idem. XXXV. Si bona est vita creata, quàm bona est vita creatrix? si jucunda est salus facta, quàm jucunda est salus, quæ fecit salutem? si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est in illo, qui fecit omnia delectabilia? O! qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit?

Dignitas.

S. Anselm. c. 66. de similibus. XXXVI. Si Rex aliquis curatum suis regalibus ornamentis indutum sibi præsentari præciperet, ut in regno suo filius suus à cunctis haberetur, atque in nullo, quod imperaret, à quoquam contradiceretur, hæredem suum, filiique sui cohæredem institueret, & eum suo nomine vocari vellet, nonne diceres, hunc magnificè & inopinatè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet; nati enim de putredine carnis replemur multis miseriis; vocatos nos nomine suo Deos faciet; ipse enim dicit: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, sed ipse Deus Deificans est, tu verò Deus Deificatus.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 3. c. 47. I. FIli, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea promissio in omni eventu te roboret & consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum & mensuram.

Ibid. §. 2. II. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea: ego ero merces tua magna nimis. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria; digna enim est his omnibus & majoribus præliis vita æterna.

Lib. 3. c. 49. §. 6. III. Pensa, Fili, horum fructum laborum, celerem finem, atque præmium nimis magnum; & non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam & pro modica voluptate, quam nunc sponte deseris, habebis semper voluptatem tuam in cœlis.

Ibid. IV. Ibi invenies omne, quod volueris: omne, quod desiderare poteris. Ibi aderit totius facultas boni sine timore amittendi. Ibi voluntas tua una semper meum, nihil capiet extraneum vel privatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet; nihil obviabit, sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totumque affectum tuum reficient, & ad-implebunt usque ad summum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pallium laudis pro mœrore: pro loco novissimo sedem regni in sæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis subjectio coronabitur gloriosè.

Lib. 3. c. 47. §. 3. V. O si vidisses Sanctorum in cœlo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloriâ, qui huic mundo olim contemptibiles & quasi vitâ ipsâ indigni putabantur, profectò te statim humiliares usque ad terram, & affectares potiùs omnibus subesse, quàm uni præesse; nec hujus vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro DEO tribulari gauderes, & pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres. O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent; quomodo auderes vel semel conqueri? nonne pro æterna vita cuncta laboriosa sunt toleranda? non est parvum quid, perdere, aut lucrari regnum DEI.

§. V.

EXEMPLA EXTERNA.

Qualitas.

S. Aug. ep. ad Cyrill. I. S. Augustinus statuerat scripto exquirere ex S. Hieronymo, quid de beatitudine sentiret? quia verò S. Hieronymus interea decessit è vita, ideo post mortem ei apparuit, dixitque, vide, si numerare potes stellas cœli, arenas & guttas maris. Id namque facilius est, quàm gloriam dicendo explicare. Est enim res tanta, quantam, nisi ipse vidissem, nunquam credidissem. Et tam longè abest ab eo, quod ego vivens cogitabam, ut omnino sit quidpiam infinities majus.

S. August. tr. de Beat. Id fusius paulo narratum memini alibi; nimirum quod S. Augustinus, dum die quadam tractatum de Beatitudine scriberet, ad horam Completorii in extasim raptus, suavissimam quandam vocem audivit; Cúmque cujusnam hæc vox esset, inquisisset; Respondit loquens? Ego sum Hieronymus amicus tuus, qui dum in hac vita etiamnum superstes esset, varia circà hanc materiam dubia contulit: Tunc S. Augustinus lætus ad hunc dixit: Utique ex quo in cœlis vivens omnia clarè & intuitivè intueris, omnes hactenus inter nos agitatas difficultates resolvere tibi jam minimè arduum erit: Cui S. Hieronymus ait: ut uno verbo edicam, quod desideras, opus erit, ut mihi priùs ad sequentia interrogata respondeas; Putasne quod totam terræ rotunditatem in uno pugno claudere poteris? Aut universam maris aquam in parvo vasculo coërcere? si autem id impossibile judices, longè impossibilius esse dico, quòd intellectus aliquis creatus illius gloriæ, quam Deus diligentibus se præparavit, minimam partem capere valeat; hisque dictis protinus disparuit.

Herold. c. 6. II. S. Chrysostomus dicere solebat, se paratum esse ad ipsas etiam Inferni pœnas sustinendas, modò aspectu Christi per momentum frui liceret.

Spec. ex. v. cœl. glor. ex. 8. III. S. Franciscus cum gravissimo oculorum dolore & insomniis vexatus DEUM laudaret, solumo-

ſolumque patientiæ gratiam peteret, vox quæpiam de cœlo delapſa ſic eum allocuta eſt: Franciſce, ſi tota terra eſſet aurum; & mare, flumina ac fontes, merum eſſent balſamum, & omnes montes ac colles eſſent lapides pretioſi, & tu invenires alium theſaurum his omnibus tantò nobiliorem, quantò aurum nobilius eſt terrâ, & balſamum aquâ, & hunc theſaurum tibi quis pro infirmitate tua daret, an non gauderes? cumque S. Franciſcus indignum ſe theſauro tali diceret, ulterius vox ad eum dixit: Gaude nunc, Franciſce, quia ille eſt theſaurus vitæ æternæ, quem tibi repoſui. Et ex nunc te inveſtio, & iſta infirmitas & afflictio tua eſt arrha illius beati theſauri. Quo audito S. Franciſcus mirè lætabatur.

Rodriq. p. 2. tr. 1. c. 21.

IV. B. Mechtildis à Chriſto quondam viſitata, hanc à Sanctis illum comitantibus vocem audivit: O beatos vos homines in terris, quibus tanta quotidie promerendi occaſio eſt; ſi enim penetraretis gloriam vobis paratam, certè eo ipſo momento, quo è lecto vos proripitis, præ immenſo cordis gaudio exiliretis, quòd ille illuxiſſet dies, in quo incrementa frugum juſtitiæ, & illic gloriæ, propè in immenſum multiplicare poſſitis.

Ribad. 7. Mart.

V. Rogârat aliquando S. Thomam Aquinatem ſoror illius, quid tandem eſſet cœleſtis gloria? cui ille: antè, inquit, quàm tu illam mereare, à nemine, quæ ſit, intelliges.

Beirl. in feſto SS. Phil. & Iac. tr. 3.

VI. Cùm Hermenegildo Regi Hiſpaniæ Pater necem minaretur, quod ab Arriana labe ſe expurgâſſet, reſpondit ille: Bene igitur mecum acturus es, Pater, ſiquidem ut regnum hoc abs te jugulatus amittam, æternum cum Superis conſequar.

Spec. Ex. diſt. 9. ex. 94.

VII. Dæmon quondam ex Energumena confeſſus eſt, ſe tanti gloriam cœleſtem æſtimare, ut libenter omnes Damnatorum pœnas usque ad diem Judicii paſſurus eſſet, modò per unicum momentum aſpicere DEUM poſſet.

Spec. Ex. diſt. 1. ex. 57.

VIII. Cœleſtem gloriam ad breviſſimum tempus expertus quidam Puer, omnium hominum linguis loqui cœpit.

Surius in vita S. Caciliæ.

IX. In vita S. Cæciliæ refertur, quòd, cùm Martyrii ipſius miniſtri ipſam acriùs reprehenderent, quòd in flore ætatis pulcherrimo conſtituta, ſponſalitii ſui voluntates, divitias, cunctaque alia hujus vitæ bona ſimul & ſemel perdere non dubitaret, ipſa voce libera reſponderit: Hoc eſt dare lutum, & accipere aurum; dare tabernaculum breve & miſerabile, & magnam ſpatioſamque, & amplam domum accipere ex lapidibus pretioſis & auro ædificatam, dare angulum, tenebroſum locum, & accipere lucidum, margaritis cœleſtibus reſplendentem, dare lapidem miſerabilem, quem pedibus conculcatis, & accipere lapidem pretioſum, qui reſplendet in Regio diademate.

Manſi diſc. V. n. 1.

X. S. Fulgentius Romanæ Urbis magnificentiam demiratus, dixit: Quàm ſpecioſa eſſe poteſt Civitas cœleſtis, ſi ita fulget Romana terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem?

Ibidem diſc. 9. n. 6.

XI. S. Franciſcus exceſſivâ quâdam melancholiâ oppreſſus, in lecto decumbens, rogavit fratrem Pacificum, ut Aſſiſium abiens quendam ſui Ordinis religioſum, qui perfectus citharœdus erat, ad ſe accerſeret, ad hoc ut ex citharæ ſono modulato nonnihil ſublevaretur. Cui frater Pacificus, multos exinde ſcandalizandos fore, reſpondit, ac proinde monuit, ut meliori uſus conſilio, ad Deum potiùs ſe toto corde converteret; ſic enim futurum eſſe ajebat, ut pro moleſtæ illius triſtitiæ mitigatione ſolatium aliquod perciperet. Cui conſilio cùm Seraphicus Pater morem gerere vellet, contigit, ut dum Sanctus Vir Dei ad ſublevamen iſtud implorandum, ſuam in Deum mentem elevaret, protinus Angelus quidam citharam artificioſo plectro pulſans, coram viro Dei compareret, qui dum vix primæ chordæ plectrum admoviſſet, Seraphicus Franciſcus mox ſe tanto jubilo adeòque immenſâ lætitiâ demulceri & perfundi ſenſit, ut eum, ne ſecundam chordam tangeret, impensè rogarit, timens, ne præ nimia ſuavitate & infinita dulcedine, qua interiùs afficiebatur, ſpiritum exhalaret; Unde ad infinitum hunc jubilum, quem in corde ſuo perſentiſcebat, temperandum, crucem quandam vicinam amplexatus, Paſſionem Redemptoris noſtri menti ſuæ vivaciſſimè impreſſit.

XII. Dimidio ferè anno, priusquàm vita excederet Archiepiſcopus Anno, viſus eſt ſibi domum quandam omni decore intus & foris reſplendentem intrare. Et ecce in ſubſelliis judicialibus, tanquam ad concilium ſolenniter evocati reſidebant, Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, Bardo Moguntinus Archiepiſcopus, Boppo, & Eberhardus Trevirenſis Archiepiſcopi, Arnulphus Wormatienſis Epiſcopus, & alii quamplures Galliarum Epiſcopi, quorum alios in carne noverat, alios fama tantùm, & lectione compererat, amicti omnes ſtolis Pontificalibus, & habentes veſtem inſtar nivis candidam, ipſe quoque admodum candidis ac pretioſis indutus ſibi videbatur, ſed partem candentis veſtimenti, eam ſcilicet, qua pectus tegebatur, ſordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ut cæterum cultûs ejus ſplendorem ſua fœditate plurimùm obfuſcabat, quam tamen ipſe nimio rubore perfuſus, objecta manu tegere ac celare, ne inſpicientium offenderet obtutum, conabatur. Videt inter eos ſibi quoque ſedem miri decoris paratam. Quam cùm occupare gaudio & exultatione æſtuans procuraret, ſurgens Arnulfus Wormatienſis Epiſcopus, modeſtâ voce eum prohibuit, dicens, reverendos Patres, qui aſſiderent, nolle eum in ſuum admittere conſeſſum, propterea quòd veſtem ejus turpis hæc macula fœdaret. Cumque juſſus loco cedere, flens, confectoque nimiùm animo egrederetur, inſecutus eum idem Epiſcopus: Æquo animo, ait, eſto Pater, maculam tantùm hanc, quæ veſtem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia non poſt multos annos beatæ hujus manſionis conſortium, & Sanctorum Patrum, quos adſpexiſti, conſeſſum voti compos percipies. Manè facto cùm familiari cuidam ſuo viſionem retuliſſet, ille ſapienter rem conjiciens: macula, inquit, hæc veſti tuæ illita, nihil aliud eſt, Pater, ut

Daurolt. c. 8. tit. 22. n. 5.

ut æstimo, quàm memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Coloniâ expulerunt, quibus te, Divinæ pietatis aspectu, jam olim oportuerat admissi hujus veniam dedisse. Hæc, quod bonâ veniâ dixerim, pectori tuo tenacius, quàm æquum sit, insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ tuæ conversationis claritatem molestâ quâdam caligine obducit, & obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, ne inficiaretur, quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nunciis, cives omnes Coloniæ, quos in ultionem injuriæ suæ excommunicatos urbe fugaverat, ad se evocavit, eisque proximâ festivitate Paschali (nam in Quadragesima visionem viderat) non solum communionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerant, benignissimè restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt. Archiepiscopus amaritudine, populus metu & sollicitudine, civitas liberata est solitudine.

3. Gregor. l. 4. Dial. c. 26.

XIII. In ea mortalitate, quæ Patritii Narsi temporibus hanc urbem vehementer afflixit, in domo Valeriani, Romanæ urbis Advocati, puer Armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cùm verò ejusdem Advocati domus eâdem clade vastaretur, idem puer percussus est, & usque ad extremum deductus. Qui subitò sublatus à præsentibus rediit, sibique Dominum suum fecit vocari, cui ait: Et ego in cœlo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnovi. Ille, atque ille morituri sunt, tu verò non timeas; quia hoc tempore moriturus non es; ut verò scias, quia me fuisse in cœlo verum fateor, ecce accepi illic, ut linguis omnium loquar. Nunquid non cognitum tibi fuit, Græcam linguam me omninò nescisse? & tamen Græcè loquor, ut cognoscas, an verùm sit, quòd me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græcè Dominus suus locutus est, atque ille in eadem lingua respondit, ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Narsi Spatarius Ulgarus manebat, qui festinè ad ægrum deductus, ei Ulgaricâ linguâ locutus est, sed ita puer ille in Italia natus, & nutritus in eadem barbara locutione respondit, ac si eâdem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes, qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum ante nescisse noverant, crediderunt de omnibus, quas probare minimè valebant. Tunc per biduum mors ejus dilata est, sed die tertio (quo occulto judicio, nescitur) manus & brachia lacertosque suos dentibus dilaniavit, atque ita à corpore exivit. Quo mortuo, omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullusque in illa domo ex eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denunciatus non est.

Bellvac. l. 25. cap. 206.

XIV. Anno Domini M.CIV. quidam Clericus de Vendopera, cùm studeret in scholis apud Lugdunum, vidit visione noctis vallem sub monte, super quem Civitas pulcherrima sita erat, cujus aspectus nimium delectabat intuentes, ita ut quisquis eam videret, de aspectu illius satiari non posset, & modis omnibus laboraret, quomodo ad eam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quendam sub pede montis, quem dum circumiret, quærens, quomodo illum transmearet, vidit super ripam flumimis duodecim pauperes lavantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissima indutus, aliis dissimilis, qui juvabat alios in tunicarum suarum ablutione, qui postquam adjuverat unum, ibat postea adjuvare alium. Tunc Clericus, qui hoc videbat, accessit ad illum, qui alios juvabat, & dixit: Quæ gens estis vos? qui ait: Isti pauperes homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lavantes, & ego Filius Dei Jesus Christus, sine cujus auxilio nec isti, nec alii possunt benefacere. Civitas hæc pulchra, quam vides, Paradisus est, ubi ego maneo, & quando quis tunicam suam laverit, id est, pœnitentiam egerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsivisti viam, qua itur ad illam, sed nulla alia via, quàm ista, ducit ad eam. His dictis Clericus evigilavit è somno, & mirari cœpit de visione. Cumque non multò post rediisset de schola in patriam, narravit Episcopo Cabilonensi visionem hanc, cui familiaris erat, qua audita Episcopus suasit ei, ut seculum relinqueret, & religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines novellum istum Ordinem Cistercienſem. Ille venit Cistercium, & invenit locum incultum & desertum, & fratres inter bestias conversantes. Ad portam verò Monasterii, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cujus sonitu ad portam portarius compellabatur ab intrare volentibus. Hoc vero sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, & inclinans se salutavit eum. Quem Clericus intuens, statim cognovit eundem vidisse inter eos, qui tunicas in flumine lavabant. Rogavitque eum, ut duceret ad Abbatem. Abbas igitur & totus Conventus venit ad eum, & recognovit Clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lavantes. Statimque cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum lacrymis, ut susciperetur, qui susceptus non multo post factus est Prior.

Io. Herota in Promptuario lit. G.

XV. Contigit aliquando Fratrem Jordanum Generalem Prædicatorum loqui cuidam obsessæ; quæsivit à spiritu immundo, ubi foret libentius? Respondit: In cœlo? & cùm scrutaretur causam, quare magis desideraret esse in cœlo? Respondit, ut faciem Creatoris videret. Quæsivit Magister, quàm libenter videret? respondit Spiritus: Paulo ampliùs vidi, quàm ad ictum oculi, sed propter tamdiu denuo videre faciem Creatoris, omnes pœnas, quas omnes dœmones sustinuerunt à die, qua ejecti sunt de cœlo, & etiam quas sustinebunt usque ad diem judicii, vellem sustinere. Quod audiens Magister expavit vehementer, ita ut non videretur in eo spiritus. Postea ad se reversus dixit spiritui. Optimè dixisti mihi, sed alicujus pulchritudinis comparationem dicas mihi ad pulchritudinem DEI. Et respondit spiritus nequam: stultè quæsivisti, quia non potest enarrari.

rari. Sed propter instantiam petitionis tuæ unum tibi narrabo, quod tamen frivolum est, & penitus nihil respectu veritatis. Considera, inquit, quòd si omnes pulchritudines omnium pulchritudinum terrarum sive cœlorum, atque gemmarum, vitri, auri, argenti, florum, atque omnium metallorum, & eorum omnium, quæ pulchritudine suâ visum delectant, redactæ essent in unum, & omnes stellæ ad solis similitudinem lucerent, & sol præ omnibus stellis jam prædictis, lucem haberet, & omnes illæ pulchræ stellæ, & sol radios suos jactarent in pulchritudinem unam: Scias hoc pro certo, quòd omnis illa pulchritudo humanam æstimationem excederet, & tam incomparabilis esset illa pulchritudo, ad pulchritudinem Creatoris, quam nox tenebrosa est ad diem sole clarissimum. Væ ergo illis, qui separabuntur ab illa inæstimabili gloria.

Specul. Exempl. v. cœlest. glor. exempl. 14.

XVI. Fuit quidam Monachus, qui legens in matutinis cum aliis fratribus: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, miratus est nimis, quomodo illud esset possibile. Erat enim sanctus & devotus valdè. Post matutinas ergo mansit in choro in sua devotione, ut consueverat, & petivit sibi illum versum revelari à Deo, & incepit discere, & cùm staret, avis pulcherrima ante oculos ejus volavit & avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem ejus. Tandem volavit extra Ecclesiam, tamen semper prope ipsum, ut posset videri, & ita propè, ut posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, & ulteriùs deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum magnum & spatiosum valdè. Et ibi Monachum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos, nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes Monachi dicti Monasterii essent defuncti. Et præ dulcedine cantûs dictæ avis non esurivit, nec sitivit, nec comedit, nec bibit, postea avis avolans monachum dimisit. Statim Monachus ad se reversus monasterium suum petiit, quia propè erat, putans se eâdem nocte post matutinas recessisse. Jam erat hora tertia, ut sibi videbatur, & se petivit intromitti. Dixit portarius, quis esset? Qui dixit: sum Sacrista istius Monasterii, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omninò, tamen requisivit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris, & Cellarii. Recitavit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis, & Portario omninò incogniti erant. Ed admirans Monachus, quòd non intromitteret eum, & simularet, se nescire nomina fratrum, petivit, ut duceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipse cognovit Abbatem, nec Abbas è converso eum. Et inquisivit Abbatem de prædecessore, & sic inventum fuit, quòd Abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati & omnibus fratribus, quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem, & illum versiculum: *Mille anni &c.* & de gaudio Paradisi, & tunc ipsum in fratrem receperunt, qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis, dulciter obdormivit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ pervenit.

R. P. Lohn. Bibl. Man. Tom. I.

Utilitas Beatitudinis consideratæ.

XVII. Milites tres fidelitatem mutuò promiserunt, ut in quacunque necessitate se non desererent; erant in bellis & torneamentis strenui, & ad omnia mundi facta probi. Contigit tandem quadam die transisse sylvam omnes in silentio; cùm autem essent extra sylvam, unus eorum dixit: Miror, quare sic obmutuimus in transitu sylvæ hujus; & dixit unus causam sui silentii esse hanc, quia videns amœnitatem sylvæ memor fui amœnitatis cœlestis, quam causam etiam cæteri confessi sunt. Quibus senior dixit; Credite, non sine causa hoc factum esse, sed nutu Dei, ut sicut hactenus mundo, ita nunc Deo serviamus. Quapropter consulo, ut claustrum ingrediamur, & eandem fidelitatem in Domino habeamus. Quod factum est. Et laudabiliter & strenuè per aliquod tempus illic vixerunt. Tandem duo juniores cœperunt tepescere, & hoc invicem confessi sunt, & consolationem ad invicem quæsierunt. Venerunt ergo ad tertium de statu quærentes suo, & invenerunt eum Deo servientem, hilarem & devotum. Videns autem ille vultus eorum tristes, dixit: Ex multo otio & tœdio estis tristes & segnes, mihi autem totum tempus breve videtur, quia semper occupor. Illis autem mirantibus, quibus studiis, & occupationibus tempus impenderet, cùm, sicut ipsi, illiteratus esset, dixit: Tres literas tantùm inveni, quas docuit me Magister meus in ingressu meo, quas legens quotidiè, nullo unquam tœdio afficior, sed præ desiderio legendi deficit mihi tempus. Una scripta est nigro colore, quæ significat peccata mea, quæ denigraverunt animam meam, & falsitatem & instabilitatem mundi, & pœnas inferni. Hanc lego à manè usque ad Missam. Secunda scripta est colore rubeo, quæ significat passionem Salvatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit. Hanc lego à Missa usque ad Nonam, quando emisit spiritum. Tertia scripta est aureis literis, hæc est amœnitas & multiplicitas gaudii cœlestis. Hanc lego usque ad Completorium, & sic expendo tempus meum sine tœdio. Quo audito cæteri multùm accensi, profecerunt de cætero & ipsi. *Ibidem cap. 11.*

XVIII. Cùm quidam Novitius laboraret in extremis in Conventu Argentinensi in Teutonica, & fratres recommendarent animam ipsius Creatori, ex insperato aperuit oculos suos, & ait: Audite, Fratres charissimi, mihi accidit, sicut alicui eunti ad forum, & parvo pretio magnas merces ementi. Ecce enim regnum accipio; & causas nescio meritorum; & hoc dicto requievit in pace. *Vita Prædicat. part. 5. c. 2.*

XIX. Quidam Juvenis valdè nobilis, & delicatus venit ad Ordinem S. Francisci, qui indutus habitu Fratrum post aliquos dies, diabolo instigante, cœpit habere in tanta abominatione habitum, quem gerebat, quòd videbatur sibi portare saccum vilissimum, & propterea horrebat manicas, abominabatur caputium, & ipsam longitudinem tunicæ, & ejus asperitatem tanquam importabilem æstimabat. Unde factum est, quòd crescente Religionis fastidio, delibe- *Specul. Exempl. l. c. exempl. 6.*

ravit penitus rejicere habitum, & redire ad sæculum. Magister autem ejus docuerat eum, quòd quando ante Altare Conventus transiret, in quo servabatur Sanctissimum Christi Corpus, cum magna reverentia genibus flexis, & discooperto capite & cancellatis manibus, se devotissimè inclinaret. Dictus autem Juvenis hoc semper sollicitè observavit. Accidit autem illa nocte, quâ deliberaverat dimittere habitum, & redire ad sæculum, quòd oportebat eum transire Altare, ubi, sicut consueverat, genuflexit, & statim fuit raptus in spiritu, & ostensa fuit sibi mirabilis visio. Vidit enim quasi multitudinem infinitam coram eo processionaliter transeuntem, omnes verò, qui in illa processione beatâ erant, bini incedebant, & erant vestiti in ornatissimis diasperis. Facies autem eorum & manus, & quidquid apparebat de corpore, sole splendidius radiabat: & ibant cum cantu, & jubilo Angelorum solemnissimè & dulcissimè decantando. Inter quos duo Nobiliores cæteris incedebant, tantâ claritate velati, quod mirandum stuporem inspicientibus ingerebant, & quasi circa finem processionis prædictæ vidit etiam quendam tantâ gloria decoratum, quòd videbatur quasi novus miles ab omnibus singulariter honorari. Dictus autem Juvenis hoc videns mirabatur valdè, & nesciebat, quid hoc esset, nec interrogare transeuntes audebat, nec poterat, nimiâ dulcedine stupefactus. Sed cùm processio pertransisset, & ipse adhuc videns extremos, resumens audaciam cucurrit, & illos interrogans, dixit: O charissimi, rogo vos, quòd dicere placeat, qui sunt isti tam admirabiles, quos continet hæc veneranda processio? Illi verò convertentes ad eum splendidissimas facies dixerunt: Nos omnes sumus Fratres Minores, qui modò venimus de paradiso. Et ille rursum interrogans ait: Qui sunt illi duo, qui tam excellenter inter alios rutilant? Responderunt: Illi duo, cæteris clariores, sunt Beatus Franciscus & S. Antonius. Ille autem ultimus tantum honoratus, est quidam sanctus Frater noviter mortuus; quem (quia valenter contra tentationes pugnavit, & usque ad finem perseveravit in sancto proposito) ad gaudia æterni Regni cum gloria & triumpho perducimus, non solùm comitantibus Sanctis, sed etiam lætantibus Angelis. Ista verò vestimenta diasperi, quæ nos tam decora portamus, data sunt nobis propter asperas tunicas, quas in Religione patienter detulimus: & gloriæ caritas, quam tu vides, data est nobis à Deo propter humilem patientiam, quam fecimus, & propter sanctam paupertatem & obedientiam, & castitatem mundissimam, quam usque in finem hilari mente servavimus. Unde, fili, non sit tibi durum, saccum Religionis tam fructiferum deferre: quia si in sacco beati Francisci, amore Domini Dei nostri JESU Christi mundum spernendo, carnem mortificando, & contra diabolum dimicando, viriliter te habueris, nobiscum simili veste fulgebis. Et his dictis juvenis ad se rediit, & confortatus ex ipsa visione, omnem tentationem abjecit: Culpam coram Guardino & aliis Fratribus recognovit, asperitatem pœnitentiæ, & indumenti, ut divitias de cætero concupivit, & sic mutatus in melius, in sancta vita finivit.

XX. Ingravescente vi persecutionis, Præses Martianus sanctum Julianum post dira tormenta, & diversis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per omne corpus oneratum, jussit sub voce præconis civitatem circumire dicens: Hæc merentur Deorum rebelles, & Principum contemptores. Et cùm veniret ad locum, ubi Celsus unicus filius Præsidis studebat, ait puer ad condiscipulos suos: Rem inauditam video, illum scilicet Christianum, quem ducunt, cum multitudine albatorum colloquentem, & coronam super caput ejus ex gemmis & auro, cujus fulgor excæcat hujus aëris lucem, & alios tres viros albescentibus comis, alarumque volatu in similitudinem aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo servire, qui suos sic tuetur, & tali decore circumdat. Hoc audientes discipuli, & Magister ejus, blandè corripientes eum, ab intentione revocare conati sunt. At ille doctorum volumina abjiciens, etiam vestes, quas indutus erat, abjecit dicens: Nudum me mater fudit huic seculo, quod mundi est, mundo relinquo. Hæc dicens per plateas civitatis cursum arripuit, donec, ubi sanctus Julianus torquebatur, veniens, pedibus ejus prostratus, ait: Te secundæ nativitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco: Martianum verò genitorem meum, veritatis inimicum despicio. Tota autem civitas concurrebat, & filium Præsidis sic vulnera Martyris osculantem mirabatur. Si quis autem voluisset, ex præcepto Præsidis, puerum à Juliani complexu avellere, statim manus ejus & brachia contrahebantur. Præsentatis ergo eis Præsidi, ait Juliano Præses: Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis, & ipsum parentum amorem negare compellis. Hoc eo dicente advenit & mater cum multiplicata familia, crine soluto, & nudatis uberibus clamans. Quod videns Præses clamavit incisis vestibus ad Julianum: Juliane crudelis, aspice dolorem patris & matris, & planctum tantæ familiæ, & à magicis artibus innocentem solve, & ego Imperatoribus suggeram, ut illæsus abscedas. Cui ille respondit: Suffragiis tuis opus non habeo, nec dimitti desidero. Ecce adest, qui à te natus, modò credendo mecum renatus est, ipse tibi & matri respondeat. Respondit puer: de spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis, odorem suavissimum, nec frutex, qui rosas genuit, amittit aculeos suarum pœnarum. Ut ergo consuestis, pungite, & me odorem suavitatis credentibus propinare permittite. Vobis obediant, qui perire parati sunt; me imitentur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Christo vos parentes nego, & per vitam temporalem vitam æternam adquiro. Non possum in vos pius esse, & in me crudelis; Quid moraris? quasi incredulus & crudelis, nunc quasi Abraham, paternis manibus apprehende gladium, & victimam offer filium. Vani sunt vultus vestri, falsæ lacrymæ, ab hac confessione pietatis nemo me valebit disjungere. Mox ergo jubetur in tenebrosum carcerem vermibus scaturientem includi.

Surius in vita to. 1.

includi. Quem ingreſſus ſtatim tenebræ vertuntur in lucem, & ebulliens pœna diſparuit. Hoc videntes milites viginti converſi ſunt.

Hebr. 12. v. 2. XXI. Chriſtus Dominus, teſte S. Paulo, propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.

Heb. 12. v. 15. XXII. Moyſes, eodem teſte, magis eligebat affligi cum populo, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.

Pſ. 118. v. 1. 2. XXIII. S. David de ſeipſo fatetur: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes, propter retributionem.

Act. 7. XXIV. S. Stephanus lapides fortiter excepit, quia vidit cœlos apertos, & JESUM ſtantem à dextris virtutis DEI.

Beſſæus de nov. XXV. S. Serapion, cùm omnibus ſe nudaſſet, manu gerens Bibliorum Codicem ſolum, nudus per agros circumibat; ſciſcitantibus verò, quis eum ſpoliâſſet? hoc, ajebat, Biblia monſtrans; quo indicare voluit, ſe præmiis, quæ in hoc volumine promittuntur, illectum, omnia terrena ſprevisſe.

Surius 8. Sept. XXVI. Cùm S. Adriano nondum Chriſtiano, obſtupeſcendam Martyrum conſtantiam admiranti, & roganti, quid ſe tantâ patientiâ conſecuturos ſperarent: reſpondiſſent illi, ſe bona illa ſperare, quæ non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcenderunt; ita is amore Martyrii accenſus eſt, ut mox Chriſti fidem amplexus mortem pro Chriſto, totius corporis membris in fruſta diſſectis obierit.

Surius 22. Aug. XXVII. S. Symphoriani Mater Filium ſuum in graviſſimis tormentis conſtitutum ſic alloquebatur: Fili, eſto memor illius vitæ, quæ tibi in cœlo parata eſt: vide ibi & te ad æternam gloriam invitantem DEUM; neque enim vita tibi ſuppliciis eripitur, ſed in meliorem, beatioremque commutabitur.

Sanderus lib. 1. Schiſm. Angl. XXVIII. Cùm Thomam Morum in carcere detentum Aloyſia Uxor ſollicitaret, ut ſui, ſuorumque miſertus, iniquæ Regis voluntati diſſimulanter ſaltem pareret, eique, quot annis oblatis à Rege honoribus frui poſſet, quærenti reſponderet, viginti adhuc annis, ſi DEO placeret, frui talibus poſſe, reſpondit ille: Abi ſtulta mercatrix; tune me caducis viginti annorum bonis æterna commutare poſtules? abſit, ut talem ego emptionem faciam; quin potiùs omnia tormenta, mortesque mille ſuſtinebo, quàm ut æternam felicitatem tanto periculo exponam.

Drexel. l. 2. cal. c. 15. §. 5. XXIX Silvanus Abbas, cùm prolixiores preces finiiſſet, manus oculis apponens, ſic eos allocutus eſt: O mei oculi, diem vobis negari permittite, Claudamus has valvas, quæ vix unquam ſine periculo patent. Nihil eſt in orbe terrarum, quod dignum viſu ſit. Quidquid oſtentat terra, modicum eſt ac vile, nihil ad cœlum. In cœlo magna, pulchra, æterna ſunt. Illic abundabimus, DEUM videbimus.

Jucunditas.

Spec. Ex. v. cœl. glor. ex. 13. XXX. Miles quidam à ſocio ſuo defuncto ad convivium invitatus, cùm comparuiſſet, & ad ultimum duntaxat ferculum veniſſet, redire juſſus invenit Monaſterium loco domûs, ex qua exierat, ædificatum, ſeque ducentis annis emanſiſſe.

XXXI. Monachus quidam perſuadere ſibi non potens verum eſſe, quod Propheta dixit: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit: poſt Matutinum ab avicula ſuaviter cantante ſeductus, & per trecentos annos detentus eſt. *lb. ex. 14.*

Paucitas Salvandorum.

XXXII. Quo tempore Bertoldus ex Franciſcana Familia in Germania inter prædicandum Dei verbum acriùs in vitium invectus eſſet, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verùm, cùm omnibus in preces procumbentibus, paulò poſt revixiſſet, narravit omnibus mortis cauſam, juſſamque ſe ad corpus redire, ut peccatum illud confeſſione expiaret. Adjecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud imprimis horribile, & dictu etiam mirabile; Cum ipſa ad Dei tribunal apparuiſſet, adducta ſimul eſſe ſexaginta animarum millia, quæ in omnibus mundi partibus, fidelium & infidelium, variis caſibus exceſſerant ex hac vita, atque ex his tres tantùm addictas purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; unum autem ex Franciſcanis Fratribus, eodem ipſum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorii quidem locum tranſiſſe; ſed tamen non modò ibi diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ conjunctæ fuerant, ſecum in cœlum abduxiſſe. *Hieronymus Platus l. 1. c. 5.*

XXXIII. Cùm D. Bernardus Abbas Clarevallenſis ab hac vita migrâſſet, quod contigit Anno Domini 1153. Indictione 1. 13. Calendar. Septembris, Anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto, horrenda viſio Lingonenſi Epiſcopo facta eſt. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui Divino timore compunctus ante aliquot annos, cùm eſſet Decanus dives & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Chriſti amore intravit. Quem cùm de ſtatu ſuo, & divini Judicii diſtrictione interrogâſſet, ille reſpondit: Eâ horâ, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus Clarevallenſis Abbas qui eâdem horâ obiit, unà mecum ad cœlos evolavit; tres alii ad purgatorium miſſi ſunt; cæteri omnes per ſententiam juſti Judicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt. *Io. Trithemius ad Annum 1160.*

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. S Ignatius, cùm cœli pulchritudinem contemplabatur, exclamabat ſubitò; O quàm ſordet mihi terra, cùm cœlum intueor! *Vita l. 5. c. 1.*

II. P. Sebaſtianus à Campo in morbo extremo nolebat de Beatorum præmio, quo illum DEUS remuneraturus eſſet, loquentes audire, eò quòd indignum ſe tantô præmio judicaret. *Annua Prov. Sard. 1698.*

III. P. Georgius Colibrant in omni converſatione Prologi & Epilogi loco hæc verba uſurpabat: *ad vitam æternam*: Hinc ſi quis ſermonem *Annua Belg. 1609. f. 230.*

nem faceret de ejus laboribus, puerorum lusum vocabat.

Annus Bæt. domus prof. Hisp. 1605.

IV. P. Joannes Hieronymus ad mortem decumbens, cùm aliqui dicerent, se oraturos pro illo, ut DEUS illi vitam prorogare dignetur, respondit: Nescitis, quid petatis. Perpendite, quòd ego & Paradisi gloria unâ duntaxat cortinâ (corpus suum morbidum intelligebat,) dividimur.

Annus Lusit. 1598.

V. Sebastianus Baretthus Juvenis incredibili desiderio fruendi beatitudine accensus, cùm Fratres de æterna Felicitate ad lectum ejus canerent, inter hæc desideria animam efflavit.

Hist. Soc. p. 2. l. 1.

VI. Joannes Rodericius Grammaticæ Magister rogatus à Rectore, num aliquid animum torqueret? respondit, hoc unicum se timere, ne fortè vita prorogetur, sicque optata beatitudine pro voto suo frui non possit.

§. VII.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Rabanus super illud Matth. 20. multi vocati.

I. SIcut omnes quidem Canonici ad electionem veniunt, sed unus tantùm eligitur, sic multi quidem simul moriuntur, & in altera vita conveniunt; sed proh dolor! sæpe unus duntaxat alterve ad æternam vitam admittitur, uti pluribus historiis probatum est.

Anonymus.

II. Sicut si equus ad splendidum convivium invitaretur, nihil aliud sibi imaginaretur apponendum, quàm optimam avenam & aquam frigidissimam, ac purissimam, quia nullas alias delicias novit; ita & nos homines cùm nullas alias ferè delicias, quàm eas, quas sensu percipimus, agnoscamus, non meliùs cœlestes voluptates apprehendere aut explicare possumus, quàm per epulas, potum, & similia.

III. Sicut si ingressus palatium, cerneres coquinam, stabula &c. auro incrustata, & gemmis ornata, summam æstimationem præconciperes de ipso regio conclavi & ingens illius videndi desiderium haurires; ita & dum ea, quæ in hoc mundo conspicis, tam præclara vides, majora de cœlo concipe, ad S. Augustini imitationem, dum ait: O Domine, si tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in Patria? si tanta amicis & inimicis, quid est, quod solis amicis servâsti? si tanta solatia in hac die lacrymarum tribuis, quanta in die nuptiarum conferes?

S. Aug. in libr. med.

S. Franc. Sales. de amor.

IV. Sicut corallum, quamdiu intra maris aquas latet, molle admodum est, & omnibus injuriis expositum: extractum verò ex aquis mox solidum & quasi immutabile efficitur; ita homines, quamdiu in mari hujus mundi degunt, molles sunt & mutabiles; solidantur verò, & confirmantur in gratia, quando ex mari hujus mundi extracti, Beatis associantur.

S. Fulgent. in epist.

V. Sicut per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quâ nos ipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens est, videmus; sic per speculum divinæ charitatis & ipsum DEUM, ut est, videbimus, quantùm creaturæ possibile est: & nos ipsos, & omnia alia, verâ & certâ scientiâ cognoscemus.

VI. Sicut Sol unicus mundum magis, quàm omnia alia cœli luminaria illuminat; ita solus DEUS magis animam satiat, quàm omnium aliarum rerum possessio. *Granat. in loc. com. f. 838.*

VII. Sicut ursi alvearia invadunt favorum dulcedine illecti, quos illic melle plenos esse autumant, nec apum aculeos curant; sic qui DEUM gustare cœperunt, æternæ beatitudini toto desiderio inhiant, nec adversitates propter illam tolerandas æstimant. *Staplet. Dom. sept. t. 7.*

VIII. Sicut Mercator locuples in Emporium vadens, ut merces emat, pro vilioribus statim pretium persolvit; pro pretiosioribus verò ad certum tempus se soluturum pollicetur; ita DEUS morales & civiles virtutes ac opera solvit, ac præmiat in hac vita; supernaturales verò virtutes ac merita in altera vita se remuneraturum promittit. *Ibid.*

IX. Sicut oculus unus verti non potest, quin vertatur & alius, in eandem partem; sic etiam corpus & anima, vel Societas illa Justorum nihil poterunt velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebunt. *S. Anselm. l. de simil. c. 63.*

X. Sicut corporis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibos non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes Sancti, licet aliqua graduum suorum diversitate sint distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri sunt. *S. Prosper. l. 1. de vit. contempl. c. 4.*

XI. Sicut Sol in ædificium suos radios sic mittit, ut omnes quidem partes illuminet, sed magis eas, quæ ampliores sunt, & magis capaces; ita DEUS omnes quidem Beatos per lumen gloriæ illuminat, sed magis eos, qui per plura merita sese capaciores effecerunt. *Beirl. in festo SS. Phil. & Iac. t. 1.*

XII. Sicut alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, & tamen in eodem omnes firmamento sunt stabilitæ; sic, licet Sancti discrepent in merito, omnes tamen in immortalis & æternæ beatitudinis firmamento manent stabiliti. *Ibid.*

XIII. Sicut in corpore humano, vel pes loco aut officio manûs, vel manus pedis fungi non exoptat, aut os vel nasus, ubi oculi sunt, aut oculi ubi os & nasus, relictis sedibus non cupiunt transferri; aut, si transferrentur, convenienter & sine injuria, non id paterentur; eodem modo in illa admirabili & glorificata dispositione, & æquè disposita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit, amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit: Quare? quia cuique satis erit sua felicitas, & beatitudo sibi pro meritis suis misericorditer impertita. *S. Anselmus l. de similit. c. 64.*

XIV. Sicut oculus unus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic etiam corpus & anima, vel societas illa justorum, nihil poterunt velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebunt. *Idem c. 68.*

Utilitas beatitudinis consideratæ.

XV. Sicut stilla aquæ modica, multo infusa vino puro, à se deficere tota videtur, & saporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum candens ignitum, simillimum igni fit, pristinâ, propriaque formâ exutum; & quomodo *S. Bernard. de diligendo Deo.*

solis

solis luce aër perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

S. Greg. l. 8. mor. c. 5. XVI. Sicut mercenarius agricola omnibus aëris injuriis expositus arat, occat, fodit, sudat, & laborat, nec eum toto die hosce labores continuare piget, quia ad mercedem, quam ex diurno labore sibi comparat, cor & animum suum directum habet; sic electi quique dum mundi hujus adversa patiuntur, cùm inhonestates contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur, pensant; sed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ considerationē tendunt, ex comparatione præmii, quàm sit leve, quod patiuntur, inveniunt.

S. Cypr. ep. 6. XVII. Sicut Filius, qui in exilio esset, & sciret, se avidissimè ab amicis & Parentibus exspectari, & desiderari, avidissimè utique in Patriam abire cuperet; ita & meritò quivis homo ad cœlum properare deberet, ac suspirare, cùm sciat, se avidissimè à Deo, Sanctisque ejus exspectari.

Anon. XVIII. Sicut is, qui sciret sibi in Hispania perpetuo vivendum, utique ibi domum & habitationem præstantissimam ædificaret, eamque omnibus rebus necessariis optimè instrueret; ita multò magis quivis homo conabitur merita virtutesque augere, si meminerit, se æternam in cœlis mansionem sperare.

Stapl. in dom. sept. thes. XIX. Sicut avarus si incidat in tabulas thesaurum indicantes, advertat autem locum, in quo thesaurus absconditus est, non sine multo labore & sudore adiri posse, nulli labori parcet, ut thesaurum obtineat, quia avarus est, cui ad pecunias congerendas nihil arduum videtur; sic vir pius & DEO frui desiderans, inventis Scripturæ tabulis, quæ docent, servis fidelibus vitam æternam in præmium promitti, nulli labori parcet, ut ea potiatur.

2. Cor. 4. XX. Sicut pondus grave, si levioribus rebus imponatur, eas comprimit, & constringit; sic momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Dignitas.

Manst. disc. 2. n. 14. XXI. Sicut is, qui indubitatum jus habet, ut in Regno aliquo succedat, Rex communiter vocari solet, tametsi sceptrum Regni illius actualiter non moderetur; ita quoque dici posse videtur, quòd is, qui gratiam DEI in anima sua possidet, quæ pignus quoddam & semen est gloriæ, Regnum quoque DEI intrà se habeat.

Perpetuitas.

Idem disc. 16. n. 12. XXII. Sicut corallus, licet arbusculum tenue & flexile sit, mox tamen, ubi ex aqua extrahitur, solidatur, & indurescit, nec ampliùs flecti se patitur, colorem quoque suum pallidiusculum in rubicundum mutat; eodem modo nos, quamdiu in mari hujus mundi constituti sumus, continuis lapsibus, iisque periculosis subjicimur, continuam contra nosmetipsos luctam experimur: & prævaricari facilè possumus. At verò ex hujus maris undis extracti, & in aliam vitam translati, in amore DEI solidi, & constantes efficimur, atque in beatitudine immutabilem quendam statum nobis comparamus. Unde S. Bonaventura ait: De hujus regni, & convivii æternitate dicit Augustinus: O vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata vita sine fine.

§. VIII.

MOTIVA.

Ad beatitudinem quærendam.

I. *Quia in cœlis sunt meri Reges*, uti Jeremias Propheta indicavit, dicens: *ingredientur per portas Civitatis hujus Reges & Principes sedentes super solium*; Quàm nobilis Societas, inquit ibi Doctor Seraphicus, quàm glorioſa civitas illa esset, in qua nullus omninò nisi Principes & Reges habitarent; Si in civitate aliqua, duos civium Milliones numerante, nemininem videres alium, quàm Principes, Reges, Papas, qualis in tali Regnorum & Monarchiarum Metropoli nobilitas & magnificentia reluceret! Pergit autem idem S. Bonaventura de Regno Cœlorum ulteriùs dicere: Reges utique sunt, qui de manu supremi Imperatoris coronam Regni accipiunt. *Jerem. 6. 17.*

II. *Quia voluntas beatorum semper impletur*; sicut enim Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis ullatenus obstet; non elementum, quod nobis ad velle nostrum promptum omninò non extet. Quod confirmans Angelicus Doctor ibi ait, voluntas cujusque semper & ubique complebitur, juxta illud S. Augustini: Omnipotentes erunt voluntatis suæ, sicut DEUS suæ. *S. Anselm. de similit. c. 53.* *S. Thom. Opusc. 63. c. 4.*

III. *Quia*, ut idem S. Doctor testatur, *ubi nullus alteri subjicitur, ibi cessabit omnis prælatio*, sed soli Deo omnes subjecti sunt. *Ibidem.*

IV. *Quia ibi omnes pulchritudine summâ sunt præditi*; Nam S. Vincentius Ferrerius corpus aliquod glorioſum septies sole luminosius futurum scribit, unde id ipsum arguit, quòd si Deus ad mundum illuminandum glorioſo aliquo corpore, loco solis uteretur, hoc majori lumine mundum perfunderet, quàm quo sole illustratur. Quod confirmans S. Augustinus, hujus corporis claritas, inquit, tantùm solem excedit, quantùm sol nostrum corpus in claritate præcellit. Si ergo unicus tantùm sol in cœlo suo constitutus omnes homines, animalia & plantas lætificat, vitam & calorem omnibus viventibus submministrat, tótque alios admirandos hîc in terra, quæ vallis est lacrymarum, effectus producit, quale gaudium, qualis lux & claritas in cœlo empyreo ex tot innumerabilium animarum beatarum, & glorioſorum corpo- *S. Vincent. Ferrer. ser. 3. in Dom. in Albis.* *S. Aug. to. 9. tr. 5. c. 47.*

rum consortio coruscabit, ubi hæc velut totidem soles luminosa erunt, suosque radios in illam civitatem Dei ex auro instar crystalli coriusco stratam, totique inæstimabilibus & splendentibus gemmis locupletatam effundet?

V. *Quia omnes beati impassibiles erunt*, quæ impassibilitas resultabit ex virtute animæ suum corpus potenter retinentis, ita quòd à nullo exteriori agente immutari valebit. Unde in Apocalypsi dicitur: *Abstergetur Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum; etiam non erit amplius neque clamor, sed nec ullus dolor.* Ibi lætitia, ut S. Augustinus notat, sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, bonum sine omni malo. Ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit.

Apocal. c. 7.

S. Aug. in solil. c. 35.

VI. *Quia summè agiles erunt iidem Beati*; nam teste S. Bernardo tanta credenda est futura corporum levitas; & agilitas Beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Hujus autem velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali pertingit usque ad ultimum plagæ Occidentalis, ut eo perpendamus non esse impossibile, quod de nostra dicimus futurâ celeritate, præsertim cùm rebus animatis soleat inesse major velocitas, quàm inanimatis.

S. Bern. ser. 4. in Fest. Omn. SS.

S. Anselm. de similit. c. 51.

VII. *Quia summa intra Beatos unio & concordia erit*; nam ut S. Laurentius Justinianus notat, tanta vis in illa cœlesti pace nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet; Una cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. Et confirmans id ipsum S. Anselmus, ibi inquit, erit tam perfecta & beata charitas justorum, quòd unusquisque in tantùm diligit proximum suum, quantùm seipsum, ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quòd ita unusquisque de alterius bono, vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio, proinde cùm inenarrabilis sit numerus Electorum, quis putas, narrare sufficiat gaudium Beatorum? Ibi virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito: Ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio; ibi Confessor de Martyris jucundabitur triumpho; Ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio; ibi Propheta lætabitur de Patriarcharum pia conversatione; ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona superiorum. Omnibus erit una voluntas, ut S. Anselmus ait, quasi nulla esset iis, nisi Dei voluntas; ideo erit omnibus plena concordia, & ideò sicut volent illi non aliud, quàm quod ille, ita volet, quidquid volent illi, & ideo Filii Dei, & Dii vocabuntur, cujus rationem genuinam reddens S. Augustinus, hæreditas, inquit, in qua cohæredes Christi sumus, non multitudine minuitur filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.

S. Laur. Just. de lign. Vit. c. 7.

S. Anselm. l. c. 59.

VIII. *Quia jucundissima erit in cœlis Societas*, ut iterum S. Anselmus notavit, dicens: Ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere, quia enim quisque sicut se alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua, gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot tantisque beatitudinibus Sanctorum jubilabit? Quòd si tantùm de aliis, quos ut se diliget, gaudebit, quantùm de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium ei erit intus & extra, gaudium sursum & deorsum, ubiq; gaudium plenum.

S. Anselm. de similit. c. 71.

IX. *Quia ibidem erit perfecta perpetuitas omnium gaudiorum*, teste S. Augustino dicente: Quæ dat (Deus) in præsenti, temporalia sunt, quæ autem in futuro sæculo se promittit suis daturum, æterna sunt. Temporalia bona difficilè acquiruntur & acquisita facilè dilabuntur, & quæ habita sunt, cum gravi sollicitudine custodiuntur, & cum dolore amittuntur, & amissa cum gravi labore recuperantur: Futuri autem sæculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio & quiete possidentur, cùm semel quis acceperit, ita securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. Cui consentiens S. Bonaventura, cujus cursus, ait, sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova jucunditas, & sine timore amittendi continuata felicitas.

S. Aug. Medit. c. 10.

S. Bonav. in solil.

X. *Quia brevis labor exigitur ad beatitudinem obtinendam*, nam ut S. Augustinus notavit, Dei ineffabilis & immensa bonitas, inquit, etiam hoc providit, ut laboris quidem tempus, & agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternum, sed breve, & ut ita dicam, momentaneum. Et alibi, qualis misericordia Dei? non dicit: decies centena millia annorum labora; non dicit: vel mille annos labora, cùm vivis, labora in paucis annis, indè jam requies erit, & finem non habebit: Momentaneum hoc &c. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos.

S. Aug. ser. 37. de Sanctis.

Idem in Ps. 93.

XI. *Quia facilis est via perveniendi ad beatitudinem*; non enim exigitur, ait S. Thoma S. Villanov. hodie à te, O Christiane, mors, non sanguis, non supplicia; ama, & regna; quid facilius, quàm amare? O quàm constrata est via, & quàm plana! ut diligendo pervenias, quò pervenit Laurentius patiendo, cujus rationem assignans Paulus de Palatio, non pigeat, ait, audire causam, cur Dominus solam charitatem & misericordiam delegit, cui possessionem regni tribueret; causa est, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo; at sola charitas deduxit Christum ad nos, igitur sola charitas efferet nos ad Christum.

S. Thom. Villan. Conc. Quinquag.

XII. Quia memoria hujus beatitudinis est remedium potentissimum ad peccata vitanda; quis enim vellet esse impius in patriam, cui æternus civis adscribi cupit? Dicet sanè is mundo ac carni, quod olim Demosthenes meretrici allicienti fertur dixisse: Tanti pœnitere non emo:

Bessæus in nov.

XIII. Quia

XIII. Quia eadem memoria vehementer ad pugnam animat; si enim David ob Michol promissam tam fortiter contra Goliathum pugnavit, quomodo non fortiùs pugnabit, cui beatitudo promissa est?

XIV. Quia mirè addit animos ad laborandum, omniaque adversa fortiter toleranda, si enim Gubernator navis non fluctus, sed commodum: miles non cædem & vulnera attendit, sed triumphum & victoriam: Agricola non tempestates, sed messem: Ambitiosi non difficultates & sumptus, sed dignitatem considerant; quidni & Candidatus dignitatis cœlestis, desiderio regni cœlestis consequendi, omnes difficultates & pericula spernat?

XV. Quia jucundos facit labores; si enim Jacobo Patriarchæ viginti anni videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, quo erga Rachelem ferebatur; quàm brevis & jucundus videbitur labor pro visione DEI consequenda impensus?

XVI. Quia cœlum Patria est, ad quam fruendam & contemplandam nati sumus; hinc Philosophi hominem arborem inversam dixerunt, cujus radix cœlum spectet, eò quòd inde succum trahere oporteat. Hinc etiam DEUS os homini sublime dedit, cœlumque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Id quod Anaxagoras agnovit, dum sciscitanti, cur natus esset; ut cœlum contempler, respondit.

§. IX.
MEDIA.

Ad beatitudinem obtinendam.

S. Euseb. Emissenus in c. 11. Luc. v. 9.

I. *Desiderium ardens*, uti S. Eusebius monet: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis*, id est, ut petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando, & in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Certè quapropter Deus à nobis hoc desiderium requirat, testatur S. Vincentius, dum narrat, quòd, cum quidam eximius Dei servus, qui *S. Vincent. Ferrer. in Fest. Omn. SS.* cum magna sanctitatis opinione semper vixerat, ad alteram vitam moriendo transisset, vehemens quendam suorum amicorum incesserit desiderium sciendi, an anima ejus rectà volâsset ad cœlum, cumque super hoc Dei responsum sibi revelari ardenter petiisset, anima dicti servi igne circumdata ei apparuit, & terrefacto ex hac apparitione amico suo dixit, se in purgatorio ad aliquod tempus condemnatam hærere, eò quòd in vita sua cœli gloriam eo, quo par erat, ardenti desiderio non quæsisset, aut desiderâsset.

1. Cor. c. 2. v. 9.

II. *Charitas seu dilectio Dei*; uti S. Apostolus indicavit, dicens: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus.* Sed quibus? *iis, qui diligunt illum*, adeò ut S. Thomas firmiter hanc statuat conclusionem: Qui plus diligit, majorem locum habebit.

Luc. c. 24.

III. *Patientia constans in tribulationibus.* Juxta Christi testimonium: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et illud Actuum Apostolorum: *Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.* *Act. c. 14.*

S. Bernardinus Ser. 5. post Epiph.

Hinc S. Bernardinus quoque ait, Deum ante Paradisum constituisse Angelum cum flammeo gladio, ut significaret, quòd nullus possit intrare in Regnum Dei, nisi transeat per flammeum gladium, atque versatilem, qui positus est ad custodiam ligni vitæ; sed hoc nullus potest facere, nisi per patientiam in tribulatione, gladius enim flammeus atque versatilis tribulatio est, affligens animam & corpus. Cujus ulteriorem reddit rationem Jos. Mansi sic discurrens: Testa jure regula est; quòd hæres possessionis alicujus majus in illam jus habere nequeat quàm testator habuerit; Ac proinde cùm Christus discipulis suis, ac consequenter nobis omnibus, sub iisdem oneribus & obligationibus regnum suum relinquat, quibuscum ipse illud abæterno Patre suo accepit, consequens est, quòd si in supernæ illius hæreditatis possessionem subingredi volumus, onera quoque & obligationes illius adimplere necessariò debeamus. Unde Cajetanus verba illa: *Dispono vobis &c.* ita explicat: Similes mihi dispono vos futuros in Regno qui perseverâstis mecum in afflictionibus. Prius enim Apostolus dixit: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; & postea subdit: *Et ego dispono vobis Regnum.* Hinc idem alibi dixit: Beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sicut ergo Mercator prudens, qui vult cito ditescere, ibi merces emit, ubi in magna copia habentur, ut postea revendat, ubi raro inveniuntur: sic justi in hac vita multos pro DEO labores suscipiunt, velut vulgares merces, ut in altera vita copiosam à DEO mercedem percipiant. Hinc ipse Christus dixit: Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint, omne malum adversum vos mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.

Mansi disc. 23. n. 2.

Matth. 6. v. 10.

Ibid. v. 11.

Didac. Nissenus §. 4. in Dom. 1. post Epiph.

IV. *Pœnitentia seria*; hinc B. Virgo olim ad Christum dixit: *Dolentes quærebamus te*: ut nos doceret, ut siquidem invenire eundem in templo gloriæ volumus, ubi in medio Angelorum, & aliorum cœlicolarum positus omnes suo aspectu beatos efficit, ad eum modum quo Maria & Joseph, quæramus illum dolentes cum luctu & lacrymis, per opera pœnitentiæ, & tolerantiam adversitatum. Qui enim Deum glorioſum aliter quærunt, illi spe suâ frustrabuntur, & non invenient. Non incommoda quoque huc veniet quædam mellifluæ Doctoris observatio: Sponsum invitabat sponsus ut sursum erectis cogitationibus, relictisq; rebus hisce terrenis aspiraret ad vitæ futuræ quietem, utque alacrem illam redderet, ajebat: *urge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*; Cant. 2, 10. *Vide simul, quam vernet patria nostra floribus, quam flagret rosis: flores apparuerunt in terra nostra.* S. Bernardinus in horum expositione ait: In eodem Cantico evidenter expressum est, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed quid mysterii habet apparitio florum conjuncta cum auditione turturis?

S. Bern. in c. 2. cant.

ris? Flores Symbolum gloriæ ſunt, turtures typus pœnitentiæ, & animi ex recordatione malè actæ vitæ mœſti, ac triſtis, quod S. Gregorius Magnus, Pierius Ricciardus, Lauretus & alii affirmant. Et rectè hominem pœnitentem ſcelerum ſuorum, & allacrymantem peccatis hæc avis deſignat, quæ pro cantu gemit, & querulas dat voces. Quòd ergo Sponſus fragrantes flores, quibus gloria ſignificatur, cum gemebundis turturibus, pœnitentiæ ſymbolis, conjungit, tantundem eſt, ac ſi dixiſſet, ſeparari horum aliud ab alio non poſſe, ſed neceſſum eſſe, ut per amaritudinem pœnitentiæ, per acerbitatem luctus, ac ſuſpiriorum tranſeat, qui ad amœnitatem æternùm vernantis, ac florentis gloriæ anhelat, nec enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.

S. Bernardinus ſer. de pauperi. in proœmio.

V. *Contemptus mundi & rerum terrenarum*, uti S. Bernardinus per aptum Apologum oſtendit, dum ait: Patrem quendam fuiſſe, qui duas habebat filias, aliam facie valdè decoram, turpem verò valdéque deformem alteram, quarum primam quidem ſinguli procabant; aliam verò nemo non abominabatur, quæ dum cum hæc apud patrem querulâ voce lamentaretur, pater, ut eam conſolaretur, bono eandem animo eſſe juſſit, ſubdens, quod primæ nullam aſſignâſſet dotem, ipſi verò, id eſt, deformi omnes ſuas facultates feciſſet dotales, tametſi hæ regnum facilè adæquarent. Moxque prædictum Apologum in ſenſu morali explicans, per patrem DEUM intelligit, per filiam verò apparenter ſpecioſam, proſperitatem mundanam, per deformem verò paupertatem exponit; Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Deus Regnum ſuum, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* Quantò autem facilius eſt unicuique, paupertatem profiteri, quàm divitem eſſe. Conſonum hoc ei quod Chriſtus alibi dicit: *Amen dico vobis, quod omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Matth. 19. v. 29.

S. Laur. Juſt. l. 2. de ir. anu.

VI. *Miſericordia erga miſeros*; uti S. Laurentius Juſtinianus indicavit dicens; Venalis eſt beatitudo cœleſtis, & tanti valet, quantùm quis poteſt expendere. Hanc per egenorum ſuſceptionem ſibi vendicavit Abraham; Job per miſerorum compaſſionem; Tobias per defunctorum exequias, Zachæus per diſtributionem dimidii bonorum ſuorum, vidua duobus minutis, alii vero pro calice aquæ frigidæ.

S. Chryſoſt. hom. 57. ad pop.

Quod ipſum etiam S. Chryſoſtomus confirmavit in perſona DEI ſic loquens: Pretium non appono, ne objicias inopiam, quanti potes, tanti eme; habes obolum, eme cœlum. Non habes obolum, da calicem frigidæ aquæ, da panem, & accipe Paradiſum. Unde S. Auguſtinus, quid potentius, ait, quàm ut regnum Cœlorum non ſolùm Zachæus emat dimidio rerum ſuarum, ſed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterque poſſideant? Quid potentius? quàm ut idem regnum & theſauris diviti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?

S. Aug. in Pſalm. 111.

Pſ. 118. v. 1.

VII. *Immaculata vita*: ſeu mandatorum obſervatio, juxta illud Pſalmiſtæ: Beati immaculati in via: tanquam diceret, inquit S. Auguſtinus, ſcio, quid velis: quæris beatitudinem. Si ergo vis eſſe beatus, eſto immaculatus. Quis enim aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde. Hinc & Chriſtus Adoleſcenti quærenti, quid faciens vitam æternam poſſideret? reſpondit: ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

Pſ. 23. v. 3.

Matth. 19. v. 17.

VIII. *Mortificatio Paſſionum ordinatarum*: nam teſte Servatore, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Matth. 11. v. 12.

IX. *Reſignatio ſui*: nam, ut S. Auguſtinus ſapienter dixit, res iſta, id eſt, regnum cœleſte, aliud non quærit pretium, niſi teipſum. Tantùm valet, quantùm es tu. Te da, & habebis illam. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum dedit, ut acquireret ſe regnum DEO Patri. Ita & tu teipſum da, ut ſis regnum ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitione vitæ.

S. Aug. ſ. 37. de Sanct.

X. *Conſideratio ſeria cœleſtium gaudiorum*; Nam ut S. Gregorius notavit, ſi ſemel quisque ad æterna ſe erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil eſſe hoc conſpicit, quicquid ad finem currit. Imo teſte S. Thomâ Villanovâ: momentum tibi erit vita præſens, ſi oſculum dirigas ad æternum præmium, tranſit cito, quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat. Et quo altiùs in æternorum civium viſione quis-piam ſuſpenditur, eo & ſibi fortior, & aliis utilior invenitur, ait iterum S. Gregorius.

S. Gregor. l. 10. moral. c. 19.

S. Thom. Villan. in conc. funeb.

S. Greg. in lib. 1. Reg. c. 9.

§. X.
ASCETICA.

IN primis noſſe debet *Aſceta naturam & eſſentiam Beatitudinis*, quod ſcilicet conſiſtat in perfecta & ſecura fruitione Dei; cùm ipſi etiam Philoſophi jam olim dixerint, niſi ſtabili, & fixo bono beatum neminem eſſe poſſe. Tale autem bonum cùm ſit ſolus DEUS, merito beatitudo in illius fruitione, quæ fit per viſionem & amorem inde conſequentem, conſiſtere dicitur. Diſtinctè magis Beatitudinis naturam inſinuat S. Antonius Paduanus, dum ait: primum gaudium à dextris eſt de jucunda Angelorum ſocietate, quando inter Sanctos tanta erit claritas, ut gaudiorum ſingulorum ſit omnium commune. Neque enim anima glorificata ſolùm in gaudium Domini ſui intrabit: *Intra in gaudium Domini tui*; verùm etiam in gaudia ingredietur omnium beatorum, cunctorumque Angelorum in genere, & in ſpecie. Secundò, de beatitudine & ſtola propria animæ, quando lætitia ſempiterna erit ſuper caput eorum, & gaudium & lætitiam obtinebunt. Iſaiæ 58. *implebit ſplendoribus animam tuam.* Tertium, de Reſurrectionis expectatione, quando in terra ſua duplicia poſſidebunt. Quartum, de admirabili Chriſti hominis fraternitate, quando carnem illam glorioſam oculo ad oculum videbimus, quando poterimus eum vocare fratrem, & dicere os meum, & caro mea. Adducitque Authoritatem S. Bernardi dicentis:

Cic. 5. Tuſc.

S. Anton. de Padua apud Manſi diſc. 7. n. 5.

Plenum

Plenum prorsus omnis suavitatis dulcedine, hominem videre hominis Conditorem, hoc gaudium speciale præ Angelis habebimus. Quintum, de manifesta Trinitatis cognitione. Sextum, de horum omnium æterna & secura possessione: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis* Apocal. 3. *Foras non egredietur amplius.*

II. Nôsse debet *dignè æstimare hanc beatitudinem*; quod obtinebit, si omnia vana duxerit, quæcunque non ad hanc beatitudinem consequendam ordinantur; cùm enim tota felicitas animæ in possessione finis sui consistat, finis autem illius sit possessio DEI, meritò vana & inutilia reputantur omnia, quæ non ad hunc finem, à quo bonitatem suam accipiunt, ordinantur.

III. Nôsse debet *solidam praxin se per hanc beatitudinem ad contemptum rerum terrenarum, aliaque media ad ipsam obtinendam conducentia excitandi*; quam quidem praxin breviter indicavit S. Hieronymus sequentibus verbis: Quotiescunque te vana sæculi delectaverit ambitio: quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad Paradisum mente transgredere: esse incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere: Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flammæ obruent eam. Eodem modo in adversis casibus solatium à beatitudine futura petendum esse, idem Sanctus Demetriadem monuit dicens: Respice, quod promissum est: omne opus leve solet fieri, quando ejus pretium cogitatur; & spes præmii solatium est laboris. Certè S. Gregorio teste, mala præsentis vitæ tantò duriùs animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit: & quia non vult præmia considerare, quæ restant, gravia æstimat esse, quæ tolerat. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit.

H. Hier ep. 22. ad Eustoch.

Idem ad Demetr.

S. Gregor. l. 10. mor. c. 12.

IV. Nôsse debet, *duplicem Beatis coronam esse præparatam, scilicet auream & aureolam.* Aurea dicitur præmium substantiale, quod consistit in tribus, scilicet in visione Dei clarissima, in fruitione suavissima, & in recreatione securissima, de qua dicitur: *Corona aurea supra mitram ejus*, quæ est ornatus Pontificum, quia omnes Sancti non solùm erunt Reges omnipotentes voluntatis suæ, sed etiam erunt Sacerdotes & Pontifices, offerentes Deo semper sacrificium laudis, & ideo dicitur: *Fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.* Alia corona dicitur aureola, id est, coronula parva; redditque coronæ hujus rationem dicendo, quòd sit gloria quædam specialis accidentalis, quæ Sanctis quibusdam propter excellentiora quædam opera communicatur: Datur tribus generibus operum; *Virginibus*, & hæc est *florea*; *Martyribus*, & hæc est *gemmea*; *Doctoribus*, & hæc est *stellata.*

S. Bonav. in Diæt. sal. l. 10. c. 2.

V. Nôsse debet, *cur Beatitudo à Christo gaudium plenum dicatur*, nimirum propter tria. Primò, quia adimplebit totum animi appetitum, de qua Propheta ait: *Adimplebit me lætitiâ cum vultu suo.* Secundò, quia consistit in visione, fruitione, & possessione plenissimi & consummati boni, quod est Deus trinus & unus. De quo immenso & infinito bono intelligendum esse dicit Textum illum Exodi cap. 33. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Tertiò, quia tale & tantum gaudium omninò inamissibile est. Unde S. Joan. 16. dicit discipulis suis: *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* S. Bonaventura per 12. fructus explicat horum gaudiorum plenitudinem; quorum primus est, sanitas absque infirmitate. Secundus, juventus sine senectute. Tertius, satietas sine fastidio. Quartus, libertas sine servitute. Quintus, pulchritudo sine deformitate. Sextus, impassibilitas, vel immortalitas. Septimus, abundantia sine indigentia. Octavus, pax sine perturbatione. Nonus, securitas absque timore. Decimus, cognitio absque ignorantia. Undecimus, gloria sine ignominia. Duodecimus, gaudium sine tristitia. S. Bernardus per similitudinem coronæ duodecim stellarum eandem plenitudinem demonstrat; quarum prima est, memoria sine oblivione: secunda, ratio sine omni errore: Tertia, voluntas sine omni perturbatione. Quarta, impossibilitas moriendi, quia resurget corpus incorruptibile. Quinta, claritas, quia configuramur claritati Christi corporaliter. Sexta, agilitas, ut corpus sit agile secundum agilitatem mentis. Septima est subtilitas, ut corpus nostrum penetret omnia corpora. Octava est, ut quilibet diligat alterum, sicut seipsum. Nona est, videre, quòd proximus quilibet diligit ipsum sicut seipsum. Decima est, Deum perfectè diligere, & plus quàm se ipsum. Undecima est, diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima est, videre Deum se diligentem, plus quàm homo ille diligat se ipsum.

S. Bonav. l. c. c. 4.

S. Bernardus ibidem.

VI. Nôsse debet, *quibus mediis oporteat obtinere beatitudinem*, de quibus discurrit Mansi: S. Ambrosius in ea est opinione, quòd, quando se Deus Moysi in spineto, sine rubo spinoso videndum exhibuit, mysterium incarnationis nobis, licet, à longè, præfigurare voluerit: Per rubum Christum intelligendum existimo, secundùm quod homo est; flamma vero rubi ejus Divinitatem figuravit. Quô suppositô, quærendum venit, cur Deus non potiùs in alia quadam arbore vel planta nobiliori, v. g. Platano, cedro, vel alia simili, apparere voluerit? cur videri voluit intra densum quoddam dumetum, spinis & sentibus undique obseptum? Cur non potiùs se rosas inter & flores conspiciendum exhibuit? ipse quidem lilio comparatur; *sicut lilium*; sed inter spinas constituto. Unde Seraphicus Doctor ait: volve & revolve vitam boni JESU, & non invenies eum, nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit. A primo instanti, quo filius Dei hac se mortalitate nostrâ vestivit, nusquam illum alibi, quàm inter spinas inveniemus. Unde & S. Eusebius ait: Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta! Ecce per totum mundum in Sanctis Apostolis atque Martyribus felicitati adversitas viam fecit, saluti perditio militavit, & ostium vitæ claudit, gloriæ patefecit.

S. Ambros. in c. 6. Exod.

S. Euseb. hom. de SS. Elph. & Alexandro.

VII. Nôsse debet, *cur Deus per tribulationes voluerit beatitudinem obtineri*; de qua quæstione sic Mansi discurrit: Lactantius Firmianus optimè considerat, quod, licèt Deus adeo se erga hominem benignum, & propitium exhibuerit, ut in eum ad imaginem, & similitudinem suam

S. Bernardinus to. 2. ser. 49. c. ult.

Mansi disc. 24. n. 4.

à se creatum, pretiosissimos quosque cœli thesauros infuderit; ex altera tamen parte corpus illi dederit corruptibile, millenisque miseriis & ærumnis subjectum; sed quonam fine id eum feciſſe existimas? Ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum; sed quâ utilitate id fecit? Per quam possit gloriam immortalem adipisci, ne immortalitas homini sine ulla difficultate constaret; Et quidem horum ultimorum verborum Eusebius Emissenus rationem assignat, dicens: Non vult Deus bona sua nimiâ inveniendi facilitate vilescere, pretiosa & concupiscibilis merces cupidum amatorem, & avidum negotiatorem requirit. Quid avari continuò laborando non sustinent, ut opulentas sibi facultates congregare valeant? Et cœlum nobis acquirere volemus quietè & suaviter dormiendo?

§. IX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 14. v. 16. I. EX occasione thematis: *Homo quidam fecit cœnam magnam*: potest Beatitudo huic cœnæ comparari, & ostendi 1. cur dicatur magna, scilicet propter *invitantem*, qui est magnus & laudabilis nimis: propter *convivas*, qui omnes sunt Principes & Reges cœli: propter ipsam *cœnam*, quæ perfectissimè famem expellet, & tamen appetitum relinquet; *Ps. 16. v. 15.* juxta illud: Satiabor, cùm apparuerit gloria tua: Sed & sitim copiosissimo gratissimoque potu levabit, juxta illud ejusdem Psalmistæ: *Ps. 35. v. 9.* Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. Ut meritò tandem exclamet cum admiratione. *Ps. 30. 20.* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! propter *Durationem*, quia per totam æternitatem durabit juxta testimonium Christi dicentis: *Io. 16. v. 22.* Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et iterum: *Matth. 25. v. 26.* Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. 2. Ostendatur, quantam quisque curam meritò suscipere debeat, ut vestem nuptialem gratiæ ac charitatis habeat. Quàm libenter item interea à vilibus escis, id est, voluptatibus illicitis & carnalibus, abstinere debeat, ut tantò perfectius in illa cœna satietur.

Gen. 15. v. 1. II. Ex occasione thematis: *Noli timere Abraham; ego protector tuus sum, & merces magna nimis*: potest ostendi 1. cur Deus dicatur merces magna nimis; nimirum quia beatitudo, quæ hîc per mercedem intelligitur, & ex ejus visione oritur, tam magna est, ut Deus ipse majorem facere non possit, teste D. Thoma. Deinde quia magno, imò infinito excessu excedit omne hominum meritum. Præterea quia certissimè dabitur, quamprimum labor hujus vitæ fuerit finitus. Et ultimò, quia est merces stabiliter durans per totam æternitatem. 2. Ostendatur, si famuli & operarii hujus mundi propter modicam, incertam, & perituram mercedem tam fidele, promtumque servitium præstant suis Dominis carnalibus, quanta cum alacritate & fidelitate DEO ob tantam mercedem servire oporteat. Unde semper quisque sibi hos Famulos ob oculos ponere, illudque olim S. Augustini dictum objicere deberet: Potuerunt isti, & istæ, & tu non poteris.

III. Ex occasione thematis: *Apud te est fons vitæ*: potest ostendi, quàm meritò Beatitudo fons dicatur veræ vitæ, quia scilicet ex ea solidum gaudium, in quo vita constitit animæ in altera vita, hauritur *purius*, (cùm nihil ibi sit, quod corrumpere queat ejusmodi gaudium *recentius* (cùm adeò recens videatur Beatis gaudium, ac si eo primùm die frui illo cœpissent,) & *abundantius* (cùm fons illius à se sit, atque adeò exarescere non possit,) quàm meritò ergo cum S. David quivis ad hunc fontem aspirare debeat ac dicere: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Item: dulciùs ex ipso fonte petuntur aquæ. *Ps. 35. v. 10.* *Ps. 41. v. 2.*

IV. Ex eodem themate, vel isto: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum vivum*: ostendi imprimis potest, quomodo vita animæ consistat in cognitione DEI, perfectâ nempe seu beatifica visione, quia ex hac oritur amor perfectus, per quem anima unitur moraliter summo bono, atque adeo fruitur illo, sicque operationem illam, ob quam creata est, elicit, quod est verè vivere. 2. Ostendi potest, qualis hæc vita sit, scilicet *vera*, cùm vita mortalis, teste S. Gregorio, æternæ vitæ comparata, mors sit potius dicenda, quàm vita; ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis? Vita *beata*, quia omnium bonorum aggregatione perfecta, cùm tunc DEUS cuivis Sancto dicat, quod olim Moysi dixit: Veni, ostendam omne bonum tibi. Atque adeo quivis cum Salomone dicere queat: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Vita *sempiterna*, uti colligitur ex citato themate, & alio Christi dicto apud Matthæum: Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. Quæ omnia breviter complexus S. Prosper dixit: Futura vita creditur beatè sempiterna, & sempiternè beata; ubi est certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, felix æternitas, & æterna felicitas: ubi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & unus omnium Spiritus de contemplatione DEI sui, ac de sua cum illo permansione securus: ubi ipsa civitas, quæ est Angelorum Sanctorum & hominum Congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallitur quisque, nec fallit: unde nullus ejicitur beatus, quo nullus adjicitur miser. Excitentur proin Auditores ad hanc vitam quærendam illis Psalmistæ verbis: Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum. Ostendaturque quam modicum sit, quod petitur, (cùm mandata ejus gravia non sint, sed potius jugum suave, & onus leve, atque adeo merito cuivis dici queat, quod olim Naamano servi sui dixerant: Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi: declina à malo, & fac bonum. *Io. 17. v. 3.* *Exodi 33. v. 19.* *Sap. 7. v. 11.* *Matth. 25. v. 46.* *S. Prosper. l. 1. de vit. contempl. c. 2.* *Ps. 33. v. 13.* *4. Reg. 5. v. 13.*

V. Ex

Matt. 5. v. 12. V. Ex occasione thematis: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*: potest magnitudo beatitudinis ex septem Gen. 15. v. 1. Testium testimoniis probari. 1. Ex testimonio DEI dicentis Abrahamo: Ego protector tuus sum, & merces magna nimis. Item Moysi dicentis: Veni, ostendam omne bonum tibi, Exod. 33. v. 19. 2. Ex testimonio *Christi* in citato themate; & alibi dicentis, simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & Matth. 13. v. 44. vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. Id quod ipse abundè implevit, dum vitam & sanguinem infiniti pretii pro eo obtulit. 3. Ex testimonio *Sanctorum*, de quibus canit Ecclesia: omnes Sancti, quanta passi sunt tor- Rom. 8. v. 18. menta, ut securi pervenirent ad palmam Martyrii & præmium felicitatis æternæ, qui omnes nunc cum Sancto Paulo testantur, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram 1. Cor. 6. v. 9. gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum. 4. Ex testimonio *Cœlorum*, qui Baruch. 3. v. 24. enarrant gloriam Dei. Hinc meritò Baruch exclamavit: o Israël, quàm magna est domus Dei, & quàm ingens locus possessionis ejus! Et S. Ignatius: Heu quàm sordet terra, cum cœlum aspicio! Et si exterior cœli facies talis est, Apud Fabr. conc. 2. in Festo omnium Sanctorum. quid intus latebit? 5. Ex testimonio *Terræ*; si enim, ut olim S. Porphyrius Græcorum Episcopus visâ pompâ, quâ Theodosius Junior baptizabatur, dicebat, ea, quæ paulò pòst evanescunt, tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt Sanctis & electis DEI? Et ut S. Bernardus dixit, quid erit in Patria, si tantum est delectationis in via? 6. Ex testimonio *malorum & reproborum hominum*; si enim in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis præstabitur Sanctis diligentibus veritatem? ut rectè discurrit S. Fulgentius. 7. Ex testimonio S. Fulgentius, apud Sur. to. 1. *Dæmonis* quondam fatentis, si columna ferrea, eaque ignita novaculis, acutisque calamis undequaque instructa, atque à terra ad cœlum usque pertingens staret, se assumpto humano corpore libenter per illam usque ad extremum judicii diem volvi & revolvi velle, si cœlo potiri per hæc tormenta liceret. Imò aliàs dicere auditus est, se omnia Damnatorum tormenta libenter usque ad judicii diem toleraturum, si unico momento Deum aspicere liceret.

Cæsarius l. 5. c. 10.

Vide Fabrum l. 1. Matth. 25. v. 23.

VI. Ex occasione thematis: *Euge serve bone, fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*: ostendatur, quale hoc sit gaudium, scilicet 1. Gaudium *sincerum* seu *purum* propter omnis mali absentiam, juxta illud Apocalypsis: Et absterget DEUS omnem lacrymam ab Apoc. 21. v. 5. oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. 2. Gaudium *plenum* propter omnis boni præsentiam, de quo gaudio Chri- Io. 16. v. 24. stus apud S. Joannem locutus est dicens: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ubi breviter ostendi potest, qualia gaudia in corpore & anima Sancti sunt habituri. 3. Gaudium *perpetuum* juxta illud Christi testimonium: Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Excitentur proin Auditores, ut in hac vita libenter modicam tristitiam super peccata, & adversitates, pœnasque ob peccata inflictas patiantur, ut hæc tristitia in tale gaudium mutetur. Item ut sint fideles super pauca, id est, talenta à Deo data bene impendere studeant, ut super multa constitui olim mereantur. Ib. v. 22.

VII. Ex occasione thematis: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*: possunt enarrari quinque fontes ex quibus inexplicabilis voluptas, & gaudium Sanctorum oritur. Videlicet 1. *Ex loci amœnitate & magnitudine*: de qua S. David dixit: Quàm dilecta tabernacula Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et Baruch: O Israël, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis ejus. 2. *Ex Societate Sanctorum*, tam *multorum* (juxta illud S. Joannis testimonium: vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat) tam *concordium* (erit enim tunc maximè eorum cor unum & anima, quia nihil proprium possidebunt; & hoc ipso, quòd perfectissimè unum erunt cum tertio, nempe DEO, etiam inter se unum erunt,) tam *speciosorum* (tunc enim justi fulgebunt, sicut sol) quorum omnium gaudium commune erit. 3. *Ex oblectatione sensuum*: quæ breviter enarrari possunt. 4. *Ex corporis glorificatione*: quod teste S. Paulo, surget in virtute, surget spirituale, surget incorruptibile; ideoque etiam quatuor dotibus impassibilitatis, agilitatis, subtilitatis, & incorruptibilitatis ornatum. 5. *Ex visione beatifica*; de qua S. David locutus est, dum dixit: Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud Fabrum conc. 3. in Festo omnium Sanctorum. Pſ. 35. v. 9. Baruch. 3. v. 24. Apoc. 7. v. 9. 1. Cor. 15. v. 52. Pſ. 20. v. 7.

VIII. Ex occasione thematis: *Peto, Nate, ut aspicias ad cœlum*: ostendi potest, quomodo per beatitudinis memoriam se quivis contra duplicem tentationem, scilicet concupiscentiam & timorem inordinatum, armare & tueri queat. Et 1. quidem, quoties aliquid delectabile in terra occurrit, recordando, quantò melius olim in altera vita id habituri simus, ideoque imitemur illos, qui ad convivium ituri à vilioribus cibis abstinent, melioribus se reservantes. Id quod S. David fecit dicens: Renuit consolari anima mea (in rebus creatis,) memor fui DEI, & delectatus sum. 2. Quoties adversitas occurrit, oculos iterum sursum ad cœlos elevando, exemplo illorum, qui super ponticulum aquis rapacibus imminentem ambulant, & vertiginem timent. Sic Mater Machabæorum Filium natu minimum verbis in themate citatis animavit. Et Christus discipulos, dum dixit. Beati estis, cùm maledixerint vobis homines &c. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. 2. Mach. 7. v. 28. Pſ. 76. v. 3. Matth. 5. v. 11.

§. XII.
ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Manſi diſc. 1. n. 16.

I. FUerunt nonnulli, qui ad cœleſtem gloriam adumbrandam Emblemate uſi ſunt, cujus corpus erat cœlum quoddam, ſtellis, ſole, Lunâ, aliisque omnibus elegantiſſimis & pretioſiſſimis ornamentis mirè adornatum; anima autem dicti Emblematis hac epigraphe exprimebatur: *Pulchriora latent*; Idem quoque nos in præſenti dicere poſſumus; poſtquàm enim de cœleſti gloria multùm ſpeculati ſumus; poſtquam de ea ſcripſimus, legimus, diximus, quicquid de ea à nobis ſcribi, legi aut dici potuit; imò poſtquam imaginationi, & deſiderio noſtro, omne quidvis bonum, pulchrum, jucundum & appetibile, quod excogitari poteſt, imaginandi & deſiderandi libertatem indulſimus, tandem liberè dicere poſſumus & debemus, quòd longè plura, nobiliora, & præſtantiora in cœlis viſuri & poſſeſſuri ſimus, ſiquidem *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit &c.*

S. Bonav. ſer. 5. de Reſur.

II. S. Bonaventura explicans illa verba: *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol*: In hoc planeta quatuor corporum glorioſorum dotes conſiderat, dicens: In ſplendore ſignificatur dos claritatis: In perpetuitate ſolis dos impaſſibilitatis; in virtute ſolis activa (ſol enim penetrat integrum vitrum) dos ſubtilitatis; in celeritate ſolis dos agilitatis, ſole celeriores erunt Sancti.

S. Bernardinus to. 1. ſer. 63. a. 1. c. 1.

III. S. Bernardinus quatuor haſce dotes enumerat, illumque Sapientiæ textum: *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, adducens, ita ſcribit: Primò in fulgore deſignatur claritas: Secundò impaſſibilitas denotatur in igne: Tertiò ſubtilitate ſcintillæ ſubtilitas indicatur: Quartò in diſcurſu poteſt agilitas deſignari.

S. Thom. in c. 25. Matt.

IV. Angelicus Doctor dubium movet, cur increata & incarnata Sapientia potiùs dixerit: *Intra in gaudium Domini tui*, quàm, accipe gaudium; cui hac adhibitâ diſtinctione reſpondet: Quod eſt in aliquo, continetur ab illo, & continens majus eſt; quando ergo gaudium eſt de aliquo, quod minus eſt, quàm cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum: Sed DEUS major eſt corde, ideò qui gaudet de DEO, intrat in gaudium. Cajetanus tamen aptiùs ad propoſitum loquitur, dum ad gaudiorum cœleſtium æternæ Beatitudinis immenſitatem ſeſe reflectens, inquit: Tam magnum eſt gaudium cœleſtis patriæ de DEO, ut non poſſit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehenſibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehenſum ab homine.

Manſi diſc. 1. n. 10.

V. Acceſſit quondam ad Salvatorem mater ſanctorum Jacobi & Joannis, & ſuppliciter eum rogavit: *dic, ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram*: cui jure merito ab eodem Salvatore protinus reſponſum fuit: *Neſcitis quid petatis.* Verùm dicet fortaſſis aliquis: Cur Chriſtus hos diſcipulos, & matrem eorum reprehendit, & ignorantiæ redarguit, qui alias ab ejus ore verba hæc audierant: *Primùm quærite Regnum Dei?* Nunquid illos in oratione Dominica petere docuerat: *Adveniat Regnum tuum?* cur igitur nunc illos rejicit, dicens: *neſcitis, quid petatis*: Nimirum errorem, in quo hærebant, è mentibus eorum tollere voluit, ſiquidem ipſi in beato cœlorum Regno etiam ſiniſtram reperiri credebant, in quo tamen graviter errabant, nequaquam enim ibi ſiniſtra locum habet, ſed ſolus & merus ibi dexteræ locus reperitur; nullum eſt ibi triſtitiæ genus, ſed ſolùm gaudium, & mera lætitia, Delectationes in dextera tua usque in finem. Ibi lætitia eſt ſine melancholia, tranquillitas ſine turbatione, divitiæ ſine jactura, honores ſine periculis, ſanitas ſine indiſpoſitione, abundantia ſine paupertate, vita ſine morte, felicitas ſine miſeria. E contra verò in hac lacrymarum valle nullus unquam ſol ſine ſua eclipſi naſcitur, nulla dies ſine nocte oritur; omnis creatura vanitati ſubjecta eſt.

Idem diſc. 13. n. 5.

VI. Conſiderari meretur ad hunc finem differentia, quæ eſt inter margaritas, & alias gemmas, & lapides pretioſos; Hi enim ſcalpello opus habent, & expoliri debent, poſtquam è terræ viſceribus eruti ſunt. Quantus enim non adhibetur labor ad perficiendum & expoliendum aliquem adamantem, Iaſpidem, vel alios lapides ſimiles? Sola margarita eo modo, quo ex aquis marinis extrahitur, ad exornandas regum coronas apta eſt & idonea, omnemque ab ipſis primis natalibus ſuis perfectionem ſecum adfert; tales autem eſſe quoque debent animæ, quæ paradiſum ingredi volunt, ſcalpello indigere minimè debent: quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, ideòque neceſſariò mundæ, puræ, nitidæ, atque ab omni culpæ nævo expurgatæ eſſe debent.

Ibid. diſc. 30. n. 5.

VII. In Exodo, inter auri, argenti, purpuræ, gemmarumque pretioſas oblationes, pili quoque caprarum, licèt viles ſint, connumerabantur: *Pilos caprarum, pellesque arietum*; Pari quoque modo pauperes ruſtici pro patientia, paupertate & laboribus, quos in hac vita ſuſtinuerunt, pari in cœlis præmio remunerabuntur, quo multæ animæ, quæ in hac vita ſublimibus Eccleſiæ miniſteriis ſuam impenderunt induſtriam; Unde S. Iſidorus Agricola in cœlo cum multis Sanctis Epiſcopis par erit in præmio; Ac proinde nullus eſt adeò egenus, & pauper, quantumvis mendicus ſit, qui non habeat, unde Regnum DEI comparare ſibi poſſit. Inveniuntur quidem nonnunquam mendici, qui ne micam panis ad ſui refectionem habent; At verò nullus hominum adeò eſt deſolatus, qui monetam non habeat ad comparandam ſibi cœleſtem gloriam; cujus evidens in Lazaro habemus exemplum, cui quantumvis pauperrimo & afflictiſſimo, ſolemnes in cœlo ab Angelis celebratæ fuerunt exequiæ, ſuaque mendicitate comparavit ſibi Regnum cœlorum; liberalitati enim & magnificentiæ illius, qui abſolutus eſt Dominus Paradiſi, abundè ſufficit, ſi demus, quod habemus.

Ibidem.

VIII. Imitari hac in re DEUS videtur creditores, qui, ut à moroſis debitoribus tandem ſolutionem

lutionem expeditam obtineant, acceptant, quidquid apud illos inveniunt; Unde si debitor dixerit: Non sunt mihi ullæ pecuniæ, creditor juxta pecuniæ debitæ quantitatem granum se libenter acceptaturum esse, respondet; si non habet grana, acceptabit ligna; si ligna desint, acquiescit fœno; si fœno careat, tantâ fimeti aut sterquilinii quantitate contentus erit: Eodem quoque modo in casu nostro discurrere possumus; Salvator etenim à divitibus pro pretio gloriæ pecunias postulat in eleemosynas erogatas; cui non est facultas dispensandi nummos, corpus suum per disciplinas & cilicia affligat; qui verò corporis austeritates ob nimiam debilitatem sustinere nequit, lucro animarum se consecret; qui neque ad hoc faciendum talentum à Deo habet, in operibus misericordiæ corporalibus sese exerceat: qui infirmus est, tribulationem à DEO sibi immissam patienter sustineat, divinæque obsequatur voluntati; si contemnatur aut afficiatur opprobriis, gaudens Deum benedicat & collaudet, qui pro ejus amore patiendi occasionem ei tribuit, quòd si etiam nudus cum Jobo redigatur in sterquilinium, roget DEUM, ut peccata offensæ & injuriæ, quibus illum adversum se irritavit, illius miseriæ intuitu condonet, sic enim peccata nostra nobis ad cœlum conscensuris scalæ loco deservient, dummodo pro illis pœniteamus, & emendemur.

Modus acquirendi Beatitudinem.

Manss disc. 30. n. 3.

IX. DEUS in venditione Paradisi ad eum se modum habuisse videtur, quo mercatores in nundinis merces suas vendere solent, in principio etenim nundinarum omnia caro pretio divendunt, quæ tandem in fine pro levi pecunia dimittunt; Quando Christus in die Ascensionis cœli officinam primâ vice aperuit, primis sæculis illam sequentibus magna fidelium pars sub persecutionum, solitudinum, martyriorum pretio, æternam sibi beatitudinem comparare non dubitavit; nunc in Ægypto vastæ pro Christo incolebantur horridorum desertorum solitudines, fervidissimi Christiani tunc in equuleis extendi, uncinis & pectinibus ferreis dilaniari, feris objici, ab iisdemque devorari se permittebant; Postea verò cessantibus persecutionibus faciliori & planiori viâ cœlum sunt ingressi, in quiete contemplationis cœlestium dulciter conquiescendo, aut fervidos charitatis actus exercendo, aut verò virtutum Christianarum praxi & studio assiduam operam impendendo.

1. R. 30.

X. Quando David Rex post devictos Amalecitas victor in Siceleg rediit, orta est inter milites, qui ad sarcinarum custodiam remanserant, & alios, qui cruento illi prælio interfuerant, gravis de spoliorum participatione controversia, hisce nimirum adversùs illos prætendentibus, nullam illis ex partis spoliis partem deberi: Respondensque omnis vir pessimus & iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit: *Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, sed sufficiat unicuique uxor sua, & filii.* David autem justus Princeps, ambabus partibus ritè auditis, controversiam prædictam in favorem determinavit illorum, qui ad sarcinarum & hospitiorum custodiam remanserant: Dixit autem David: *Non sic facietis, Fratres mei, de his, quæ tradidit vobis Dominus, æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividunt.* Origenes historiam hanc propositio nostro applicans considerat, quòd illi, qui Davidem ad prælium fuêre secuti, Religiosos significent, qui mortificationis ferrum in se ipsos vertentes, implacabile sibi ipsis bellum indicunt; aut verò gladio Verbi DEI vibrante multas animas convertunt, atque ab inimico infernali liberant, cum inferno continuò præliantur, nec non adversus mundi illecebras, & allicientes blanditias: Per illos verò, qui domi ad sarcinarum custodiam remanserunt, sæculares intelligit, quibus ob vocationem suam bonis hisce temporalibus sese applicare incumbit. Terminato prælio, id est, post vitæ hujus, quæ *militia est super terram*, consummationem, Religiosi fortè se solos spoliorum æternæ beatitudinis participes futuros esse credent, sed deceptos esse experientur, siquidem DEUS (verus David) declarabit: *æqua pars erit &c.* Et ratio est, quia amor DEI adeò intensus esse, adeòque vehementer ardere potest sub purpura & paludamento regio, quàm sub vili aliquo sacco & cilicio. Quot enim cardinales, Reges, Imperatores, & Summi Pontifices in supremo honorum, thesaurorum, & terrenæ felicitatis culmine positi Sancti fuêre?

Orig. hom. 25. in Nativ.

Iob. 7. v. 1.

XI. Ad quartam vigiliam noctis apparuit quondam, inter procellosi maris fluctus, Christus discipulis suis, quos sæva tempestas miserè & periculosè exagitabat. Ut viderunt tam insolitatum prodigium, phantasma arbitrati sunt, quod oculis usurpabant, quibus cùm locutus, & de sermone agnitus fuisset, ajebat Petrus: *Domine, si tu es; jube me venire ad te super aquas.* Matth. 14. 28. cui Christus: Esto, veni, accurre, sis, huc ad me, scis enim quàm hoc percupiam, qui huc omnes invitavi, cùm dixi: *Venite ad me omnes*; Matth. 11. 28. & quomodo te unum prohibeam venire cupientem, qui alios nihil tale cogitantes advocavi? Desiliit ad ea verba in mare Petrus, cumque ventus validior derepentè excitatus, velle illum fluctibus involvere videretur, præsentaneumque periculum suum animadverteret, Christum inclamabat, atque ut à proximo discrimine eriperet, magnis vocibus obsecrabat. *Videns ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens, Domine salvum me fac.* ibidem v. 30. Quid est, quòd Petro ad Christum aspiranti, jamque contendenti occurrunt irati maris fluctus, & rem tam bonam, sanctamque meditanti minatur interitum tempestas, cui favere debuisse elementa omnia videntur, ut securus appellere posset ad eum, quem petebat? cur à turbine in periculum adductus fuit, qui ad Christum totius salutis portum anhelabat? Respondet S. Ambrosius ser. 2. de Sanctis, Sanctus Petrus, dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis, quòd non nisi per pericula properatur ad Christum. Exemplo ergo Petri docemur, qui naufragii pericula non fortiter ferat, qui vitæ discrimina non libenter adeat, qui tribulationes & ærumnas, & rerum suarum jacturas non æquo

Dion. Nyssen. §. 4. in Dom. 1. post Epiph.

& magno animo toleret, eum pervadere in gloriæ portum tranquillum non posse, ac delirare, qui aliter, quàm per tempestates adversitatum eò pervenire posse existimant. Non enim nisi per pericula properatur ad Christum.

Ibidem 1. §. 6. *in fab. post.* 1. *Dom. Quadrag.*

XII. Quæstio est, quare Dominus Moysen & Eliam, præ aliis veteris Testamenti Patriarchis, testes gloriæ suæ adesse voluit? Respondet appositissimè Galfridus in Allegor. Biblior. apud Godefrid. Tilman: Nec clarificato facilè credas, nisi occurrant ei Moyses & Elias; ut si quis affirmet ac glorietur, Christum in se glorificari, se quendam Thaborem esse, & theatrum factum gloriæ, donorum, ac favorum illius, non credas, nisi fidejussores adducat Moysen & Eliam, testes omni exceptione majores, quorum alter promulgator & reverentissimus observator Legis, alter acerrimus illius propugnator fuit, ardens & vivus ignis, formidabile & horribile fulmen; qui nec Regibus parcebat, neque cum subditis connivebat. Illa tuta gloria, ille indubitatus favor, inquit Galfridus, quem observantia & zelus Legis probant, commendantque. Plurimùm enim suspecta, & parùm tuta gloria, quæcunque talium testium calculis & suffragiis destituitur. Ne Christo clarificato facilè credas, nisi occurrant ei Moyses & Elias.

Ibidem.

XIII. S. Joannes cum amœnum & cœlestem Paradisum gloriæ, & æternæ Patriæ Beatorum, sub metaphora magnæ, amplæ, elegantis, & sumptuosæ civitatis delineat, murorumque firmitatem, & portarum magnitudinem adumbrat, denique situm his paucis exprimit: *Civitas in quadro posita est*; Apoc. c. 21. v. 16. Qui architectandi periti sunt, ajunt hanc esse stabiliendæ civitati commodissimam fabricam; sed cùm felix illa civitas; si etiam quocunque alio modo constructa foret, æternùm nihilominùs duratura esset, quare magis in quadrangulum, quàm in orbem, & sphæricam formam redacta fuit? Respondet Aretas: Cùm civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividitur. Quid sibi velit, quòd in formam crucis ordinata est illa Beatorum civitas? Indicio est, & documento, parùm fidendum gloriæ hujus vitæ, quæ non obtinetur pretio crucis & afflictionis, postquàm æterna ut videtur, opus habet crucis commendatione, & adminiculo, ut suam habeat à cruce securitatem. Quòd ergo illa superna civitas in quadro posita fertur, tale est, ac si diceretur: Civitas supremæ gloriæ in formam crucis digesta consistit, secura ergo ea gloria est; quæcunque enim è cruce nascitur, eadem firma, stabilis gloria est, & interitús nescia: cùm civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividebatur.

Conclusio.

S. Thom. Villanov. Conc. 1. de S. Joanne.

XIV. Festinemus (igitur) ingredi in illam requiem, ubi verè magnus est, quisquis etiam in ea minimus est; Non mihi curæ est, DEUS meus, quantus futurus sim apud te in regno tuo, sed hoc magis curo & exopto, ut de Regno tuo sim, quia si ad domum tuam pertineo, qualiscunque fuero, magnus ero. Quanta enim illa gloria, quo tendimus, ubi omnium minimus maximo, sapientiâ, puritate, virtute, perfectione major est? quisquis maximus habetur, ad illam felicitatem comparatus, velut infantulus reputatur.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. EVeniet Beatis olim, quod Reginæ Sabæ, visâ gloriâ Salomonis, evenit; nam & illi dicent: Verus est sermo, quem audivi in terra mea &c. & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Major est sapientia tua & opera tua quàm rumor, quem audivi. Beati viri, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. *3. Reg. 10.*

II. Cœlum Empyreum distat à terra mille septingentis nonaginta myriadibus, nongentis viginti quinque millibus, & quingentis milliariis. Nam juxta Clavium cœlum Lunæ distat 120630. milliariis, cœlum Solis 40139 23. Firmamentum autem 16 1884945. Unde si lapis molaris è firmamento decideret, cadendo consumeret 1500. annos solares, licet quotidie cadendo conficeret 32780. milliaria, & singulis horis 1300. Magnitudo verò hujus cœli est propè immensa, cùm minima stella magnitudine terram decies octies superate dicatur. *Clavius in Sphæram Joannis de Sacrobosco c. 11.*

III. Antiochus Rex in honorem Daphnidis mirè adamatæ, convivium in intima aula sic instituit, ut tamen interea sexcentos Ephebos formosissimos, & ducentas Puellas elegantissimè vestitas per urbem mitteret, qui floreis redimiti sertis ex vasis Chrystallinis vina, & ex orbibus candidissimis candidos panes, & saccaraceos fructus offerrent, aliis interea jucundâ musicâ accinentibus. Quod totum ideò factum, ut ex hac munificentiâ colligerent cives, quàm nobile convivium in aula esset apparatum. Applicatio facilis ad convivium cœleste, ad cujus magnitudinem demonstrandam Deus mittit in terram Angelos varia interdum cœli gaudia prægustanda offerentes. *Kirsel. to. 2. f. 847.*

IV. Rectè de beatitudine cecinit Ovidius: *Ovid. 3. Met.*

——————————— Ultima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

V. Empedocles rogatus, cur viveret? ut cœlum aspiciam, respondit; tolle cœlum, & nullus ero. *Engelgr. in hom. 22. post Pent.*

VI. Alcinous Rex palatium habuit ex muris æneis, portis aureis, postibus argenteis, laquearibus ex electro & ebore ad miraculum elaboratis. Sed quid hoc ad cœlum, cujus plateæ aurum mundum, & portæ ex singulis gemmis. *Ibid.*

VII. Pulchrè Poëta S. Ignatium terras ex aspectu cœli despicientem sic describit: *Lyranus l. 1. apophth. 8.*

Vos

Vos aſtra teſtor, agmen in cœlo vigil,
Orbisque ſempiternus errantis chorus,
Divinitatis intimæ Scena extima:
Dum vos avaro ſæpe conſpectu fruor,
Dediſco rerum pretia, nunc gemmæ jacent,
Jam pallet aurum, non habet flores humus.
Et quæ placebant antè, nunc ſordent opes.

VIII. Breviter, ſed nervosè etiam Eccleſia admonens ſic canit:

Eccleſia in offic. Transfig.

Oculos in altum tollite:
Illic licebit viſere,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum.

Senec. nat. qq. c. 1. IX. Surſum, inquit Seneca, ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur.

Cicero l. 1. de nat. Deor. X. Simonides interrogatus ab Hierone Siciliæ Tyranno, quid, qualis eſſet DEUS? unius diei poſt alterum ſpatium petiit ad cogitandum; & tandem poſt multos dies dixit: Quo conſidero diutius, hoc mihi res videtur obſcurior. Idem de beatitudine non malè dixeris.

Beſſæus de noviſſ. XI. Philoſophus quidam interrogatus, cur Patriæ curam non gereret? digito in cœlum intento dixit: Hanc curo.

Cicero 4. Tuſc. XII. Is eſt beatus, inquit Cicero, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut minùs lætabile ad efferendum videri poteſt.

Ariſt. l. 1. Rhet. c. 5. XIII. Ariſtoteles variè ſic definiri poſſe beatitudinem putat, ita ut ſit vel proſperitas cum virtute conjuncta: vel fortunata rerum cum virtute adminiſtratio, actiove: vel ratio per ſe ſufficiens ad bene vivendum: vel vita pleniſſima voluptatis, ſumma ſecuritate & præſidio nixa: vel abundantia copiarum, & abſolutiſſima incolumitas corporis, cum poteſtate hujusmodi atque vi, quæ ad paranda illa & conſervanda ſufficiat.

Utilitas.

Langius in Polyanth. V. eod. XIV. Muſca contemnens formicam, vide, inquit, quanta ſit humilitas tua. Cava loca terrarum incolis, & perpetuò humi reptas, magno cum labore tenuem victum quæris. At me alæ in ſublime ferunt, & menſæ regiæ accipiunt, delicatiſſimis cibis veſcor, & purpuræ regiæ incumbo, quin & formoſiſſimas genas deoſculor. Cui Formica: atqui improbitas tua odioſa eſt omnibus, ob quam etiam flabella & venena in necem tuam parantur. Sed & modicâ anni parte durat felicitas tua, cùm hyemis tempore mox pereas; ego autem in æſtate, mediocri labore exerceor, ut in hyeme quietam & ſecuram vitam degere poſſim.

S. Chryſ. ho. 8. de Pœn. XV. S. Chryſoſtomus inter alia ſuadet, ut, quoniam lumen majus obfuſcat minus, cùm quis viderit mulierem formoſam, oculis ſplendentem, reſpiciat deſuper, quò tale ſpectaculum prætereat. Id quod in aliis quoque caſibus faciendum.

Cicero in somnio Scipion. XVI. Quid poteſt ei magnum videri, inquit Cicero, in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque Mundi nota ſit magnitudo? ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret.

Beirl. in feſto SS. Phil. & Iac. th. 3. XVII. Lyſander à Perſa interrogatus, quam Rempublicam florentiſſimam cenſeret? reſpondit: In qua bene meritis condigna præmia redduntur. Qualis ergo erit Respublica Chriſtiana, in qua talia præmia bene meritos exſpectant, quæ in cor hominis non aſcenderunt?

Ibid. XVIII. Beatitudo eſt in hoc mari laborantibus, inquit Beyrlinck, quod fundamentum ædificio, quod navi carina, quod in animalium generatione cor, quod viatoribus iter non aſperum, euntibus hoſpitium commodum, mercium amor mercatoribus, Agricolis ſpes fertilitatis.

Ibid. XIX. Herculi adhuc Adoleſcenti dubitanti, quod vitæ iter ſectaretur, duæ ſe objecerunt mulieres, una decora, deliciis affluens, & præter voluptatem illecebras nihil promittens, & hæc vitium erat; altera macilenta, rugoſa, & præter labores nihil laudans, ſed poſt eos exantlatos Deorum conſortium pollicens, & hæc virtus erat; quam proinde priore rejectâ amplexus eſt Hercules. Idem de beatitudine hujus & alterius vitæ dici poteſt.

Sulpitius in vita. XX. S. Martinus rogatus, ut corpuſculum lateris converſione nonnihil relevaret, ſinite me, ait, cœlum reſpicere potiùs, quam terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum Spiritus dirigatur.

Jucunditas.

Stobæus 101. XXI. Socrates interrogatus, quid eſſet felicitas? voluptas, reſpondit, quam nulla pœnitudo ſequitur.

§. XIV.

AUTHORES.

I. Petrus Caniſius to. 4. c. ult.

II. Hieremias Drexelius in Cœlo.

III. Ludovicus Granatenſis in loc. comm. f. 834.

IV. Petrus Beſſæus de quatuor noviſſ.

V. Gabriel Inchinus de noviſſimis.

VI. Philippus D' Outreman in Pæd. Chriſt. p. 1. c. 8. §. 10.

VII. Matthias Faber co. 1. 2. & 3. in Feſto omnium Sanctorum. Item conc. 2. in Dom. 2. Quadr.

VIII. Thomas Stapletonus text. 7. in Dom. Sept. & text. 2. in Dom. 2. Quadrag.

IX. Laurentius Beyrlinck in Feſto SS. Philippi & Jacobi.

X. Joannes Major in magno ſpeculo Exemplorum. Tit. Gloria cœleſtis.

XI. Antonius Dauroultius in Catechiſmo Hiſtoriali. p. 3. c. 8. tit. 22. & ſeqq.

TITU-

TITULUS XVIII.

BLASPHEMIA.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

Langius in Polyanth. EST contumelia DEO illata; quo modo omnibus speciebus Blasphemiæ mox afferendis convenit; licet aliqui strictiùs eam sumendo definiant: Verbum in contumeliam DEI prolatum.

S. Aug. l. 2. de Mor. Manich. c. 11. Blasphemia juxta S. Augustinum est vitium, quo aliqua mala dicuntur de bonis; itaque jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba Deo dicere; De hominibus namque dubitari potest, Deus verò sine controversia bonus est.

Suarez to. 1. de incarn. c. 4. Unde & Suarez ait: usu receptum est, ut blasphemia ad derogationem divini honoris, ac bonitatis applicata sit. Citatque eodem loco Hugonem de S. Victore, dicentem: blasphemiam esse cum quadam probrosa irreligiositate, & diminutione honoris Divini, vituperium, ac convitium.

Divisio.

II. Dividi potest in Mentalem, Verbalem, & Actualem. *Mentalis* est, quæ solâ mente peragitur; quo modo etiam Diaboli blasphemant Deum, uti & alii damnati Spiritus in Inferno. *Verbalis* est, quæ voce exprimitur, & magis in sensus cadit. *Actualis* est, quæ opere peragitur, sive dein per scripturam, sive per alia mala opera in contumeliam DEI directè

S. Ephr. to. 1. inter eog. peracta; de qua S. Ephrem locutus est, dicens: Quemadmodum Deus operibus bonis glorificatur, ita contrà malis actionibus blasphematur; nam cùm Infideles intuentur Christianos, quòd instar Ethnicorum ipsi quoque in crapula & ebrietate vitam degant, ludentes atque saltantes cum citharis & tympanis, non ampliùs dictitant, quòd insensati sint Christiani, dum Christi legem transgrediuntur; verùm blasphemantes asserunt, eos, sicut traditum à Christo acceperunt, ita & facere. Unde & S. Au-

S. Aug. tr. 27. in c. 6. 20. gustinus, ratò, inquit, jam inveniuntur, qui Christum linguâ blasphement, sed multi, qui vitâ.

S. Bonav. in c. 5. Luc. S. Bonaventura tres modos declarat, quibus aliquis blasphemiam committere possit, scilicet vel cùm attribuitur Deo, quod sibi non convenit; vel cùm removetur ab eo, quod sibi convenit; vel cùm creaturæ attribuitur, quod propriè Deo convenit.

S. Thomas Deum variis modis offendi posse scribit: Primò quantùm ad suas creaturas, scilicet in homicidiis, furtis, adulteriis, & similibus. Secundò quantùm ad suam familiam spiritualem. Tertiò quoad personam velatam. Quartò quantùm ad naturam assumptam. Quintò quantùm ad naturam Divinam. Etenim qui furatur, inquit hic Sanctus, qui committit fornicationem, vel homicidium, Deum in subditis suis malè tractat; qui verò Martyribus, Apostolis, aliisque familiaribus Dei amicis necem infert, gravius illum offendit. Denique qui sacratissimum ejus Corpus sumptum pedibus suis protereret, & conculcaret, præcedentibus longè abominabiliorem Deo inferret injuriam: sed qui offendunt Deum, quantùm ad naturam Divinam, gravissimè peccant, quod faciunt blasphemantes. Nam blasphemia est peccatum immediatum contra Deum.

Actus.

III. *Attribuere DEO falsum prædicatum*, ut fecerunt Pharisæi dicentes, Christum in Beelzebub ejicere Dæmonia; item Lutherus & Calvinus Deum authorem peccati constituentes. *Luc. 11. v. 15.*

IV. *Adimere DEO, quod ei debetur*, v. g. negando Sapientiam, Bonitatem, aut Potentiam; uti Rapsaces negavit, Deum Judæis opem ferre posse: Item Alphonsus Rex Hispaniæ, qui dicere ausus est, se principio mundi, si Deo præsens fuisset, multa melius & sapientiùs ordinaturum fuisse. *Fab. co. 3. in Dom. 18. post Pent. n. 2.*

V. *Tribuere Creaturæ, quod solius DEI proprium est*: ut si quis dicat, Diabolum tam potentem esse, ac DEUM: æquè colendum, adorandum &c. Item Solem & Lunam aut alias creaturas, Rectores orbis terrarum Deos putare, ut in Sapientiæ libro de nonnullis dicitur. *Sap. 13. v. 2.*

VI. *Inhonorare Sacramenta, Reliquias, aut alias res sacras, quatenus ad Deum spectant*: uti faciunt Iconoclastici Hæretici, & nostri etiam Lutherani, B. Virgini, & Sanctis debitum cultum & invocationem negantes.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas & gravitas.

I. NOn assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra. *Exod. 20. 20.*

II. Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. *Eccl. 23. v. 9.*

III. Cui exprobrâsti? & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam? & elevasti in excelsum oculos tuos? contra Sanctum Israël. *4. Reg. 6. 22.*

IV. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. *Iob. 15. v. 5.*

V. Si

1. Reg. 2. v. 25. V. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?

Ps. 63. v. 4. VI. Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram.

Luc. 5. c. VII. Quis est, qui loquitur blasphemias?

Psal. 72. VIII. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra.

Eph. c. 4. IX. Blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

Isaiæ c. 52. X. Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blasphematur: propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa.

Matt. c. 12. XI. Spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

Jer. c. 1. XII. Blasphemârunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum, dereliquerunt Dominum.

Apoc. c. 17. XIII. Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ.

Damnum.

Tob. c. 13. v. 16. XIV. Maledicti erunt, qui contempserint te, & condemnati erunt omnes, qui blasphemaverint te.

1. Timoth. c. 1. XV. Tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare.

Levit. c. 24. XVI. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus super caput ejus, & lapidet eum populus universus.

Marc. 3. v. 29. XVII. Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum.

Levit. 24. v. 16. XVIII. Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur: lapidibus obruet eum omnis multitudo Populi.

Eccl. 27. v. 28. XIX. Qui in altum mittit lapidem (aut Blasphemiam) super caput ejus cadet.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas & gravitas.

S. Hieron. in c. 18. Isai. I. NIhil est horribilius blasphemiâ, quæ ponit in cœlum os suum; omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est.

S. Chrysost. hom. 26. ad pop. II. Nescitis, quis sit Deus, & quali debeat ore vocari? Quod si de studioso quodam viro malè loquamur, dicimus: os tuum ablue, & ita commemora; nunc verò nomen venerandum, quod audientes dœmones horrent, temerariè circumferimus?

S. Ephrem. 2. paræn. n. 43. III. Non metuis, ne fortè ignis de cœlo descendat, & devoret te, qui sic os adversùs Omnipotentem aperis? Neque vereris, ne fortè terra sub te disrumpatur, & te absorbeat? Ne decipiaris, ô homo; impossibile enim est, manus effugere Creatoris; audi eum, qui dicit: Blasphemantes rationem reddent Deo, qui paratus est judicare vivos & mortuos.

IV. Non est hoc peccatô ullum deteriùs, sed neque par; nam in eo & accessio omnium malorum est, omnisque confusio, inexpiabile supplicium & intolerabilis pœna. S. Chrysost. t. 1. Orat. 2. de fato & provid.

V. Alii peccatores appetunt delectationes, honores, vel aliud quidpiam mundi; & vellent, si possent, his bonis frui, sine Dei offensa, sed blasphemus multò aliter, quia consultò & præmeditatè contra Deum insurgit. Didac. Stella in Luc. c. 5.

VI. Omnia alia peccata videntur procedere partim ex fragilitate humanæ naturæ, partim ex ignorantia; sed illud peccatum blasphemiæ procedit ex propria malitia, & quantò est major persona offensa, tantò major culpa, & plùs crescit malitia culpæ, & sic blasphemia continet in se majorem malitiam aliis peccatis, & nullum est peccatum, quod habeat in se tantam iniquitatem, sicut blasphemia. S. Bernardin. t. 4. serm. 33.

VII. Peccatum tantò majus & gravius est, quantò minus motivum habet, si juvenis & senex adulterium perpetrant, plus in hoc peccaret senex: In cæteris peccatis aliquod motivum est ad peccandum inducens, sicut in superbia excellentia dignitatis, in luxuria delectatio carnis, in gula gustus, in avaritia pecunia; in blasphemia autem nullum est motivum, quia nulla est ibi delectatio ad blasphemandum inducens. Idem t. 1. ser. 41. a. 1. c. 3.

VIII. Quis magis ingratus est Deo de beneficio specialiter sibi collato præ cæteris creaturis, scilicet loquelâ & linguâ, quàm blasphemator Nominis Dei; qui, cum dicere debeat cum Propheta: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; Domino suo ore fœtido maledicit? Omnes enim creaturæ, & quælibet suo modo sollicitè laudant Deum, & benedicunt potentiam, sapientiam, & clementiam Salvatoris. Ibidem.

IX. Ingratus etiam de beneficio Incarnationis: nam membra illa humanæ infirmitatis, quæ pro salute nostra assumpsit Dei Filius, blasphemus nominat ad contumeliam, quasi non satis afflictus fuerit Christus pro sua & aliorum salute ab impietate Judaica, propterea compleat contumelias ejus. Ibidem.

X. Patet, quòd blasphemantes Deum pejores sunt bestiis, canibus & aliis; canes enim non mordent Dominos suos, licèt ab eis lædantur; sed blasphemus eodem ore, quo Dei beneficium percipit, & bibendo vinum, Deum blasphemat. Manst. disc. 4. n. 6.

XI. Blasphemia est lepra, quæ omninò mundari non potest, & ideo extra castra pellenda, hoc est, crimen blasphemiæ, quod in Spiritum Sanctum committitur, de quo dicitur: *Qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* Gloss. c. 13. Levit.

XII. Nihil est, quod animum nostrum magis exulceret, & confodiat, quàm horribilis atque impia, & Christianis auribus intolerabilis divini nominis blasphemia, cùm audivimus sacratissimum Dei & Jesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen, cœlestia venerantur, terrestria adorant, infernа contremiscunt (quod ne temerè quidem à quopiam propter ejus sublimitatem & Majestatem usurpandum sit) passim pravorum efferatorum- Julius III. Bulla 25.

que hominum vocibus ſcindi &c. ut minimè mirandum ſit, ſi à Chriſtianis populis, in tantis calamitatibus conſtitutis, divinæ iracundiæ flagella non amoveantur.

Manſi diſc. 7. n. 2. XIII. Blaſphemia eſt peccatum diabolicum, loquela infernalis: Sicut enim Spiritus Sanctus loquitur per bonos, ita diabolus per blaſphemos.

S. Bernardinus to. 4. ſer. 33. XIV. O lingua diabolica, quid poteſt te inducere ad blaſphemandum Deum tuum, qui te plaſmavit, in quo tuum ſummum bonum conſiſtit, qui te pretioſo ſanguine redemit?

S. Bernardus ſer. 2. de Converſ. S. Pauli. XV. Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt.

S. Ephrem, paraneſ. 43. XVI. Audes aperire os tuum audacter, & in cœlum verba emittere, juramenta, atque blaſphemias, & non times, ne falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ ſub cœlo eſt, te excidat; dum ſic audes os aperire adverſus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubin ac Seraphin non audent oculos conjicere?

S. Chryſ. ho. 1. ad Pop. XVII. Nullum gratiarum actioni par bonum; quemadmodum blaſphemiâ pejus nihil.

S. Aug. in Pſ. 46. XVIII. Cùm DEUS laudatur de bono opere tuo, laudas opere tuo DEUM. Et cùm blaſphematur DEUS de malo opere tuo, opere tuo blaſphemas DEUM. Itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne ſileas, vitâ ne taceas. Si ergo bene agis, & quando manducas & bibis, & refectionem corporis ſumis gratias agens DEO, cibus tunc & potus laudat Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & violentiâ te ingurgites, quantaslibet laudes lingua tua ſonet, vita blaſphemat.

Idem l. de civ. DEI c. 9. XIX. Cùm probrum jacitur in Principem, Patriæ bonum & utilem, nonne tantò eſt indignius, quantò à veritate remotius, & à vita illius alienius? quæ igitur ſupplicia ſufficiunt, cùm Deo ſit iſta tam nefaria, tam inſignis injuria illata?

Damnum.

S. Ambroſ. ep. 82. XX. Immugiens terra in medio plebis ſcinditur, aperitur in profundo ſinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aërem hauſtu, nec cœlum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulchro.

§. IV.
EXEMPLA EXTERNA.

Fuga.

Ep. Jud. v. 9. I. *CVm S. Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Ex quo Joſephus Manſi ſic concludit, quòd ſi is, qui cœleſtis militiæ princeps eſt, pro divini honoris defenſione inimico Dei non fuit auſus maledicere, quâ fronte homo, viliſſimus ille terræ vermiculus, tantis à Deo beneficiis cumulatus, eundem optimum Deum, cum tanto honoris & reverentiæ ei debitæ præjudicio, blaſphemare, & execrari, eique maledicere audebit?

Manſi diſc. 4. II. S. Polycarpus, quando ſollicitabatur à Tyranno, ut ſi vitæ ſuæ conſulere vellet, Chriſtum blaſphemaret, animosè reſpondit: Jam octoginta ſex anni elapſi ſunt, quibus Chriſto meo inſervio, nec tamen unquam mali quidpiam ab illo recepi, imò multis iisque præclaris bonis de manu ipſius auctus ſum, quâ igitur ratione illum, prout tu, O Proconſul, à me fieri deſideras, blaſphemare, illique maledicere potero, qui tot mihi beneficia præſtitit, & hactenus adeò benignè conſervavit? qua fronte tam bono Deo & Domino ingratus eſſe potero?

Ruffin. l. 3. in vit. PP. de verbis ſeniorum, n. 57. III. Venerabilis Pœmen Abbas quendam diſcipulorum ſuorum, qui frequentibus à ſpiritu blaſphemiæ pulſabatur tentationibus, docuit, ut tentatus ſemper diceret: Ego cauſam non habeo, blaſphemia tua ſuper te ſit Satanas, hanc enim cauſam anima mea non vult. Ita ſanus frater ille diſceſſit.

Annal. Eccleſ. Rayn. 1267. n. 63. IV. Cùm S. Ludovicus Rex Franciæ edicto publico ſanciviſſet, ut cuilibet nomen Dei blaſphemanti ignito ferro in labiis ſtigma inureretur; accidit, ut, poſtquàm civis quidam Pariſinus hujus pœnæ reatum incurriſſet, multi pro illius ab hac pœna exemptione intercederent, quem Rex juſtus absque miſericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti, in peccati ſui memoriam ſempiternam, & in aliorum exemplum. Non defuere quidem multi etiam ſecundùm mundum ſapientes viri, qui S. Regem velut nimis crudelem & rigidum cenſurarent. At verò S. Rex veriſſimum eſſe ſciens, quod ait Chriſtus: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum propter me*, hanc protulit Regiâ Majeſtate ſuâ dignam ſententiam, videlicet quod deſideraret potiùs ſimile cauterium ſibi in labiis eſſe inuſtum, &, quoad viveret, talem indecentiam ſuſtinere, dummodo hujusmodi perniciosum vitium de Regno ſuo penitus tolleretur.

Vincentius in ſpecul. Hiſtor. V. De Philippo, pariter Franciæ Rege, legimus, quod, quotiescunque aliquos in tabernis, vel etiam in bello milites blaſphemias protuliſſe audiebat, illos protinus ſubmergi juſſerit, hancque legem in Regno ſuo perpetuo ac inviolabiter obſervari voluerit: Et de hoc Edictum, poſteris firmiter tenendum, reliquit ante mortem.

Manſi diſc. 5. n. 17. VI. Anno 1509. accidit Argentinæ, quod Senatus pro tribunali ſedens judicium ferre debuerit, quoad duos milites urbis præſidiarios, quorum unus armis ſuis Gubernatorem ſuum graviter datâ operâ offenderat, alter vero enormes in Deum blaſphemias evomuerat; & quidem unus illorum pro ſe ſuique liberatione habebat advocatos, alter vero neminem habebat, qui in ejus defenſionem os ſuum aperiret. Pro illo ob ſpectatam fortitudinem optimi quique intercedebant, pro hoc nulli; Senatus prudens ratus, violatorem Dei non meliori conditione eſſe, quàm calumniatorem hominis, cauſæ cognitione, quibus oportuit, demandatâ, ubi

blaſphe-

blaſphemiam horrendam, licet ab ebrio, & emotæ mentis homine admiſſam cognovit, plus divinæ Majeſtati, quàm humanæ gratiæ & interceſſioni tribuendum ratus, ſupplicio capitali, extractâ per cervicem lingua, blaſphemum affecit.

Florem. de Orig. hæreſ. l. 5. c. 6.

VII. Michaël de Barro Navaræus Ordinis S. Jacobi Nobilis Eques, de Rege ſuo optimè meritus, ſemel tantùm per vitam Dei publicè jurans, triginta & uno diebus in carcerem conjectus fuit; cùmque de gravi nimis pœna, quâ mulctabatur, apud Regem conquereretur, Rex Filium ſuum ſe ipſi in ſocium additurum reſpondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipſo ferret, ita enim de ſe meritum eſſe, ut libenter ipſum juvare velit, hac verò in re nullam aliam gratificandi rationem diſpicere; ac proinde carcerem quidem in gratiam illius nonnihil ornamentis apparari fecit, at verò compedes & catenas ab ipſo tollerè renuit.

S. Cyrillus Alexandr. l. de fide ad Theodoſ.

VIII. Ezechias Rex, utpotè à Deo magnoperè illuminatus, mox ut horrendam Sennacherib blaſphemiam audivit, certam contra ipſum obtinendam victoriam in manu ſua ſe habere exiſtimavit, neque tam Hieroſolymæ fortificationibus, munitionibus, victualium, Annonæ, militumque ſuorum generoſitati innixus eſt, quàm indubitatæ ſpei, quam de DEO protinùs concepit, quâ futurum eſſe confidit, quòd Deus honorem ab inimico ſuo Sennacherib enormiſſimè læſum defenſurus eſſet, vindicando illatas ſibi per blaſphemiam graviſſimas injurias. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait: Convitia in Deum detorta ægerrimè ferens Rex, eaque ſi diſſimularentur, capiendæ civitatis cauſam eſſe poſſe, piè prudenterque conſiderans, & ſe nihilominùs ab ipſo blaſphemarum vocum crimine exſolvere percupiens, derepentè conſciſsâ veſte in domum Dei aſcendit, precibusque, quibus potuit, iræ divinæ ſe oppoſuit: ſciebat enim, quòd eo ipſo, quo de illatis Deo injuriis intrinſecum cordis exteriùs teſtaretur dolorem, divinamque ejus juſtitiam ad injurias illas debitè mulctandas imploraret, conſequens futurum eſſet totius hoſtilis exercitus infallibile exterminium.

Lorinus in c. 24. Lev.

IX. Robertus Rex Franciæ pacem publicam in regnis ſuis pro virium ſuarum poſſibilitate conſervare ſatagebat, eòque fine devotiſſimas coram Crucifixo quodam preces effundebat. In proœmio pragmaticæ Sanctionis narratur, quòd Roberto Regi Francorum, filio Capeti in urbe Aurelia pro pace Regni ſui oranti, Crucifixus non ſine ingenti prodigio, & ingenti miraculo reſpondit: Non habiturum pacem in Regno, donec blaſphemias extirparet.

Raynald. ad ann. 1270. n. 15.

X. In Annalibus Eccleſiaſticis legimus, quòd S. Ludovicus Rex verè Chriſtianiſſimus, inter alia monita, quæ filio ſuo, qui in Regno ſucceſſurus erat, ſpecialiter commendata eſſe voluit, unum hoc fuerit: Maximè autem nullum verbum blaſpemiæ de Deo, ſive de Sanctis, patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. Et paulò pòſt vitæ ejus hiſtoria ibidem num. 17. repetit, Sanctum hunc Regem eidem filio ſuo de novo, ſingulari cum anxietate animi, & ſollicitudine dixiſſe: Labora, quòd omne peccatum de terra tua removeatur, maximè autem blaſphemia.

XI. Moyſes licet alioqui mitiſſimus, ubi tamen Populus vitulum aureum adoravit, tam ſeverè vindicavit, ut comminutum vitulum eidem potandum dederit, imperaveritque, ut unusquisque occidat Fratrem ſuum, & Amicum, & Proximum. *Exod. 32.*

XII. Job, etſi ab Uxore ad maledicendum Deo graviter incitatus, potius tamen duxit, ut loquitur S. Chryſoſtomus, innumera perpeti mala, quàm blaſphemiâ tantorum malorum relaxationem conſequi. *S. Chryſoſt. Orat. 5.*

XIII. Abbas Pœmen docuit Juvenem de blaſpemia tentatum ita reſpondere: Vellem quidem blaſphemare, ſed non habeo cauſam blaſphemandi DEUM. *Fab. Conc. 3. in Dom. 18. poſt Pent.*

XIV. B. Ludovicus Rex Franciæ, cum multi peterent, ut Nobili cuidam pœna blaſphemiæ ab eo decreta, ſcilicet cauterii in fronte inurendi, remitteretur, reſpondit: Ego paratus eſſem, & pro gratia reputarem, ſi tale ſignum fronti meæ inureretur, dummodo tale ſcelus è regno meo extirparetur. *Æmilius l. 7. Hiſt. Franc.*

XV. Robertus Francorum Rex in civitate Aurelianenſi pro pace Regni orans, Chriſtum aſpectabilem habuit dicentem, non priùs eum pacem in regno habiturum, quàm blaſphemiam & alia vitia notoria è regno eliminâſſet. *Nicol. Baurius deciſ. 301.*

XVI. Joannes Hurtado Dominicanus, cùm militem graviter blaſphemantem audiviſſet, ſic eum allocutus eſt: Mentiris, maligne, DEUS is non eſt, qualem tu blaſphemo ore fingis, ſed bonus eſt, juſtus & miſericors. Cùmque miles hoc dicto efferatus ferrum ſtringeret, Joannes in genua provolutus Martyrii palmam avidè exſpectabat. *Engelg. in Dom. 11. poſt Pent.*

XVII. Imperator Juſtinianus blaſphemos morte plecti volebat; Rex Scotiæ impiam linguam radicitus exſcindi. Argentoratenſis Magiſtratus anno 1569. ùni è præſidiariis Militibus ſuis, quòd blaſphemaſſet, linguam per cervices extrahi juſſit. *Pad. Chriſt. p. 1. c. 5. §. 2.*

Damnum.

XVIII. Sennacherib Rex ob blaſphemiam in DEUM jactam primò centum octoginta quinque millia militum una nocte, Angelo Dei percutiente, amiſit; deinde ipſemet à Filiis ſuis percuſſus interiit. *4. Reg. 19.*

XIX. Nicanoris lingua juſſu Judæ præciſa particulatim avibus devoranda expoſita, & manus contra Domum Sanctam omnipotentis DEI ſuſpenſa. *2. Macch. 15. v. 33.*

XX. Herodes Rex à vermibus conſumptus: Antiochus verò miſerabili & inviſibili plaga à DEO ob blaſphemiam humiliatus interiit. *Act. 12. v. 23. 2. Macch. 9. v. 9.*

XXI. Anno 1623. 9 Octobris duo adulterinæ monetæ cuſores ad furcam damnati ſunt, quorum alter Catholicus cum magna aſpicientium ædificatione obiit, alter verò hæreticus nomine Michaël Thomas Houſſaye horrendas in *Mercur. Gallic. lib. 10.*

Deum & ejus SS. Matrem blasphemias cum effudisset, è scala vix dejectus, fune ne nimium quidem fracto, è furca delabitur, capite prorsus ab humeris, ac si novaculâ abscissum foret, excussò, solâ linguâ exceptâ, quæ longa, infamis, & visu horrida è trunco corporis pendebat, unde eidem funis iterum applicatus, truncumque corpus in patibulo iterum suspensum est.

S. Damia. l. 2. ep. 2. XXII. B. Petrus Damianus scribit, non procul Bononiâ duos Commessatores ad cœnam convenisse, in qua cùm alter Gallinaceum Pullum dissecuisset, alter tam aptè, inquit, hunc Pullum divisisti, ut ne ipse quidem S. Petrus integrum nobis restituere queat; imò nec Deus, subjecit alter; Quâ blasphemiâ vix prolata Gallus ex jusculo vivus exiliens cantat, & alas concutiens multo jure blasphemos conspergit, ipsi verò lepra tacti, eandem etiam in posteros transfuderunt, qui in criminis à majoribus patrati memoriam deinceps Ecclesiæ multis annis facti sunt vectigales.

S. Greg. l. 4. dia. c. 18. XXIII. S. Gregorius narrat, puerum quinquennem in Patris gremio blasphemantem à Dæmone abreptum, nec unquam amplius conspectum esse. Simile quid S. Cyrillus narrat de Puero duodenni cum Patre ludente & S. Hieronymum blasphemante.

S. Cyrill. in epist. de mirac.

S. Hier. Cantipr. c. 48. XXIV. Simon de Tornaco Doctor Parisiensis celeberrimus, cùm publicè dixisset, tres fuisse Impostores, qui mundum fraudibus suis subjugarint, Moysen, Christum, & Mahumetum, quorum primus Judæos, alter Christianos, tertius Turcas infatuârit, subitò eversis oculis, mugitum emittens, & per Epilepsiam elisus in terram, tertio die miserè obiit, neminem nisi Concubinam nominare valens.

S. Damia. l. 2. ep. 15. XXV. Clericus quidam cùm dixisset, falsam esse illam Christi sententiam: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur: repentè gladio per os instar fulminis transfixus est.

Spec. Ex. 43. apud Busæum in Panar. V. Blasph. XXVI. Aleator quidam, cùm per membra Christi & MARIÆ horrendè jurasset, illicò corruit, voceque terribili clamavit: Heu miser, quis es, qui me interficis? Et volutatus aliquantum humi tartaream animam efflavit. Postea verò in tergo reperta est plaga recens horribili hiatu dehiscens, quasi securi facta.

Ibidem 5. XXVII. Mulier Hæretica in oppido Hollandiæ, cùm in summa difficultate pariens Deiparam Scropham appellasset, mox divinitus punita, nigellas aliquot suculas emortuas enixa est.

Stim. Virt. l. 3. c. 21. XXVIII. In Mediolanensi Provincia, cùm Juvenis quidam cum Socio duellaturus, blasphemas in Dei Matrem voces protulisset, eo ipso temporis articulo ab Adversario, lingua & palato transfossis, peremptus est.

Gaulterius Sæc. 17. p. 821. XXIX. Villanovæ, cum anno 1613. Notarius quidam publicus, Sacerdotes Catholicos sepulturam Catholico ritu peragentes rudentibus Asinis, æquiparare solitus, ipse quoque ad sepulchrum efferretur, magnus Asinus coloris fusci apparuit, circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, & sepulchrum aliquoties circumiens, & tandem, postquam Amicos ad domum Defuncti comitatus esset, ex oculis evanescens.

XXX. In Phœnicia Mimus quidam erat, Gajanus nomine, qui, cùm in theatro B. Virginem blasphemâsset, hæc ei apparens dixit: Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam: idque tertia vice faciebat; cùm autem ille magis blasphemaret, meridie dormienti apparens iterum, nihilque dicens manus & pedes digito signavit; quo facto ipse vigilans manibus & pedibus se truncatum reperit. *Bredenb. l. 3. collat. c. 17.*

XXXI. Baronius in Annalibus refert, quòd, cùm Constantinopoli ex Arrianæ sectæ hæreticis, qui SS. Trinitatis jurati hostes erant, unus, cui nomen Olympius, in balneo corpus suum abluens, impias contra eandem & horrendas blasphemias evomuisset, confestim in rabiem actus, semetipsum unguibus miserabiliter dilaniarit, & paulò pòst sacrilegam animam ad infernum transmiserit. *Baron. Anno 494. n. 54.*

XXXII. Alius quoque Scriptor memorabilem quendam casum recensèt, qui in Regno Hispaniarum contigit circa quendam, qui postquam omnia, quæ habebat, ludendo perdidisset, Deum instanter rogavit, ut pro jactura sua reparanda gratiam suam impertiretur, at verò, quia fortuna illi totaliter adversante, ludus semper de malo devolvebatur in pejus, pecuniis ludendo penitùs amissis, tandem vestes quoque suas ejusdem ludi exponebat discrimini, ac demum vestibus denudatus domum repetiit, ibidemque assumptis armis, & conscenso equo in forum concessit, ubi coram multis alta voce exclamavit, & ait: Si quis est amicus, & fidelis Dei, qui dicat, Deum esse aliquid, vadat, & se armet, & congrediatur mecum in nomine Dei sui, & ego ipsum occidam sine Deo, & intelliget, quòd nullus sit DEUS. Ad quam propositionem omnes quidem exhorrescentes, præ nimio stupore hæsere attoniti, nullus tamen ex omnibus erat, qui detestabile facinus istud, ejusque inverecundam temeritatem ei improperare auderet: sed cui non respondit homo, protinus DEUS respondit, nam qui olim flagellaverat Pharaonem, se potentiæ suæ opponentem, non ursis & leonibus, sed ranis & muscis; immisit Deus huic væsano unam muscam, licet esset tempus hyemis, quæ cum in facie sic invasit, & sic inter faciem & galeam se opponens, aculeis suis graviter illum læsit, ita quòd oportuit galeam deponere, & ad terram projicere; at ubi musca liberum habuit accessum, sic eum in facie feriebat, quod se defendere non valens, de equo ad terram decidit, faciem versùs terram firmans, ut posset se tueri à musca, quæ etiam ibi eum fortiter invasit, nec cessavit, quousque publicè blasphemiam, quam ore prophano protulerat, omnibus audientibus cum cordis gemitu revocavit. *Vngaros Minorit. fer. 10. in expl. Symboli.*

XXXIII. De alio quoque blasphemo refertur, quod, cùm in villa quadam Terræ Laboris, in Regno Neapolitano situatæ, in die sancto Paraseeves duo, quorum unus Christianus, alter Judæus erat, taxillis luderent, & Judæus magnam pecuniæ summam perdidisset, hic Christum horrendum in modum blasphemare cœperit, cumque ludum repetere volens, taxillos apprehendere niteretur, subitò nervi manuum ejus *Thom. Cantiprat. l. 2. apum. c. 49. §. 6.*

ejus contracti fuerunt; quarè magis indignatus, manibus hoc modo contractis mensam lusoriam in terram dejicere contendit, majori cum impetu blasphemias contra Christum, ejusque Sanctissimam Matrem multiplicando; At verò confestim super temerarium hunc hominem divina vindicta animadvertere cœpit, siquidem subversis in capite oculis protinùs in terram corruit mortuus: Christianus colluſor illius pavore nimio in amentiam versus elanguit, & miseram vitam morte miserâ finivit.

In Historiis Ordin. Cistere. XXXIV. In historiis virorum illustrium ordinis Cistercienſis, Abbas Gherebaldus quendam inverecundum Beatissimæ Virginis blasphematorem dæmonis potestati traditum fuisse refert, qui idem insuper durissimâ passione divexatus atque distortus est, ita ut oculis eversis, & facie totâ enormiter intumescente, linguam ardentem atque ejectam longiùs ab ore porrigeret, qui cùm ita fuisset longo & horrendo tormento excruciatus, tandem miserabilem animam dæmoniacis spiritibus reddidit, linguámque effrænem, quam extraxerat, nec in morte retraxit.

Bredemb. l. 3. coll. c. 27. XXXV. Dum post demolitum quoddam in Flandria Ordinis S. Francisci monasterium, multæ Sanctorum statuæ igne conflagrante absumerentur, unus illorum sacrilegorum in statuam quandam S. Antonii incidens, postquam variis illam contumeliis affecisset, tandem in execranda hæc verba prorupit: si quam vim aut virtutem habet, declaretur: & ecce protinus ignis è statua illa egressus, eundem viventem totaliter combussit.

Ibidem. XXXVI. In ejusdem libri c. 29. & 30. narratur, quòd, dum hæreticus quidam ejusdem Sancti statuam ad ignem comburendam deportaret, eidem ludibriosè dixerit: Antoni, Antoni, tu quidem soles in mortale genus desævire, eósque miserè ustulare, at ubi nunc vires illæ? Et ecce subitò lingua illius peste correpta est, ac demum paulò post cum tota familia sua igne pestilentiæ consumptus est.

S. Petr. Damian. c. 2. epist. 15. XXXVII. B. Petrus Damianus pariter de quodam impio, rixisque dedito clerico refert, quòd, cùm tempore diem & horam præsignasset, in qua cum quodam hoste suo, qui nonnullas beneficii sui possessiones usurpabat, manus conserere decreverat, acciderit, quòd manè Missæ audiendæ assistens, verbáque illa audiens: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*; illicò hic clericus conversus in hanc vocem sacrilegam protervus eruperit: Hæc sententia vera non est, nam si ego me meis adversariis humiliter inclinâssem, hodiè tot possessionum copias, atque clientum non haberem; cumque in eodem loco ab adversario clerici missus nuntius, alterum de clerici proposito informaturus, præsens adesset, háncque à clerico prolatam blasphemiam ei, à quo missus fuerat, referret, mox ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad spem procul dubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Pridie verò, quàm manus conserturi ad invicem erant, DEUS blasphemum istum castigare volens, jumentum ejus quendam salis modium in via obvium habere permisit, quem cùm avidè abligurisset, sitibundus equus, ad copiosum quendam aquarum rivum perveniens, ut se in torrentem illum mergeret, sitimque suam mitigaret, frænum clerico è manibus avulsit: Ille verò dum eâ manu, qua scutum tenebat, cum jumento confligit; hostilibus jaculis faciem coactus exponit, & ecce repentè gladius os ejus fulminis more transfigit, talique fine reprobus vitam suam concluſit. O quàm congruè in illa pertulit corporis parte vindictam, quâ nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam; & cum Propheta de talibus dicat: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*; qui linguam suam, & dentes adversùs Deum gladii more vibravit, dignè per eadem membra materialis gladii pœnas exsolvit.

Drexelius in Phaeth. c. 14. §. 2. XXXIX. P. Hieremias Drexelius refert, quòd, cùm Anno 1581. in civitate Biturienſi Eliſabetha Blæſtina in die Sacratiſſimi Corporis Christi unà cum marito ſuo, matre item & ancilla, in Eccleſiam S. Severi filiolum ſuum in ulnis deferens ingreſſa fuiſſet, quendam verbum Dei publicè ex pulpito declamantem audiens, eum deriſerit; concione verò finitâ, dum Parochus ejusdem loci ſacrum Miſſæ officium exordiretur; ipſa ritus Miſſæ & ceremonias ſacras pari riſu proſequens, dixit: Accedamus propinquiùs, & ſpectemus ſtulti illius Presbyteri ſuperſtitioſas geſticulationes. Et ecce mox ut ad altare propiùs acceſſit, ſubitò veluti fulminata, ſine ullâ pueruli, quem in ulnis portabat, læſione, in terram ad pedes Gubernatoris civitatis illius concidit; Mater autem ejus, quæ blaſphemiæ conſors fuerat, muta, nec ſibi præſens, elata templo, ubi magnam ſanguinis copiam ex ore & naribus ejecit.

Apud Manſi diſc. §. n. 8. XXXIX. Refert quidam Scriptor, quòd Alvarado Regio Hiſpaniarum Miniſtro, in prælio cum Xaliſcæ populis habito, mortuo, Beatrix de Cuena uxor illius in blaſphemas voces eruperit, dicendo: Nullam in Deo eſſe omnipotentiam; Unde ſubitanea quædam tempeſtas oborta, è vicino monte, diluvio quodam civitatem à marito ipſius ædificatam inundavit, quod prægrandia ſecum à monte divulſa ſaxa rapiens in domum, in qua blaſphemiam illam, in cujus pœnam univerſa civitas ſubverſa remanſit, evomuerat, ingenti cum impetu alliſit, ſolòque tenus eandem ſubvertit; quod verò vel maximè ad propoſitum noſtrum facit, eſt, quòd præfatus Author ſcribat, quòd blaſphema hæc mulier imminentem domûs ſuæ ruinam videns, ſaniori exinde mente conceptâ, precibus malum, quod imminebat, à domo ſua avertere quidem conabatur, ſed incaſſum, ſiquidem diluvium raptata ſecum ſaxa in domum illidens, eandem oppreſſit, totámque civitatem momento evertit.

Drexelius l. c. c. 6. §. 5. XL. Narrat Drexelius, quòd Batavi, poſtquàm ſacellum B. Virginis Sichemienſis deprædati fuerunt, duas deinceps valdè præcipuas amiſerint civitates, Oſtendam nimirum, & Bredam; multáque alia infauſta & funeſta illis acciderint; Et quidem hoc loco ſileri non debet, quòd ex prædonum illorum numero unus fue-

rit, qui equo cæco insidens per ludibrium dicit: Eja Maria, nunc miracula faciendi tempus adest, si potes, huic equo meo visum restituas; quibus verbis dictis, equo quidem oculorum lumen restitutum fuit, ipse autem blasphemus prædo penitus excæcatus remansit, in multam criminis, quo Deiparam Virginem ipse deriserat.

Eusebius apud Mansi dist. 10. n. 15.

XLI. Eusebius in Historia Ecclesiastica Maximiani Imperatoris odium, quo Christianos prosequebatur, tantum fuisse refert, ut multas adversus Christum componi fecerit blasphemias, easdemque scholarum didascalis seu ludimagistris dari & distribui præceperit, ut scholares easdem edocti, ad majus fidei nostræ ludibrium per vicos & plateas publicas decantarent, ut tantò firmiùs teneræ illius ætatis menti & memoriæ imprimerentur: At verò per sævam adeò pestilentiam punitus fuit, ut mortuorum cadavera ob nimiam illorum multitudinem insepulta remanserint, ita tamen; quòd nullus Christianorum eâdem infectus fuerit. Ipse quoque Imperator oculorum lumine orbatus, & rabie plenus, caput suum columnæ sæpiùs validéque allidens, totus desperatus necem sibimet ipsi intulit.

Mansi dist. 11. n. 9.

XLII. Ludovicus Episcopus Tudensis refert, Eliam, qui S. Francisco in Generalatu Ordinis Minorum successit, sequentem casum retulisse, qui Laudæ revera accidit; Ibi namque in hospitali quodam hæreticus quidam, licèt ignotus, ad mortem usque infirmabatur, quem proinde Sacerdos, ut sacro se viatico armaret, hortatus fuit, cui hæreticus cum suspiriis respondit: Ecquis dabit mihi Corpus Christi, ut accipiam, & adorem? Cui Sacerdos, Sacellanum illud confestim allaturum esse, respondit: cui infirmus replicavit: Apage sis, Presbyter non defert Corpus Dominicum, sed panem nostrum. Et ecce eodem, quo hæc dicebat, momento, cattus quidam, qui aliàs cicur & domesticus fuerat, in gulam temerarii illius insilivit, dentibusque & unguibus illum misere discerpere cœpit, adeò ut summâ cum difficultate cattum istum ab illo avellere possent. Quo miraculo circumstantes animati, infirmo enixè conati sunt persuadere, ut Christi in hoc Sacramento præsentiam crederet, suamque hæresin detestans abjuraret, eo vel maximè, quòd jam oculis conspexisset, qualiter se bestiola ista ad insultum, in communem sui & ipsius Creatorem ab ipso temerè dictum vindicandum, armasset: Quibus ille, cattum illum utique antea ferocem & rabidum fuisse, respondit: Ubi verò ab illis rei veritatem percepisset, quòd scilicet nunquam ferociisset, quin potiùs hactenus semper unicuique familiaris & blandus existens, hanc suam ferociam & rabiem, tanquam instrumentum ab ultrice divina Justitia assumptum exercuit, infirmus etiamnum licèt, in sua contumacia perseverans, subticuit: cùm verò Sacerdos paulò post ad eum accedens, hortaretur eum, ut se ad saniorem fidem converteret, ille verò de novo blasphemaret, & in Sacerdotis faciem conspueret, cattus ille protinus reversus, eum ut antea, crudeliter invasit, unguibusque atrociter in collo & facie discerpsit, eumque quasi ad mortis angustias reduxit: qui tamen à circumstantibus coërcitus, & ne deinceps ipsum lædere posset, videreturque, num infirmus ad saniorem rediturus esset mentem, caveæ inclusus fuit; Interea blasphemus ille desperatus, & obstinatus mortuus est: cumq; sua catto restitueretur libertas, ex hospitali ad agrum properavit, in quem cadaver impii illius projectum fuerat, ibique clamoribus & ejulatibus aëra replens, tandem & ipse mortuus est.

Pratum Florum p. 1. l. 1. c. 6.

XLIII. In partibus Vasconiæ duo laniones in blasphemiis quotidianis habituati, Corpus Christi frequenter per diem ex contemptu nominare consueverunt, cumque ambo die quadam à suis inimicis ad mortem usque sauciati essent, omnes regionis illius canes certatim ad eos accurrentes, utrumque agressi, corpora illorum dilaniârunt, & in minutas partes discerpserunt.

Cæsar. Witerb. l. 7. c. 44.

XLIV. In alio quodam Scriptore legimus, quòd, cùm ex duobus lusoribus unus, qui sua ludendo perdiderat, varias contra Deum blasphemias effutiisset, collusor id ipsum audiens ei dixerit, quòd modum efficaciter blasphemandi ignoraret; ac proinde ipsum docere volens, horrendas contra Deum & Sanctissimam ejus Matrem evomuerit blasphemias: Et ecce subitò vox quædam audita fuit, hæc verba articulatè pronuntians: Hactenus illatam mihi injuriam dissimulavi, at verò nunc, quia de honore Matris meæ agitur, vindictam differre nequeo, & confestim in eodem loco ab invisibili manu ferro transfossus animam exhalavit.

Ibid. lib. 4. c. 21.

XLV. In eadem historia de Nobili quodam legitur, quòd, dum longo tempore aërem quotidie turbari, novámque imminere tempestatem vidisset, impatiens & furore plenus dixerit: Ecce de novo iste diabolus se prodere incipit. Qui vix blasphemum hoc verbum finierat, cùm ecce filius ejus inter manus nutricis positus fulminis sagittâ percussus interiit, nutrice prorsus illæsâ permanente. Eodem fulmine quædam ejus ædificia conquassata corruerunt, omniáque ejus armenta, & ovium greges disparuerunt.

Thom. Blancus in milite Generoso l. 2. c. 3.

XLVI. Non procul à celebri quadam Galliarum urbe degebat vir magnæ Nobilitatis, sed sceleribus infamis, neque contentus peierare, idem liberos docebat. Provocatus à viro nobili, cùm alacriter cum eo congrederetur, lethale vulnus accepit. Uxor ejus perquam pia mox virum religiosum acciri curat, qui mariti confessionem audiat (fuit is ipse rei totius oculatus testis) sed is ab ægro aliud nihil audiit, nisi blasphemias, juramenta, & execrationes. Cumque nihil efficere se videret, cum socio in proximum conclave secedit, & per horæ quadrantem pro misero illo Deum orat. Interea audit clamorem in cubiculo, & inter vociferationes & ejulatus has voces interruptas. Pater, Pater, misericordia! Adest Pater, & videt hominem furiis & horrendis convulsionibus agitatum. Interrogatus, quid vellet, respondit verbis concisis: Video ante me scripturam: Pater legere scripturam jubet, quam semimortuâ & languente voce protulit; & erat: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Tum Pater sumpto

pto Crucifixo, lacrymis plenus in collum & postea pedes ægri ruit: eum amplexatur, orat, obtestatur, ut confiteri velit, Dei in obstinatos justitiam, in pœnitentes misericordiam ob oculos ponit; præstare, serò tandem, quàm nunquàm resipiscere. Ubi Pater mite responsum accepit, spem salutis concepit, voluitque in eo actum contritionis elicere; multa in ea rem prolocutus. At ille, Pater, inquit voce concisâ, & oculis dolore quocunque plenis: Ah! Pater, quid cogitas de contritione? è centum millibus vix quatuor ad eam mortales pertingere possunt. Pater, cùm ostenderet, facilè id ope Dei fieri posse, cùm neque blandis verbis, nec minis Dei judicis quidquam efficeret, iterum in proximum conclave se contulit, & coram B. Virginis imagine se prostravit, subinde æger in magnum deliquium incidit, ut coactus fuerit aliquid medicamenti sumere, quod vires restauraret. Interim æger ad mortem festinat, intus computrescit, vexatur insomniâ, infestatur somniis, & iterum auditur instar rabidi vociferari: Pater, mi Pater, misericordia! Redit Pater, & instar canis spumantem reperit, jam vultum hominis damnati præ se ferentem. Quem æger quidem inclamat, sed cum ejulatu, blasphemiis, & omnis impietatis phrasi. Pater illum animat, superesse adhuc locum pœnitentiæ, & veniæ. Cui ille, non hoc agitur, velut furens loquitur: Iterum scripturam video, cùm tamen & Pater & conjux nil viderent. Tunc voce raucâ legit: *Quæretis me; & non invenietis.* Hîc Pater zelum suum & minas intendit, spem & lenitatem admiscens. At æger: non moriar, clamat cum rabie & dentium stridore, vulnus non est mortale, injuriam facerem generosæ menti, & commilitiones jure possent meam timiditatem criminari, ac dicere, me mortis metu confessum esse. Igitur Pater tertiâ jam vice secedit, planè consternatus, & mox iterum horrendos clamores execrandi hominis audit. Accurrit, hortatur ad Confessionem. Cui æger: non est jam tempus ampliùs: Diabolus ingens volumen meorum scelerum mihi ostendit, jam sentio ejus sævitiem, & uncos, qui viscera mihi evellunt. Habuit tunc tantum adhuc virium, ut diceret, tertiam se scripturam videre (quam ipse vidit solus) legit igitur & hanc, sed horribili cum clamore: *In peccato vestro moriemini.* Eô momentô, quo hæc edixit, supremum agonem adiit, fremuit, tremuit, & stridit dentibus, modo prorsus horrendo: Et inter inauditos terrores immanè vociferatus, infelicem animam orco transmisit. Eodem tempore corpus apparuit tam terribile, ut vix alicujus hominis formam retineret. Vermes ex omni parte cadaveris scaturiebant, tanto cum fœtore, ut nemo eum posset perferre, præter duos agrestes, qui ad eum sepeliendum in cubiculo relinquebantur. Pater postquam consolatus est viduam, ut potuit, ex arce egreditur, mortuo similis. Cumque in via ea secum volvit, quæ gesta sunt, vocem audit se appellantem, videtque ex arce hominem formidine plenum ad se adventare, qui ait: Ah Pater, revertere quantocyus, diaboli herum abstulerunt: duo molossi nigerrimi per caminum illapsi, corpus abripuerunt, & per caminum regressi corpus abstulerunt nullâ re aliâ de hero relictâ, quàm linteamine, cui insutus erat. Pater propè exanimatus est hoc nuntio, ac robur à Deo expostulavit: & reversus ad arcem, reperit omnia, uti in via audierat, & linteum super culcitram stramineam; dæmones in linteo foramen pugni magnitudine fecere, ut indè cadaver auferrent: Tamque tetrum fœtorem post se reliquere in cubili, ut ne fortissimis quidem tolerabilis esset, quin illico pedem referrent. Interea Pater viduam vidit ad Crucifixi pedes prostratam; oculis in cœlum levatis, adeò desolatam, ut vocem ab ea elicere non posset: & pro illa Christum inibi è cruce pendentem precatus, eidem valedixit, & ipse mœrore plenus, itaque fractus, ut quindecim dies præ languore ægrescceret. Uxor autem proba cœpit maturè penitusque res mundi abjicere: negotiisque compositis, ac liberis duobus adhuc admodùm teneris (qui intra paucos menses mortui sunt) in tutorum manus traditis, eodem adhuc anno religioni Visitatæ B. Virginis se adjunxit. Ad anni finem feralis fuit dies mortui anniversarius; nam eodem die, qui est à morte annuus, eâdem horâ & momento, quo anno priore impiam animam efflavit, tam horribili fragore fulmen in ejus cubile irruit, ut turres corruerent, & muri minutim confracti per aëra volarent. Tota denique arx ita in voraginem subsedit, ut ne vestigium quidem ejus supersit, & nunc locus sit curribus passim pervius, neque de execrabili homine aliud monumentum restat; quàm ejus apud inferos corpus & anima. Contigit hæc tragœdia 15. Octobr. 1653. quam vidit, & sua manu consignavit vir ille Religiosus, qui ad eum evocatus erat.

XLVII. P. Hieremias Drexelius refert, quòd Anno 1583. Novesii in Diœcesi Coloniensi mulier quædam hæretica, sed occulta, interrogata, cur cum aliis non frequentaret Ecclesiam, & officia divina; per ludibrium respondederit: adeò alta & sublimis est illius fabrica, ut de illius ruina vix in ea securi esse possimus: Accidit autem eodem tempore, ut ibidem Monasterium quoddam religiosorum extra urbis mœnia situm dirueretur, alibi in urbe situ quodam commodiori & securiori reædificandum, quod prædicta videns mulier, ex petulantia quadam hæretica, se gaudere, dixit, quòd ad illud usque tempus vitam suam produxisset, quo Papistarum Ecclesias devastari, & solo tenus everti videre liceret; & ecce, dum prædictam Monasterii demolitionem jucundo vultu spectat, columna quædam in ipsam collapsa eandem oppressit, & totaliter contrivit, aliis astantibus nec quicquam læsis. *Drexel. in Phaeth. c. 14. §. 2.*

XLVIII. In Annalibus Ecclesiasticis, ex Thoma Waldensi Carmelitano, oculato teste, refertur, quòd jam memoratus præclarus Ecclesiæ & fidei pugil propriis oculis quendam viderit hæreticum, qui, cum veram & realem Christi in Sanctissimo Altaris Sacramento præsentiam credere nollet, ab Episcopo illum reverenter adorare jussus, dixerit: Verè dignior est aranea revereri. Dicitque præfatus Waldensis, *Annal. Eccles. Anno 1396. n. 17.*

sis, qui id ipsum Londini in Ecclesia Cathedrali S Pauli vidit, quòd, dum Archiepiscopus Cantuariensis ipsum ad saniorem fidem apprehendendam, frustra & incassum hortaretur, divina Justitia vindex, debitum huic temerario homini immiserit supplicium; Nam statim de alto culmine tecti descendens ingens & horrenda visu aranea ad os blasphemi pervenit, &, dum loqueretur, ut intraret per polluta labia, sollicitè procuravit, & multorum manibus vix potuit prohiberi. Unde Episcopus occasione hac usus, hanc Divinæ justitiæ demonstrationem populo manifestavit; Nec mora, qui pretiosissimæ carni Agni præelegit araneam, peccatricem carnem suam flammis devorandam amisit.

Baron. Anno 363. n. 32. XLIX. Refert Baronius de Libanio Sophista, qui S. Gregorii Nazianzeni Magister fuit, de quo etiam Theodoretus lib. 3. c. 18. scribit, quòd Juliani Apostatæ amicus & sectator existens, Christianorum quemdam sibi familiariter notum per ludibrium, quid filius fabri, id est, Christus faceret, interrogarit; cui ille id, quod postea revera accidit, protinus respondit, videlicet: Deus hujus universi Creator, quem tu per ludibrium fabri filium appellas, Juliano feretrum, in quo mox moriturus collocabitur, fabricat; factumque est, ut paulò post Julianum pessimâ morte defunctum fuisse nuntiaretur; nam ex vulnere lethifero, quo ab invisibili manu sauciatus fuerat, effluentem sanguinem volâ manûs excipiens, cœlum versùs projecit, ad ultimum usque spiritum blasphemâ voce dicendo: Vicisti Galileæ.

Thom. Cantipratt. l. 2. Apum c. 29. §. 9. 10. L. Thomas Cantipratensis refert, quòd, dum Lovanii in Brabantia civis quidam timoratæ conscientiæ manè in die Veneris sancto ad templum properans, ante tabernam quandam transeundo, dissolutos juvenes quosdam audiret ludentes, Deumque enormiter blasphemantes, viderit pariter in platea, quam pertransibat, multos homines, ex compassione miserabilis cujusdam hominis graviter sauciati, ignoti tamen, amarè plorantes: cumque circumstantes, quisnam crimen illud commisisset, sciscitaretur, responderunt, id à juvenibus illis petulantibus, Deumque in taberna sine intermissione blasphemantibus fuisse patratum, ad quos proinde ingressus, execrabile hoc facinus acerrimè illis improperavit, qui tamen id ab se minimè factum esse, constanter asseverârunt, falsamque hanc de illis conceptam opinionem efficacibus rationibus à se nisi sunt propulsare, utpotè qui nec verbis, nec factis illi homini saucio molestiam ullam intulissent; quia verò egressi, ut vulneratum hunc hominem viderent, & criminis authorem ab eo explorarent, ipsum disparuisse invenerunt: Conversi singuli ad se ipsos, animadverterunt, blasphemiis suis rursus Christum Dominum contumeliis affectum, rursus improperiis cruciatum.

Paul. Zehentner in verme conscient. l. 3. c. 1. §. 1. LI. In Hispania quidam, quòd taxillis infeliciter luderet, & post opem etiam Dei invocatam nihil proficeret, tandem furens, domi galeam, loricam & arma sumit, & conscenso equo, in forum provolans omnes & singulos illic provocat, ut, si quem Deum esse crederent, ejus causam armis tuerentur: se verò cæsis omnibus demonstraturum, nullum Deum esse. Tum Deus unam in illum vespam misit, quæ per galeam illapsa ejus vultum aculeo passim confixit: Donec tandem gemebundus fateretur, Deum esse justum commissi sceleris ultorem.

§. V.
EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga Blasphemiæ.

Hist. Soc. p. 1. l. 10. n. 62. I. S. Ignatius dicere solebat, si Deus ipsum in inferno collocaret, nihil sibi acerbiùs fore, quàm audire blasphemias in Deum.

L. 1. Ep. 7. II. S. Franciscus Xaverius scripsit in quâdam Epistola: Tædet me interdum vivere, ac satiùs esse arbitror pro religione mortem oppetere, quàm in tot tantisque divini Numinis contumeliis vivere.

§. VI.
SIMILITUDINES.

Qualitas.

Langius in Polyanth. f. 160. I. Sicut Filius, qui à Patris præceptis deviat, minùs peccat, quàm qui in faciem ei protervè repugnat, ita contra Deum gravius peccat, qui blasphemiam vel sacrilegium committit, quàm qui humanitùs delinquit.

Faber cone. 3. in Dom. 18. post Pentec. n. 3. II. Sicut olla, quæ cum magno impetu & ardore sursum aquas projicit, vehementer se succensam esse ostendit; ita grandis in Deum odii signum est, blasphemiam in ipsum sursum projicere.

Damnum.

Plutarchus in Moralibus. III. Sicut jaculum, si in solidum aliquod ceciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur, ita convitium in fortem & constantem virum tortum, recidit in convitium facientem; Et quidem si id ipsum in hominibus virtuosis locum habet, quantò magis in Deo; ac proinde David cùm dixisset (Psal. 72. 9.) *Posuerunt in cœlum os suum*, immediatè subdit: *Et lingua eorum transivit in terra.*

S. Chrysost. hom 3. de natura Dei. IV. Sicut qui lapidem sursum jaculatur, corpus cœleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cùm lapis eodem, unde jaculatus est, redeat, ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut nunquam offendere eam potest, cùm longè potior, atque excelsior sit, quàm ut affici aliquo possit detrimento; sic ferrum adversùs animam suam acuit & parat, cùm se ingratum Domino benè merenti exhibet.

§. VII.
MOTIVA.

Ad fugiendam blasphemiam.

S. Ephrem. Paran. 43. I. *Quia per hoc vitium non creata aliqua res*, uti fit in furto, homicidio, adulterio, *sed ipsa DEI Majestas in seipsa læditur.* Unde S. Ephrem, desine, inquit, ô homo, blasphemare, ne fortè idem sermo, quem condemnas, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace jam factâ, in conspectum ejus prodire erubescit, quomodo tu hodie in mundo constitutus, si cras tribu-

tribunali ipſius præſentandus, audes talia eloqui? & non metuis, ne forte ignis deſcendat de cœlo, & devoret te? Certè S. Hieronymus dicere auſus eſt, nihil horribilius eſſe blaſphemiâ, quæ ponit in excelſum os ſuum. Omne quippe peccatum blaſphemiâ levius eſt.

S. Hier. in Apol. l. 7. c. 18.

S. Auguſt. ſuper Io.

II. *Quia Chriſtum ipſum flagellat iterum ac crucifigit*; ſic enim S. Auguſtinus apertè teſtatus eſt dicens: Flagellatus eſt Chriſtus flagellis Judæorum, ſed non minùs flagellatur flagellis falſorum Chriſtianorum; unde graviter aliquando vulneratus ante hoſpitium jacere à viro quopiam ſancto deprehenſus eſt, quæſitusque, quis tam graviter eum vulnerâſſet, ſe ab adoleſcentibus in hoſpitio blaſphemantibus ſic tractatum fuiſſe reſpondit.

Herold. in Promptuar. de blaſphem.

Apoc. 16. v. 9. c. 13. v. 6.

III. *Quia Diabolo & Damnatis hoc vitium proprium eſt juxta illud* Apocalyſis: Æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei. Et de Diabolo: Aperuit os ſuum (Draco infernalis) in blaſphemias ad DEUM, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlis habitant; hinc S. Chryſoſt. linguam vehiculum Diaboli appellat, quo blaſphemiis onerato contra Deum invehitur.

Perald in ſumm. virt. tract. 9. c. 1.

IV. *Quia nihil magis dedecet Chriſtianos, quàm blaſphemia*; Quemadmodum enim, inquit rectè Guilielmus Peraldus, blaſphemi, Filii Diaboli ea cantica diſcunt in mundo, quæ canant in inferno; ita Filii DEI divinis laudibus aſueti eos pſalmos addiſcunt in terris, quos cantabunt in cœlis.

S. Bernardinus tr. 1. ſer. 41. A. 3. c. 1.

V. *Quia Deus Genitor noſter eſt*: quòd ſi enim honor & reverentia erga proprios genitores, adeò unicuique homini ab omni lege, naturali, poſitivâ, humanâ & divinâ, ſub graviſſimis pœnis præcipitur, quantò magis unumquemque urgere debet reverentia erga illum Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur? Hoc ſcelus eſt in cœleſtem Patrem, & ideò dignum æternâ morte. *Qui maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur.*

S. Chryſoſt. ho. 3. de Lazaro.

VI. *Quia Deus præcepit, ut inimicos tuos diligas*: tu verò Deum te amantem averſaris? Deus juſſit, ut convitiis inſectantibus benignè loquaris, maledicentibus benedicas? tu verò illi benefacienti, & tui curam agenti maledicis, cùm nulla in re læſus ſis?

S. Ephrem. Paran. 41.

VII. *Quia idem Deus tot nobis beneficia contulit*; Unde S. Ephrem ſic loquitur; Quousque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit; Qui pulverem è terra capiens formavit hominem, & ſpiravit in eum ſpiritum vitæ? Qui cuncta ſubjecit ſub pedibus ſuis, & nos dormientes cuſtodit, & excitatos protegit, & eſurientes nutrit, & nudos veſtit, puſillanimes conſolatur, corripit & miſeretur, qui etiam filium ſuum unigenitum pro omnium vita tradidit.

§. VIII.

MEDIA.

De Civit. DEI c. 9.

I. *METus pœnæ æternæ*: de qua locutus eſt S. Auguſtinus, dum dixit: Cùm probrum jacitur in Principem Patriæ bonum ac utilem, nonne tantò eſt indignius, quantò à veritate remotius, & à vita illius alienius? quæ igitur ſupplicia ſufficiunt, cùm DEO fit iſta tam nefaria, tam inſignis injuria?

Annus fol. 1594.

II. *Metus pœnæ temporalis à ſe ipſo infligendæ*: Sic militi cuipiam ſuaſit quidam Pater Societatis JESU, ut toties terram oſcularetur, quoties in blaſphemiam prorupiſſet; quod dum facit miles, globus plumbeus, qui ſine dubio ipſum ſtantem occidiſſet, prætervolavit, nec damnum aliud, quàm levem thoracis aduſtionem intulit.

Buſæus in Panar. V. blaſphem.

III. *Beneficiorum à DEO acceptorum ponderatio*: nemo ſiquidem eſt tam impius, qui Amico ſuo & Benefactori maledicat, cùm & beſtiæ ferociſſimæ minimo beneficio manſuefiant.

S. Climac. grad. 23.

IV. *Citò reſiſtere tentationi blaſphemiæ*: Ita B. Joannes Climacus ſuaſit dicens: Qui blaſphemiæ Spiritu ſe perturbari ſentit, atque ab eo liberari cupit, pro certo habeat, non ſuam Animam hujuſmodi tentationum eſſe cauſam, ſed impurum illum ſpiritum, qui aliquando Domino dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me. Ideirco nos quoque contemnentes ipſum, & quæ ab illo dicuntur, nihil æſtimantes, ſecuri & intrepidi dicamus: Vade poſt me Satana; Sermo autem dolus que tuus in caput tuum convertetur, & in verticem tuum blaſphemia tua deſcendet in præſenti, & in futuro ſæculo. Qui præter hunc modum adverſus blaſphemiæ Spiritum pugnare vult, is ei ſimilis eſt, qui manibus ſuis coruſcationem continere nititur.

S. Clim. ibid.

V. *Patri ſuo Spirituali aperire tentationem*: Sic Monachus ille apud S. Climacum exemplo ſuo docuit, qui cùm viginti annis fruſtra jejuniis & vigiliis ſpiritum blaſphemiæ fugare ſtuduiſſet, tandem ſcriptam in charta tentationem ſancto cuidam Seni in faciem proſtratus, nec illum intueri valens obtulit, quam ut legit Senior, ſubridens, fratremque erigens dixit: Pone, Fili, manum tuam ſuper oculum meum. Quod cùm feciſſet, ait illi Senior; ſuper collum meum, ô Frater, ſit hoc peccatum. Tu autem id obſerva, ut floccipendas illud & nihil æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt Frater, ut non antè Senis cellâ excederet, quàm hujuſmodi morbus evaneſceret.

Engelgrav. in to. 2. Panth. de Aſſump. B. V. §. 4.

VI. *Spes præmii propter fugam blaſphemiæ conferendi*; ita correctus eſt miles ad urbem Oſtendam, qui adeò blaſphemiis aſſuetus erat, ut ad ſingula verba iteraret; monitus ſæpè dicebat, uſu ita roboratam eam conſuetudinem, ut dediſcere nequiret. Tandem inopiâ preſſus ſtipem petiit ab uno è Patribus noſtris caſtrenſibus, qui ſolitus erat eam egenis militibus præbere. Aureum illi nummum Pater promittit, ſi per horam ſe ſequatur, caſtra & ſtationes militum luſtrando, citra juramentum: acceptat conditionem: Dum per tranſennam à ſociis variè laceſſitur, irritatur. Sacerdos præit, aureum illi ad hos inſultus oſtendens. Res mira! ſolus conſpectus & ſpes aurei ita hominem cœpit, ut conſuetudinem omninò ſuperarit.

§. IX.

ASCETICA.

I. IMprimis nôſſe debet Aſceta, *quando blaſphemia per Sanctos aut alias creaturas committatur*, id quod S. Thomas ſequentibus verbis oſtendit: Sancti ex vi ſui ſtatûs habent

quasi intrinsecam habitudinem ad Deum, & ideo si contumelia afficiantur, injuria transit in Deum ipsum; etiamsi hoc formaliter non intendatur, vel illa habitudo expressè non consideretur, sicut considerari posset, & deberet.

S. *Thom.* 2. 2. q. 76. a. 2. Unde S. Thomas ait: Sicut Deus in Sanctis suis laudatur in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat. Quia verò objicere quis posset, pari ratione futuram esse blasphemiam, si quis contumeliam aliquam proferat contra quamvis aliam creaturam, ideo cum eodem S. Thoma respondetur: Maledicere rebus irrationalibus, in quantùm sunt creaturæ, esse peccatum blasphemiæ.

S. *Bernardinus tom.* 1. *ser.* 41. a. 1. c. 1. II. Nôsse debet, *unde oriatur gravitas blasphemiæ*, quod S. Bernardinus sic ostendit: In omnibus aliis peccatis, quæ fiunt maximè contra proximum, nullus intendit Divinam offensam, neque intendit se vindicare de Deo; sive committat homicidium, sive furtum, sive adulterium, sive quod simile crimen, imò potiùs cuperet homo hujusmodi operari, ita quòd non offenderet Deum; In blasphemia autem intendit homo directè offensam Dei, & de ipso se vindicare, qui nullam commisit, neque committere potest culpam. Eandem optimè declaravit Origenes, dum dixit: Qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur. Quis porrò magis Pater, quàm DEUS? nonne, inquit, ipse est Pater tuus, qui possedit & fecit te, & Salvator? Quanto ergo magis digni erunt, qui huic Patri Spirituum maledicunt? Hinc etiam in Levitico præcepit DEUS, ut blasphemus extra castra educeretur, & non tantùm Carnifex, sed omnis Populus eum lapidaret, ut omnes communis Parentis Dei injuriam Zelo gloriæ ejus incensi vindicarent; & ut admonerentur hoc exemplo, ne id committerent, quod tam horrendo ac ignominioso supplicii genere plectendum esset.

S. *Bernardin. t.* 1. *serm.* 41. a. 2. c. 3. III. Nôsse debet, *cur blasphemantes Judæis deteriores à SS. Patribus dicantur*: nimirum ob sequentes causas. Prima, quia Judæi Christum in cruce egerunt, & dirè tractarunt, dum mortalis etiamnum esset, & in statu abjecto, paupere & vili nobiscum viveret: At verò blasphemans illum, in cœlis gloriosè regnantem injuriâ afficit; adducitque quandam ex Alexandro de Alès petitam rationem, qui ait: fit major injuria ratione majoris statûs, status autem regnantis in cœlis est major ipsius regnantis in terris. Secunda ratio illius est: Judæi hoc fecerunt ex ignorantia; *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. Corinth. 2. blasphemus autem hoc perpetrat ex malitia. Tertia, eaque præcedentibus non minùs efficax, est: Judæi non promiserunt ei fidem, blasphemi autem in baptismate promiserunt, & in Chrismate confirmaverunt; ac proinde Deum illis apud Isaiam improperare dicit: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Deum, blasphemaverunt Sanctum Israel.*

Hugo Victor. à S. IV. Nôsse debet, *cur blasphemia neque in hoc sæculo remitti dicatur, neque in futuro*; Nimirum quia, ut Hugo Victorinus ait: hoc malum nihil in se habet excusationis, non meretur habere executionem remissionis. Ubi notanda est dictio illa, executionem remissionis: quia tametsi Deus nonnunquam ad placandum, concedendamque ei commissarum in se culparum remissionem promptus esset, justo tamen judicio suo permittit, ne blasphemus promptâ hac ejus voluntate utatur, quin potiùs ad recidivam sibitò redeat. S. Bernardinus quendam textum S. Joannis adducit, dicens: Spiritus blasphemiæ non remittitur, ideò vocatur peccatum ad mortem; Unde 1. Joan. 5. dicitur: *Est peccatum ad mortem, non dico, ut pro eo quis roget*, id est, quilibet, quia necesse est, ut magni meriti sit, qui hujus sceleris remissionem impetrare valet, cujus ratio est, quia tanta cœcitate obtenebratur mens talis, maximè judicio Dei, in puncto mortis, quòd peccatum suum nullo modo cognoscere potest, unde pervenire ad veram pœnitentiam possit. Juxta illud Levitici cap. 20. *Qui maledixerit Patri*, id est, Christo, & Deo, *vel Matri*, id est, Virgini, vel Ecclesiæ triumphanti, *extinguetur lumen ejus in mediis tenebris!* id est, in puncto mortis. In alio quoque sermone, qui est in Tom. 4. serm. 33. idem Sanctus textum illum S. Matthæi: *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ponderans ait: Quia propter ejus ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi se, & isto modo remanet damnatus, quia est extra gratiam Dei, & est peccatum in Spiritu Sancto.

Bernardino l. c. citatus.

Orig. in c. 26. Levit. V. *Nosse debet solidum modum curandi hoc vitium*, qui in eo ferè consistit, ut ex una parte gravitas illius clarè demonstretur; ex altera verò parte etiam ostendatur, quòd hoc vitium nihil commodi afferat homini, sicut alia vitia, ad quæ plerumque voluptatis aut honoris cupiditate trahimur, blasphemus autem solâ suâ malitiâ & odio impellitur ad blasphemandum Deum, unde meritò Diabolicum vocatur vitium, ut supra vidimus.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Levit. 24. *v.* 14. I. EX occasione thematis: *Lapidet eum Populus universus*: ostendatur, quàm meritò hæc pœna, & longe gravior in altera vita *Ibid. n.* 16. infligatur blasphemo. 1. Quia condemnatur à *DEO*. Qui iteratò repetit in scriptura: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; idque actu in tot blasphemis terribili & repentina morte castigatis ostendit. 2. A *SS. Angelis*, aliisque *cælitibus*, quorum unus centum octoginta quinque millia Assyriorum ob blasphemiam Sennacherib, alii Sancti alios blasphemos graviter castigârunt. 3. Ab *Hominibus*, præcipuè Magistratûs dignitate & potestate præditis, qui tam per leges canonicas, quàm civiles huic sceleri gravissimas pœnas decreverunt. 4. A *Creaturis irrationalibus*: quæ sæpe ad Dei imperium vel absorpserunt blasphemos; vel consumpserunt alio mortis genere, uti suprà variis exemplis ostensum est. 5. A *Dæmonibus*: qui non

non semel blasphemos ex DEI permissione ad Tartara corpore & animo rapuerunt. 6. A *Seipsis*: qui, ut S. Joannes testatur, commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Vide fusiùs hæc deducta apud Fabrum conc. 8. in Dom. Pass.

Marc. 3. v. 29. II. Ex occasione thematis: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem peccatorum*: explicari possunt causæ, cur hoc peccatum tam grave censeatur. 1. Quia gravissimum est ratione *offensi*: quia directè committitur in Deum, hinc Judæi auditâ blasphemiâ vestes lacerabant. 2. Ratione *Offensæ*: quia maximam Deo infert injuriam, auferendo ipsi honorem, quem præ omnibus æstimat, ac defendit. 3. Ratione *Offendentis*: quia ex solâ malitiâ, & cum grandi Furia & odio in Deum committitur. 4. Ratione *effectus annexi*, scilicet Pertinaciæ, quæ in hoc peccato plerumque reperitur. Vide hæc fusiùs apud Fabrum conc. 3. in Dom. 18. post Pentec.

III. Ex occasione ejusdem thematis declarari possunt rationes, cur tam difficulter hoc peccatum remittatur, nimirum 1. Quia ipsum Authorem gratiæ, & veniæ largitorem oppugnat. 2. Quia blasphemat & vituperat ea, per quæ sanari debebat, nempe Passionem, Sanguinem & vulnera Christi ac Sacramenta, item bonitatem ac misericordiam Dei. 3. Quia nihil ignorantiæ aut infirmitatis in eo miscetur, sed ex pura malitia committitur. 4. Quia duritiam cordis plerumque annexam habet; unde respuit omnem medelam. Vide fusiùs hæc apud Fabrum loc. cit.

Coloss. 3. v. 8. IV. Ex occasione thematis: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam*: narrari potest factum Medici cujusdam, qui mulieri querenti, quòd assiduò verberetur à marito, & remedium evadendi hoc malum postulanti, vasculum aqua communi plenum dedit, jussitque, quoties maritus iratus fuerit, eâdem os implere, & retinere illam in ore, donec mariti ira deferbuerit; hoc, inquam, factum narrari potest, dicique, simile medium blasphemo suaderi, scilicet, ut quoties se iratum, & ad blasphemiam concitatum advertit, os & mentem suam unâ ex sequentibus quinque aquis repleat. 1. Aqua ex latere Christi fluente, cogitando, quòd ipse blasphemiis suis latus Christi aperuerit, & aquam ac Sanguinem effluere fecerit. 2. Aqua baptismali: perpendendo, quantum beneficium per baptismum acceperit, & quid ibi per Patrinum promiserit. 3. Aqua supernaturali gratiæ Divinæ: de qua Christus Joannis 4. locutus est, quod adeò efficax sit, ut, qui eam bibiturus sit, non habiturus sit sitim in æternum. 4. Aqua lacrymarum: qui enim verè agnoscit gravitatem blasphemiæ, eamque detestatur, non facilè eandem denuò committet. 5. Aqua naturali: accipiendo eam in os, ut silere cogatur; ita enim S. Catharinæ Senensi suasit ipse Christus, ut scilicet tempore contradictionis & concitationis ad iram silentio se defendat, & soletur.

§. XI.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

S. Bernardinus to. 1. serm. 41. a. 3. c. 3. I. MAchometus infidelissimus canis in Alchorano suo præcepit, quòd quicunque Deum & Christum, & etiam B. Virginem blasphemaret, medius divideretur; Retulit mihi quidam frater de Ordine socius noster, unum Saracenum in Terra Sancta graviter fuisse punitum ab officiali Pagano, eò quòd verbum inhonestum contra Virginem protulisset. Quanta igitur Christianismi indignitas erit, quòd minorem reverentiam & respectum Deo, & Beatissimæ Virgini deferat?

Auth. imp. hom. 19. II. Si quis lupum cooperiat pelle ovinâ, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aëra convertit caput suum contra cœlum, & sic ululat. Qui ergo secundùm Deum vocem humilitatis & confessionis emittit, ovis est: qui verò adversùs veritatem turpiter blasphemiis ululat contra Deum, lupus est, sicut dicit Propheta de illis: *Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in cœlum os suum.*

Mansi disc. 5. n. 15. III. Ex duobus illis famosis latronibus, qui eorundem erant criminum rei (*in eadem damnatione es*) quique Christo crucifixo æque vicini in crucibus suis hærebant, illique sanguini, qui in salutem & redemptionem peccatorum etiam obstinatissimorum tanta cum aviditate bulliebat, æque proximi erant, unus ex sanguine illo vitam consecutus est æternam, alter verò nullum illius in se effectum sensit. Sed quænam fuit hujus in duobus hisce latronibus diversitatis ratio? scio equidem multorum opinionem esse, quòd, quia bonus latro ex illâ crucis Christi parte crucifixus pendebat, in qua Beatissima Virgo, quæ refugium est peccatorum, subsistebat, ideo ipsa pro ejus conversione apud filium suum interceserit; At verò cur eadem Sanctissima Virgo, cujus intercessio adeò est liberalis & efficax, ut etiam alteri latroni reprobo pœnitentiæ donum facili negotio impetrare potuisset, non pariter illi latroni patrocinata fuit? Ideò id facere omisit, quia is non merebatur, ut patrocinio ejus frueretur, siquidem is unâ cum aliis Filium ejus pariter blasphemavit: Unus autem ex his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: *si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos*: Alter verò non item, quin potiùs: *Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es; nos quidem justè, nam dignâ factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Atque ideo patrocinium Mariæ jure promeruit, quia, tametsi ipse quoque ante blasphemasset, hoc tamen eo tempore factum est, quo lumen & notitiam Dei non habebat: protinus verò ut eum cognovit, blasphemiam in eum evomere tantoperè horruit, ut ad consodalem suum asperè reprehendendum Zelo se ardentissimo obarmarit.

S. Bernardinus to. 1. ser. 41. a. 4. c. 4. IV. Participes sunt Prælati & animarum Rectores (intellige tam quoad culpam, quàm quoad pœnam) qui, si in correptione hujus sceleris sunt negligentes, Judæis sunt deteriores,

res, qui auditâ blaſphemiâ lapidabant blaſphemantem; ſi hoc agere non poterant, aures obturabant, veſtes ſcindebant. In hoc ſcelere participes ſunt Domini & regimina civitatum habentes, de correctione hujus vitii non curantes; quid enim, ſi in terra ſua Idololatriam ſuſtinerent; nonne æſtimaretur horrendum? tamen blaſphemia in hoc deterior eſt, quia Idololatria honorem ſuum Deo aufert, ſed ultra hoc blaſphemia contumeliam eidem infert.

§. XII.
MISCELLANEA.

Iſaiæ 52. n. 5. I. DEUS olim apud Iſaiam queſtus eſt: Et jugiter totâ die nomen meum blaſphematur; eandem querelam nunc etiam repetere poteſt, quia, licet rarò inveniantur inter Chriſtianos, qui voce blaſphement; multi tamen, qui vitâ, teſte S. Auguſtino. Hinc S. Davidi quoque dictum: Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. *2. Reg. 12. v. 14.*

Gen. 4. v. 13. II. Anteſignanum blaſphemorum Cainum, dicentem: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam mereatur: ſic caſtigavit ſuo dicto S. Bernardus: Mentiris, ô Cain, major eſt enim DEI pietas, quàm quævis iniquitas.

Gracan. qq. 3. III. Theodoretus explicans præceptum DEI, quo juſſerat blaſphemum extra caſtra educi, & lapidibus obrui, ait: Rectè homicidii pœna & morte puniri vult Deus blaſphemiam; blaſphemus enim, cùm conditorem nequeat perimere ferro, linguâ ferit.

Drexel. in Phaeth. c. 6. §. 4. IV. Olim conſuetum blaſphemorum præmium fuit, maledicam linguam aſſerculo clavis affigere, & ſimul reo cultrum dare in manus, quo ſe liberaret, ut poſſet. Culter hic pœnitentiæ ſeriæ non immerito applicari poteſt, per hanc quippe liberari poteſt à pœna inferni ſibi decreta blaſphemus.

Ibid. ex Ioan. Nido l. 4. Fam. c. 3. V. Cùm Rupertus Cæſar Rex Romanorum anno 1400. electus Spiram veniſſet, & cum eo, ut tunc mos erat, Proſcriptorum non exiguus numerus, pro quibus rogabatur, ut reditum in urbem impetrarent, auditis cauſis, propter quas proſcripti eſſent, cùm de cive quodam diceretur, eum proſcriptum eſſe, quòd ludo incaleſcens aliquoties in Deum impias voces jeciſſet, dignum Cæſare reſponſum dedit: Pro omnibus rogaverim, ut recipiantur urbe, hoc ſolo in exilium remiſſo; nam alii deliquerunt in homines potiſſimùm, iſte verò in Deum: cæteris igitur, ſi placet, omnibus parcite; hic in locum, quo dignus eſt, exulatum abeat. Similis ſententia in blaſphemos à DEO fertur, quia de his quoque dictum eſt: Qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. *Marc. 3. v. 29.*

Drexel. l. c. §. 2. VI. Lirano teſte, olim apud Judæos, ſi blaſphemus ad mortem damnabatur, teſtes manus ſuas ſuper caput ejus imponentes dicebant: Malitia tua adduxit te ad mortem, non nos. Sic olim in judicio dicet DEUS illud Jobi: Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi. *Iob. 15. v. 6.*

Tit. 3. v. 1. VII. S. Paulus Titum inſtruens, inter alia dixit: Admone illos, neminem blaſphemare; ſuper quæ verba S. Hieronymus, Abſolutè neminem, inquit, non tantum non DEUM, ſed nec Angelum, nec Hominem, nec ullam aliam Creaturam: omnia quippe, quæ à Deo facta ſunt, valde bona ſunt.

Levit. 24. v. 15. VIII. In Levitico dicitur: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: quaſi diceret Deus, hanc ſolam etiam pœnam ſat gravem eſſe, portare in conſcientia tam grande peccatum; ſicut militibus interdum gravis pœna eſt, ſua & aliorum arma humeris impoſita circumferre.

§. XIII.
AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Phaëthonte p. 1. c. 6.

II. Joannes Buſæus in Panario. V. eodem.

III. Philippus D' Outreman in Pædagogo Chriſtiano. p. 1. c. 5. §. 2.

IV. Jacobus Marchantius in Horto Paſtorum tr. 3. lect. 2. Et in tuba Sacerdot. tr. 6. lect. 4.

V. Joſephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

VI. Matthias Faber conc. 8. in Dom. Paſſionis, & conc. 3. in Dom. 18. poſt Pentecoſt.

VII. Ludov. Granat. in locis comm. f. 383.

VIII. Anthonius Dauroltius in Floribus Exemplorum cap. 3. tit. 28.

IX. Joſephus Manſi in Bibl. morali tr. 11.

TITULUS XIX.
CARITAS DEI.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

EST virtus, quâ DEUS non ob timorem pœnæ, nec ob ſpem præmii, ſed propter ſeipſum, & ob ſuam bonitatem, diligitur. S. Dionyſius eam ſic deſcribit: Eſt virtus unionem (cum Deo ſcilicet) faciens. Quam deſcriptionem ſic exponit: Amor facit unionem, vel effectivè, ut amor concupiſcentiæ movens ad deſiderandam & amandam præſentiam amati, quaſi ſibi convenientis, & ad ſe pertinentis: vel formaliter, ut amor amicitiæ, qui eſt talis unio vel nexus; unde S. Auguſtinus dicit, quòd amor *S. Dionyſ. de divin. c. 4.*

mor est quasi junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur. Quod enim dicit (copulans) refert ad unionem affectûs, sine qua non est amor: quod verò dicit (copulare intendens) pertinet ad unionem realem. Utramque amoris rationem & vim exprimit David; priorem quidem illis verbis: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; posteriorem verò sequentibus: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Sic S. Augustinus: Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum amplectar te? Noli abscondere faciem tuam. Moriar, & eam videam!

Divisio.

II. Dividitur in *affectivam*, & *effectivam.* Illa est, quæ in solo affectu, & quidem inefficaci tantum, id est, non impellente efficaciter ad bonum Amato procurandum, consistit. Hæc in affectu efficaci, hoc est, semper, quantum est ex se, ad bonum Amati promovendum incitante, sita est. De utraque loquitur S. Joannes: Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.

Joan. c. 3. v. 18.

Actus.

I. Complacere sibi in summa bonitate Dei.

II. Velle DEO suum bonum intrinsecum, & gaudere, quod tam perfectus sit. Et ex his duobus actibus, complacentia scilicet & benevolentia, juxta D. Thomam componitur Dilectio, quæ est primarius caritatis actus.

III. Desiderare DEO gloriam, bonumque externum, ut videlicet ejus nomen sanctificetur à nobis & aliis, & sic omnia fiant ad Majorem DEI gloriam.

IV. Dolere de impedimentis gloriæ divinæ, v. g. de peccatis nostris & alienis, aliisque obstaculis, eaque efficaciter removere.

V. Velle frequenter conversari cum DEO, aut de DEO.

VI. Desiderare magis DEO frui in hac vita, eique magis uniri per perfectionem, & consiliorum Evangelicorum adimpletionem.

VII. Desiderare eodem magis & citius frui in Patria, adeoque juxta exemplum S. Pauli cupere dissolvi, & esse cum DEO.

VIII. Diligere omnia, quæ DEI sunt, præcipue tamen proximum.

IX. Omnia adversa, etiam ipsum Martyrium, propter DEUM cum gaudio sustinere.

X. P. Ludovicus de Ponte illius actus paulò fusiùs declarat, dum, ut Nicolaus Lancicius de eo refert, imaginabatur sibi amorem instar fluvii, qui in rivos dividitur, & suo impetu vias sibi aperit, & obstacula perrumpit, & facit canales, per quos currant inclinationes amorosæ.

Lancic. opusc. 10. n. 210. fol. 822.

Prima inclinatio amoris DEI est, destruere majores Dei inimicos, quos habet, scilicet peccata, & satisfacere DEO pro illis, castigando suam voluntatem, sensus, & carnem, tanquàm authores tanti mali dignissimos omni pœnâ, & fugere imposterum talia, & ad hoc uti mortificatione.

Secunda inclinatio amoris est, crescere infinitè, desiderando magis ac magis cognoscere, & amare suum Deum; ideò rumpit obstacula, quæ habet ad crescendum, scilicet affectiones terrenas, quia diminutio cupiditatis est augmentum charitatis, & hoc facit per mortificationem.

Tertia inclinatio amoris est, cum debita gratitudine recognoscere authorem sui esse, qui Deus est, qui nos creavit, sustentat, auget, perficit infinitis beneficiis, ideòque desiderat illa facere obsequia usque ad sanguinis effusionem, quod facit abnegatione sui. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam.*

Quarta inclinatio amoris est, assimilare se amato, quia ita magis amabitur, & quia similitudo est causa amoris; & quia vita Christi tota fuit mortificatio in paupertate, contemptu, dolore, labore, ideò mortificatio amat hæc.

Quinta inclinatio amoris est, benefacere amatis ab amato, qui sunt proximi, procurando lucrari eorum animas, ad augendum patrimonium amati, & serviendo illis corporaliter; quia in illis est suus dilectus, & hoc non potest præstare, quin perdat multa commoda sua, ideò amat mortificationem.

Sexta inclinatio amoris perfecti est, desiderare conspectum sui dilecti, & gaudere ejus præsentiâ, & præsumit duas res esse posse impedimento. Primò non complevisse numerum meritorum, quem Deus vult illum habere. Secundò post completa merita, non satis fecisse pro pœnis peccato debitis; ideò ut acceleret primum, & auferat secundum, exercet se in abnegatione & mortificatione: quia scit eum, qui vivit & moritur in cruce, currere valdè, & volare sine impedimento ad gloriam: siquidem & bonus latro audivit in cruce: *hodiè mecum eris in Paradiso.*

Septima inclinatio & super omnes est, implere voluntatem dilecti, anteponendo eam omnibus suis utilitatibus & commodis, etiam visioni Dei. Ideò delectatur mortificatione propriæ voluntatis, & acceptat omnem abnegationem, quia ita vult ejus dilectus.

Denique, sicut homo satiatus cibis pretiosis fastidit alios; ita amor solo Deo contentus nihili facit omne creatum: & ita illi facilis est omnis mortificatio, in non videndo eo, nec gustando, nec possidendo. Multoties ad hoc propositum obtulit se mihi satietas, quam habuit Beatissima Virgo tenendo suum Christum, quem possidendo non sentiebat paupertatem, contemptum & alia: Sicut dicebat mater Tobiæ, omnia in te uno habentes, in Deo solo habeo omnia.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Causæ motivæ ad diligendum Deum.

1. Cor. 13. v. 1. I. SI linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum, velut æs sonans. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, &c.

Coloss. 3. v. 14. II. Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Apoc. 3. v. 18. III. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, ut locuples fias.

Luc. 12. v. 49. IV. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?

Cant. 2. v. 4. V. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem.

Eccl. 7. v. 32. VI. In omni virtute tua dilige illum, qui te fecit.

Eph. 5. v. 1. VII. Estote ergo imitatores DEI, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione: sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam in odorem suavitatis.

Josue 23. v. 11. VIII. Hoc tantùm diligentissimè præcavete, ut diligatis Dominum DEUM vestrum.

Prov. 23. v. 26. IX. Præbe, Fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.

Deut 30. v. 19. X. Elige ergò vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci illius, & illi adhæreas; ipse enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum.

1. Jo. 4. v. 10. XI. Nos ergo diligamus DEUM, quoniam DEUS prior dilexit nos.

Modus diligendi.

Deut. 6. v. 5. XII. Audi Israël, Dominus DEUS noster DEUS unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

XIII. Et dilexerunt eum in ore suo; cor autem eorum non erat rectum cum eo.

1. Jo. 3. v. 18. XIV. Filioli, non diligamus verbo, aut lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra, scilicet, ut eum ex toto corde diligamus.

Cant. 8. v. 6. XV. Pone me, ut signaculum super brachium tuum (id est, ut omnes cogitationes & opera dirigantur.)

Cant. 8. v. 6. XVI. Fortis est, ut mors, dilectio; dura sicut infernus æmulatio.

Ib. v. 7. XVII. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.

1. Jo. 5. v. 3 XVIII. Hæc est caritas DEI, ut mandata illius custodiamus.

Eccl. 13. v. 18. XIX. Omni vita tua dilige DEUM.

Rom. 8. v. 25. XX. Quis ergò nos separabit à caritate DEI? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius? sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.

Jo. 14. v. 23. XXI. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Jo. 14. v. 21. XXII. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

1. Cor. 2. v. 9. XXIII. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se.

Eccl. 3. v. 4. XXIV. Qui diligit DEUM, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.

Rom. 8. v. 28. XXV. Scimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.

Phil. 3. v. 8. XXVI. Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Judic. 5. v. 31. XXVII. Qui diligunt te, sicut sol in ortu splendet, ita rutilent.

Luc. 7. v. 47. XXVIII. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Ps. 144. v. 20. XXIX. Custodit Dominus omnes diligentes se.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bern. ser. 51. de modo bene vivendi. I. ROgo, ut amorem Christi ostendas sociabus tuis, non solùm verbis, sed & operibus bonis. Tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Unaquæque anima sancta debet in se monstrare amorem Dei, & verbis sanctis, & actionibus. Unde in Canticis Canticorum sponsus, scilicet Christus, Sponsam, id est, animam sanctam ornat dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum!* In corde sunt cogitationes, in brachio operationes. Ergo super cor, & super brachium sponsæ, dilectus in signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur: quia amor Dei nunquam est otiosus. Si verè est amor, magna operatur: si verò non operatur, amor non est. Si verè Deum diligis, nullâ horâ otiosa eris.

S. Augustin. tract. 123. in Joan. II. Nescio, quo inexplicabili modo quisquis se ipsum, non Deum, amat: & quisquis Deum, non seipsum, amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se; cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivat.

Idem Homil. 38. ex. 50. III. Amicitiæ amor debet esse gratuitus: non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale; non illum amas, sed illud, quod præstat; amicus gratis amandus est propter seipsum, non propter aliud, si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas: quàm gratis amandus est Deus, qui jubet, ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo: Nam in homine sunt, quæ offendant, per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa, quæ offendunt in homine, toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam; Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te?

Ibidem. IV. Sed dicturus es mihi, non Deum video, quomodo sum amaturus, quem non video?

Modò

Modò oſtendo, ecce amas amicum gratis. Sed fortè homo ſenex eſt amicus iſte tuus. Quid amas in ſene; incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? corpus, quod vides, non amas, quia deforme eſt, unde vides, quod amas? reſponſurus es, te amare, quia homo eſt fidelis. Ergo fidem amas. Quibus oculis videtur fides, ipſis oculis videtur Deus.

Idem in Pſ. 72. V. Amat anima ſponſum ſuum. Quid ab illo quærit? à ſponſo ſuo, quem diligit, fortè divitias & aurum ejus amat &c? Abſit. Ipſum ſolum amat, & gratis amat; quia in ipſo habet omnia. Hinc ipſe amantiſſimus, dulciſſimus. Quoties talem ſalutas, etiam ad te converſio ejus.

Idem in Pſ. 121. VI. Habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis: neceſſe eſt, ut ducat; ſed vis noſſe, qualis amor ſit? vide, quò ducat. Non enim monemus, ut nil ametis; ſed monemus, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt. Mundata verò ab affectibus ſordidiſſimis ſæculi tanquam extenſis pennis; & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id eſt, duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi volat. Quò, niſi ad Deum volando, quia aſcendit amando.

Idem tr. 9. in Epiſt. 1. Joan. VII. Quomodo diligis eum, cujus odiſti præceptum? quis eſt, qui dicat: Diligo Imperatorem, ſed odi leges ejus?

S. Greg. hom. 30. VIII. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis: verè enim diligimus, ſi ad mandata ejus à noſtris nos voluptatibus coarctamus.

S. Thomas. IX. Anima, quæ amat, operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve.

S. Bern. de dil. Deo. X. Dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immenſum, in infinitum (nam & infinitus Deus eſt, & immenſus) quisnam, quæſo, dabatur finis eſſe noſtri, vel modus amoris? Quid? quòd amor ipſe noſter non jam gratuitus impenditur, ſed rependitur debitus, amat ergo immenſitas, amat æternitas, amat ſupereminens ſcientiæ charitas, amat Deus, cujus magnitudinis non eſt finis, cujus ſapientiæ non eſt numerus, cujus pax exſuperat omnem intellectum, & vicem rependimus cum menſura? Diligam te, Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modulo meo, minùs quidem juſto, ſed planè non minùs poſſe meo; qui etſi, quantùm debeo, non poſſum, non poſſum tamen ultrà, quàm poſſum. Potero verò plus, cùm plus donare dignaberis; nunquam tamen, pro ut dignus haberis.

S. Aug. l. 13. conf. XI. Ponderibus ſuis aguntur omnia, & loca ſua petunt. Pondus meum amor meus, illo feror, quocunque feror.

S. Aug. in conf. l. 10. c. 29. XII. Minus, Domine, te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat.

S. Bern. ſuper Cant. ſ. 20. XIII. Magna res eſt amor, ſi ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini reddatur, ſi refuſus ſuo fonti ſemper ex eo ſumat, unde jugiter fluat.

S. Aug. in Pſ. 33. XIV. Pes tuus, amor tuus: habeto duos pedes, noli eſſe claudus. Duo pedes ſunt duo amores, DEI & proximi.

S. Aug. XV. Putate amorem hominis, quaſi manum animæ; ſi quid tenet, tenere aliud non poteſt; ideo qui amat aliud, DEUM amare non poteſt, occupatam habet animam.

XVI. O ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris. O amor, qui ſemper uris, & nunquam tepeſcis, accende me, & accendar: accendar, inquam, ut totus te diligam ſolum. Minus enim amat te, qui tecum aliquid amat.

S. Bern. in lib. de amore DEI. XVII. Vultis à me audire, quare & quomodo eſt diligendus DEUS? & ego dico, quod cauſa diligendi DEUM DEUS eſt. Modus diligendi ſine modo diligere ob duplicem cauſam dico DEUM propter ſe diligendum, vel quia nihil juſtiùs, vel quia nihil fructuoſiùs diligi poteſt.

S. Aug. de Doct. Chriſtil. l. 1. c. 22. XVIII. Cùm dicit, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re frui velit: ſed quidquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.

S. Proſp. l. 2. de vit. contempl. c. 15. XIX. Illi plus, quàm ſe, diligunt DEUM, qui pro ejus amore ſuæ ad tempus ſaluti non parcunt, ſeipſos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ ſuæ extorres fieri, parentibus & uxoribus, & filiis ſuis renunciare parati ſunt, & ut totum dicam, ipſam corporis mortem non ſolùm non refugiunt, ſed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis ſui vita magis, quàm à DEO vita vitæ ſuæ diſcedere.

Ibidem. XX. Illi perfectè diligunt DEUM, qui volendo, quod vult DEUS, & nolendo, quod non vult, nec ullis peccatis, quibus offenditur, acquieſcunt: & ſemper ſe ad virtutes, quas ipſe dignatur donare, diligendas & habendas extendunt.

S. Bern. ſuper Cant. ſ. 20. XXI. Dilexit nos DEUS dulciter, ſapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quia carnem induit: Sapienter, quia culpam cavit: Fortiter, quia mortem ſuſtinuit. Diſce ergò, Chriſtiane, à Chriſto, quemadmodum diligas Chriſtum; diſce amare dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne compreſſi deficiamus.

Cant. 1. XXII. Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie? quid ſignificat meridies? magnum fervorem, & magnum ſplendorem, fervorem charitatis, & ſplendorem veritatis.

Utilitas.

S. Greg. hom. 25. ſuper illud Eccl. Domine, ſi tu fuſtuliſti. Bern. de dil. DEO. XXIII. In quantùm quisque amat, in tantùm ad ingreſſum regni appropinquat. In quantùm verò amare negligit, in tantùm ingredi recuſat.

XXIV. O jugum ſancti amoris, quàm dulciter capis, gloriosè illaqueas, ſuaviter premis, delectanter oneras, fortiter ſtringis, prudenter erudis; O felix amor, ex quo oritur ſtrenuitas motum, puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas!

Rabanus in quodam ferm. XXV. Si vis perfectè purgari à vitiis, in quantum prævales, accende in te ignem divini amoris, Si dulcedinem divini amoris perfectè gustaveris, de temporali dulcedine non curabis.

S. Basil. in Hex. XXVI. Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem, qui habet, dives est; quo quicunque caret, pauper est.

Hugo de laude car. XXVII. Charitas omnem animi languorem sanat. Charitas omnium vitiorum radices extirpat. Charitas omnium virtutum origo est. Charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, DEUM demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excœcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, semper munda est, semper casta, semper quieta, semper lætas semper pacifica, semper benigna, semper modesta.

S. Aug. c. 6. solil. XXVIII. Quisquis cognoscit te, diligit te, se obliviscitur, amat te plùs, quam se, relinquit se, & venit ad te, ut gaudeat de se.

S. Greg super Ezech. Ibid. c. 227 XXIX. Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt.

XXX. Machina mentis vis amoris, quæ illam & à mundo extrahit, & in alta tollit.

S. Bern. XXXI. Non sine præmio diligitur, qui sine præmio est diligendus.

S. Thom. XXXII. Meliora sunt ubera tua vino, id est, amores tui vino consolationis terrenæ, quia universalior afficiens totum hominem; intimior penetrans intima cordis: durabilior, quia in æternum durat.

S. Bern. in Ps. XXXIII. Duæ lectiones amoris sunt, dulcoris & doloris. O adesse & abesse! primum ad majus solatium, secundum ad majus meritum.

Idem in ferm. 8. Præsentia jucundior, absentia utilior. In præsentia delectatur anima cum DEO; in absentia delectatur DEUS in anima.

S. Aug. l. 13 conf. c. 1. XXXIV. Scio, Domine, quia malè est mihi præter te, non solùm extra me, sed in me ipso. Et omnis copia, quæ DEUS meus non est, egestas mihi est.

S. Bern. Epist. 42. XXXV. Nec absque charitate quodlibet magnum bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur.

S Basilius in Ps. 44. XXXVI. Beati, qui veræ illius pulchritudinis amore inardescunt, charitatis enim vinculis quodammodo adstricti, cœlestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur domesticorum, & amicorum; obliviscuntur familiæ, & facultatum omnium, quin & immemores potûs & cibi ad corporis sustentationem necessarii, soli divino & puro amori penitus adhærescunt.

S. August. in Ps. 49. XXXVII. Quisquis habet charitatem, ut quid eum longe mittimus, ut videat Deum? conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum, vult eum fortè videre sedentem in cœlo? habeat charitatem, & in eo habitat, sicut in cœlo.

Æquitas.

S. Bern. tract. de diligendo Deo. XXXVIII. Meretur amari propter se ipsum Deus, & ab infideli: qui etsi nesciat Christum, scit tamen se ipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum DEUM suum, toto corde, totâ animâ, totâ virtute sua: clamat nempe intus ei innata, & non ignota ratione justitia, quia ex toto se diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.

S. August. medit. c. 35. XXXIX. Si homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse; si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: Qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore, anima, quam desponsâsti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amâsti, & salvâsti: qui pro nobis tot, tanta & talia feciſti? Quanquam autem hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu DEUS noster. In te enim delectatur Justus, quia amor tui suavis est, & quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine & suavitate reples. Et contra amor seculi, & carnis anxius est, & perturbatus: animas certè, quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus & perturbationibus, variisque timoribus solicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, & meritò. Quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te bone Domine, intrat in gaudium Domini sui.

S. Aug. Man. c. 18. XL. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Authori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus, animæ per se sufficit, per se placet, & propter se, ipse meritum, ipse causa, ipse fructus, ipse usus.

S. Aug. l. 6. conf. c. 16. XLI. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, aliquid se melius habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus, Domine, requies.

S. Aug. ser. 5. in ps. 30. XLII. Avare, an parùm tibi est, si te impleat ipse DEUS? DEUS si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? quid ergo de his, quæ fecit DEUS, tibi sufficiet, cui DEUS ipse non sufficit?

Idem solil. c. 3. XLIII. Da, quod peto, quoniam si cuncta, quæ feciſti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis.

Idem l. 5. in ps. 36. XLIV. Hîc aurum quod est, non potest tibi esse argentum. Vinum quod est, non potest esse tibi panis. Quod tibi lux est, non potest tibi esse potus. DEUS tuus totum tibi erit, manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne deficias; possidebis totum, integrum totus integer.

S. Bern. tr. de dilig. DEO. XLV. Ob duplicem causam DEUS propter seipsum diligendus est, sive quia nihil justiùs, sive quia nihil diligi fructuosiùs potest. Meretur amari propter seipsum DEUS & ab infideli, qui, etsi nesciat Christum, scit tamen seipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum DEUM

suum

ſuum toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Clamat nempe intus ei innata, & non ignota ratione juſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat.

S. Aug. l. 1. Conf. c. 5. XLVI. Quid mihi es? miſerere, ut loquar. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Hei mihi, parvane eſt ipſa miſeria, ſi non amem te?

S. Bern. ſuper illud pſ. quid retribuam. XLVII. Quando ignorabam, me inſtruxit; quando errabam, me reduxit. Quando peccabam, me correxit; quando ſteti, me tenuit; quando cecidi, me erexit; quando ivi, me duxit; quando veni ad ipſum, me ſuſcepit: & ſubdit; nec pro his omnibus, quod rependam, habeo, niſi tantùm ut diligam. Non enim meliùs, nec decentiùs quàm per dilectionem rependi poteſt, quod per dilectionem datum eſt.

S. Greg. l. 15. mor. c. 7. XLVIII. Altare DEI eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere, quia neceſſe ex illo ad DEUM flammam charitatis indeſinenter aſcendere.

S. Bern. ſ. 83. in Cant. XLIX. Cùm amat DEUS, non aliud vult, quàm amari. Quippe non ob aliud amat, niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos, qui ſe amaverint.

S. Bern. ſ. 83. in Cant. L. Nulla major eſt ad amorem invitatio, quàm ad amorem pervenire; nimis durus eſt animus, qui, ſi dilectionem nolit impendere, nolit rependere.

Jucunditas.

S. Aug. l. 13. confeſſ. LI. Verus amor non ſentit amaritudinem, ſed dulcedinem; quia ſoror amoris dulcedo eſt, ſicut ſoror odii eſt amaritudo.

S. Aug. med. c. 35. LII. Quanquam hæc infima habeant delectationes ſuas, ſuosque amores, non tamen tali modo delectant, ſicut tu DEUS noſter. In te enim delectatur juſtus, quia amor tui ſuavis eſt, & quietus. Nam pectora, quæ poſſides, dulcedine & ſuavitate reples. E contra amor ſæculi & carnis anxius eſt, & perturbatus: animas certè, quas ingreditur, quietas eſſe non patitur.

Idem ſ. 30. de SS. LIII. Qui vult gaudere de ſe, triſtis eſt, qui autem de DEO gaudere vult, ſemper gaudebit, quia ſolus DEUS ſempiternus eſt.

Idem l. 4. conf. c. 10. LIV. Domine Deus virtutum, oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Nam quaqua verſum ſe verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te; tametſi figitur in pulchris extra te, & extra ſe.

S. Aug. LV. Anima amans debet continuò ſtare in præſentia DEI, & habitare intra DEUM, ſicut intra favum mellis habitat apis, quæ ita ſe ei includit, ut non aliud niſi mel videat, guſtet & tangat; ſic illa non aliud niſi divinam ſuavitatem aut in ipſo DEO tanquam fonte, aut in creaturis inſtillatam guſtet. Suge, ſuge, & bibe dulcedinis divinæ ſuavitatem inenarrabilem, immergere & replere, adhære, ſume, & fruere.

S. Aug. tract. 7. in Epiſt. Ioan. LVI. Laudatur vobis charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? exhortor vos, quantùm datur ad magnum theſaurum: ſi vobis oſtenderetur aliquod vaſculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos veſtros, & duceret in ſe intentionem cordis veſtri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & ſplendor metalli: nonne unusquisque veſtrûm diceret: O ſi haberem vaſculum iſtud? Laudatur vobis charitas, ſi placet, habete, poſſidete; non opus eſt, ut furtum alicui faciatis, non opus eſt, ut emere cogitetis, gratis conſtat: tenete eam, amplectimini eam, dulciùs illa nihil eſt: ſi, cùm commemoratur, talis eſt, cùm habetur, qualis eſt.

S. Bern. ſer. 84. in Cant. LVII. Exiſtimo, quia nec cùm inventus fuerit, ceſſabitur à quærendo: non pedum paſſibus, ſed deſideriis quæritur DEUS. Et utique non extundit ſanctum deſiderium felix inventio, ſed extendit. Nunquid conſummatio gaudii, deſiderii eſt conſumptio? oleum magis eſt illi.

Dignitas.

S. Aug. hom. 2. in I. Ioannis. LVIII. Talis eſt quisque, qualis ejus dilectio; Terram diligis? terra es:

LIX. Deum diligis? quid dicam? Deus es: *Ego dixi, Dii eſtis.*

Idem in Enchir. c. 117. LX. Cùm enim quæritur, utrum quisque ſit homo bonus? non quæritur: quid credat, aut ſperet: ſed quid amet? Item: nihil eſſe iſto Dei dono excellentius.

S. Greg. in Paſt. LXI. Nihil eſt pretioſius DEO virtute dilectionis, nihil eſt deſiderabilius Diabolo extinctione charitatis.

S. Aug. in Pſ. 83. LXII. Beatus vir, qui aſcenſiones in corde ſuo diſponit, non greſſibus corporis, ſed affectibus mentis. Amando aſcende, quantò plus amaveris, tantò plus aſcendes.

S. Greg. l. 18. mor. c. 15. LXIII. Non clareſcit anima fulgore æternæ pulchritudinis, niſi priùs hic arſerit in officina charitatis.

S. Bern. in Cant. ſ. 27. LXIV. Quantitas cujusque animæ æſtimatur de menſura charitatis, quam habet.

S. Cypr. l. de Spectat. LXV. Nunquam humana opera mirabitur, quisquis ſe cognoverit Filium Dei: dejicit ſe de culmine generoſitatis, qui admirari aliquid poſt DEUM poteſt.

Facilitas.

LXVI. Nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent ſeparare perfectum? Amor eſt impenetrabilis lorica; reſpuit jacula, gladium excutit, periculis inſultat, mortem irridet; Si amor eſt, vincit omnia.

S. Aug. l. 13. conf. LXVII. Qui amat, non laborat; & omnis labor non amantibus gravis eſt; ſolus amor eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit.

S. Bern. LXVIII. Ideo ſponſa, dum dicit: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; non faſcem ſed faſciculum, dilectum dicit, quod leve præ amore illius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.

S. Aug. l. 9. de nat. & gratia c. 9. LXIX. Quomodo grave eſt mandatum DEI? aut enim quisquam non diligit, & ideo grave eſt; aut diligit, & grave eſſe non poteſt.

Did Nyſſ. ſen. ſ. 2. in Dom. 17. LXX. Quid hic moleſtum eſt, aut difficile? non juberis maria nondum tentata trajicere, & tempeſtate furente in mediis fluctibus ſusque deque jactari, non itinera ingredi feris

infesta & latronibus, satis est, si annuat animus.

S. *Chrysost. hom.* 14. *in Epist. ad Hebr.* LXXI. Nihil difficile est, nihil grave est, quòd nobis imperatur, si voluerimus.

Idiota de Div. amo. l. 1. *c.* 1. LXXII. Amor facilis est, omnibus se exhibet, nulli se negat, capit eum juvenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, dives & pauper, summus & infimus, liber & servus, secularis & Religiosus, debilis & fortis, nec est, qui se valeat excusare.

§. IV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 1. *c.* 3. I. VErè magnus est, qui magnam charitatem habet.

L. 1. *c.* 24. II. Qui DEUM ex toto corde amat, nec mortem, nec supplicium, nec judicium, nec infernum metuit: quia perfectus amor securum ad DEUM accessum facit.

L. 2. *c.* 1. III. Si semel perfectè introisses in interiora JESU, & modicum de ardenti amore ejus sapuisses; tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes; quia amor JESU facit hominem seipsum contemnere.

L. 2. *c.* 5. IV. Amans DEUM anima, sub DEO despicit universa.

Ib. l. 2. V. Dilectus tuus talis est naturæ, ut alienum non velit admittere. sed solus vult cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio throno sedere.

L. 2. *c* 9. VI. Verus amator Christi, & studiosus sectator virtutum non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines; sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores.

L. 3. *c.* 34. VII. Ecce DEUS meus & omnia, quid volo ampliùs, & quid feliciùs desiderare possum? O sapidum & dulce verbum; sed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo sunt.

L. 3. *c.* 48. VIII. Quidam amando me intimè, didicit divina, & loquebatur mirabilia. Plùs profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia.

L. 1. *c.* 15. *§.* 3. IX. O qui scintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena sentiret esse plena vanitatis.

L. 3. *c.* 10. *§.* 2. X. Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te.

§. V.

EXEMPLA EXTERNA.

SS. PP. & Interpret. I. B. Virgo Maria adeò amavit DEUM, ut ex amore mortua fuerit, ut communiter sentiunt SS. PP. & Doctores.

Ib. 21. II. S. Petrus Domino sæpius roganti, amas me? respondit: Domine, tu scis, quia amo te.

Rom. 8. III. S. Paulus ita dilexit DEUM, ut cum veritate dicere ausus sit. Quis me separabit à caritate Dei?

Luc. 5. IV. S. Mariæ Magdalenæ Christus ipse dixit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Vita apud Surium 1. *Febr.* V. S. Ignatius Martyr adeò Christum dilexit, ut dixerit. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorumque divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.

Vita. VI. S. Thecla post superatas bestias, & carceres sic orâsse scribitur: Etiamsi in singulos dies mihi cum igne, belluis, vinculis, carceribus rem esse contingat, adeò mihi omne mortis & discriminis genus pro pietate subeundum ipsismet Paradisi deliciis, epulisque instructissimis potiùs ducitur: tantummodo digna, quæ pro te & nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear.

Petrus Sanch. in Regno DEI p. 4. *c.* 6. VII. Junior quidam Monachus, ex seniore quodam quærebat, cur charitas modò tam perfecta non sit, atque olim fuerat? cui ille respondit: Olim omnes sursum progrediebantur & hinc corda etiam secum rapiebant. Sed nunc omnes ad terram inclinantur, & quæ sua sunt, quærunt.

Idem p. 7. *c.* 6. VIII. Cùm Zeno Monachus in Eremo contemplatione absorptus circumiret, obviam illi factus Macedonius Imperator, quid ageret? interrogavit. Cui Zeno: Et quod tuum in hoc loco negotium est? cumque Imperator responderet: Venatio meum negotium est. Respondit Zeno: Et ego pariter consector Deum, neque donec apprehendero, cessabo. Quo dicto tergum vertens Imperatori, abiit.

Ibid. IX. Dominicus cùm ali quando solus in campo ab Hæreticis deprehensus interrogaretur, ecquid acturus esset, si ipsum occidere præsumerent? respondit, se hoc unum petiturum, ut, quo diutiùs cruciatum sentire, suumque erga DEUM amorem magis testari posset, lento eum Martyrio excruciarent.

Ibid. X. S. Antonius tantùm in amore DEI profecerat, ut Abbati Ammonio dicere ausus sit: Nunc tandem non timeo DEUM: (intellige servili timore) cumque Ammonius diceret: & quare tu tanti æstimaris ab hominibus, cùm tamen ego plus multò laborem & agam, quàm tu? respondit S. Antonius. Quia *ego* etiam Deum plus diligo, quàm tu. Et hoc sine vana gloriatione proferebat.

Cantipr. l. 2. *apum c.* 57. *part.* 2. XI. Virgo quædam in molestis mali dæmonis impugnationibus constituta, cùm jam pænè succubuisset, atque ideò nubem statueret, Christus eam invisit, dixitque: me dilige, qui sum formosus, dulcis & generosus.

Spec. Exit. dilectio. Ex. 2. XII. Joannes Junior de scholari scribit in scala cæli; qui ingressus Parisiis Theologiam, cùm audisset legi: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c. Subitò surrexit, & abivit; mirantibus verò Magistro & condiscipulis dixit: antequam plùs audiam, volo hoc opere complere. Et mox religionem ingressus est.

Kisselius T. 1. *c.* 60. *§.* 18. XIII. Urbanus adolescens post vitam diu inter flagitia exactam, tandem seria pœnitudine eam detestatus est: quo facto ductus ab Angelo Custode ad stabulum Bethlemiticum, ubi juxta Christum ac B. Virginem Misericordia in candi-

da

da veſte ramum olivæ portans aſtabat, quâ ſuadente hic modò pedes, modò manus JESULI deoſculans, mille elicit actus contritionis, ſpei & demiſſionis, præcipuè tamen amoris, quibus eò usque exarſit, ut omninò denique conſumptus conciderit.

Chron. Franc. p. 2. l. 7. c. 14. XIV. B. Ægidius è Franciſci familia ita aliquando S. Bonaventuram familiari ſermone, & innato, quo erat, candore aggreſſus legitur: O vos beatos, quibus eruditio miros Deo ſerviendi, laudandique modos ſuppeditat? Nos idiotæ quid ea in re ſcimus, quid facere poſſumus? Cui Bonaventura, etſi cætera omnia, quæ tu tantoperè ſuſpicis, deſint, mi Ægidi, parùm eſt, ſi Dei adſit amor, illo enim uno plus ad Dei obſequium poteris, quàm aliis omnibus. At poteſtne, ſubjicit Ægidius, tam facilè, & ardenter amare imperitus aliquis, quàm doctus? Poteſt vel maximè, inquit Bonaventura. Ad quæ ſanctus ille Idiota è conſpectu ſe illius proripit ad Monaſterii muros, qua parte in Urbis plateam patebat aſpectus, accurrit, & qua poteſt, voce clamat: Audite, O vetulæ, audi ignarum vulgus. Si Dominum Jeſum Servatorem veſtrum amabitis, Doctore noſtro Bonaventura poteritis eſſe apud Deum majores. Quo dicto hæſit in Deum abſorptus non minùs tres horas immobilis.

XV. S. Auguſtinus dixiſſe fertur: Domine Deus, ita te diligo, ut ſi Deus eſſem, vellem ſortem inter nos commutare, & ego Auguſtinus eſſe, ut tu Deus eſſes. In quo apparet quaſi cæco impetu voluntatem in amati bonum ferri, neque dare otium intellectui, ut attendat ad ea, quæ dicit, & dictorum, ac voti impoſſibilitatem videat: impoſſibile enim eſt Deum velle non eſſe; cùm ultimus ipſe ſit ſibi omnium ſuorum amorum, & deſideriorum finis.

Penequin. conſid. 23. fol. 581. Non immeritò ergo cor ipſius Angelis traditum eſt, ut incorruptum ſervaretur: Sigiberto deinde Epiſcopo Lugdunenſi poſt longas preces ad impetrandum aliquid reliquiarum S. Auguſtini ad Deum fuſas pyxide cryſtallinâ, auro gemmisque diſtinctâ incluſum ab eodem tutelari Angelo donatur, ac dum in Hymno: *Te Deum*, in gratiarum actionem decantatur, ad illa verba, *Sanctus, Sanctus*, palpitare, & exultare conſpicitur, Deo ad tanti viri celebrem in amore Sancto memoriam hominum animis imprimendum, in corde ejus poſt quinque ampliùs annorum centurias tam admiranda amoris divini argumenta manifeſtante, dum ille viveret, à Trinitatis comprehendendo myſterio à puero cochleari totum mare in exiguam foſſam exhaurire ſatagenti deterretur; Non verò ab illa infinitæ charitatis divinæ, quàm proximè poterat, acceſſione, à qua tantos amoris ignes concepit, repellitur.

Thom. Cantipr. l. 2. apum c. 57. p. 24. XVI. Erat puella quædam in Brabantiæ partibus inter Proceres generoſa, quæ in amorem cujusdam Juvenis per multos annos miro dæmonum ſtimulabatur inſultu. Hæc enim cùm mihi frequenter cum multis lacrymis in confeſſione diabolicas inſidias aperiret, conſului, ut ſummoperè caveret, ne nutu aut verbo Juveni tentationis occaſio præberetur; & paruit illa diligenter, ut monui. Cumque adeò graviter tentaretur, ut ſomni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, ut tanto dæmonum agitaretur impulſu, ut ſuperveniente aurora ſurgere cogitaret, & clam adire Juvenem, qui in vicinia morabatur. Nec mora, ubi oculos aperuit, vidit Chriſtum, quaſi plagis recentibus crucifixum, leni ſermone dicentem ſibi linguâ patriâ: *Tu me dois aymer, je ſuis tres-beau; bon & doux, noble & Loyal.* Quod nos latinè coloratis verbis exponimus: Me diligas, qui ſum formoſus, bonus, dulcis & generoſus. Unde verſus:

Dilige formoſum, dulcemque, bonum, & generoſum.

Hæc ut dixit, repente diſparuit, & puellam in omni pace, & gaudio, & gratiarum actione ab omni tentatione liberrimam dereliquit. Benè, & veridicè de ſe Chriſtus aſſeruit. Diligendus eſt enim præ omnibus; quia *ſpecioſus formâ præ filiis hominum*; & ſplendor eſt gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris. Contrà de homine dicitur: *Omnis caro fœnum.* Diligendus eſt etiam, quia *bonus, à quo omne bonum*: Contrà de hominibus; *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Diligendus eſt etiam, quia dulcis, *cujus labia favus deſtillans. Miſericordia enim ejus ſuper omnia opera ejus.* Contra de homine Salomon quærit: *Nequius oculo quid creatum eſt? qui tamen eſt lucerna corporis noſtri.* Diligendus eſt etiam, quia generoſus, *quem Deus Pater conſtituit Hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula.* Contra de hominibus Malachias ait: *Numquid non pater unus omnium noſtrum? Quare deſpicit unusquisque proximum ſuum?* meritò ergo puellæ Juvenem diligenti Chriſtus per hæc verba concluſit, & ſe potiùs diligendum, formoſum, bonum, dulcem & generoſum comprobavit.

XVII. Erat quædam Virgo Nobilis 14. annorum, quæ B. Virgini valdè erat devota. Hæc glorioſam Virginem rogabat continuè ſeptem annis, ut ſibi dignaretur oſtendere Filium ſuum. Quæ cùm in Vigilia Nativitatis Domini orationis cauſa ſola capellam intrâſſet, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens filium in manibus, & allocuta eſt virginem Dei: Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer: Diligisne me? Et illa: omninò. Et ille: Quantùm? Tunc illa: plus quàm corpus meum. Et JESUS ait: quantùm plus corde tuo diligis me? Et illa: neſcio dicere, ſed ipſum corloquatur. Quo dicto ſtatim cor ejus præ amore ſciſſum eſt. Tunc B. Virgo accepta anima ejus in concentu Angelorum deduxit in Cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam invenientes, odore inenarrabili ſunt repleti. Et Fratres Prædicatores, qui aderant, cor ejus aperientes ſciſſum invenerunt, & in eo ſcriptum erat: Diligo te plus, quàm me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me. *Speculum Exempl. v. Dilectio exemp. 2.*

XVIII. Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis frequentiſſimum fuit, curſare per domum, obvias ſorores apprehensâ dexterâ ardentibus verbis ad amorem Dei excitare, hortum ingredi, ſpatia citato greſſu conficere identidem ſuccla- *Ioan. Rho. Hiſt. 1.*

mare. O amorem! ad æris campani turrim accurrere, illudque totis connixa viribus pulsare, cum illis vocibus: Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament. O amor! si mihi ferrea vox foret, quam vocalissimè profectò inclamarem? Amate hunc amorem mortales, amate. Ad hæc ardoris haud tolerans, brachia & sinum, frigida immergere, ac spargere consueverat. Hæc illa in ipso æstu charitatis, quæ ex imo cordis Oceani instar effusa in animæ facultates, minoris prudentiæ fines omnes obruit; eadem, quùm sibi relinquebatur, mirum quantâ modestiâ eos ignes dissimularet, quorum pallido in ore cineres gerebat.

Idem exempl. 2. XIX. Cornelia etiam Lampugnana, quùm se unam illis ardoribus exhauriendis imparem sentiret, identidem ad socias succlamabat: Ferte opem, properate sociæ, ut amorem amem. Tum vehementiùs incitata, jamque amore victa: Satis est, satis non ultrà ferre valeo. Mox: Proh! quàm libenter cor mihi dilacerari vellem pro Dei honore. Parcite, qui hæc legitis, imperiosus amor est, & mira velocitate omnes ciet, agitque animæ affectiones.

Ibidem exempl. 6. XX. Violentior in S. Philippum Nerium incubuit divina flamma, quàm ut excussa justè contentus acquiesceret; huic olim triumphalibus Martyrum in spelæis ad D. Sebastiani, profundâ jam nocte intentiùs precanti, tantus repentè divini amoris incidit è cœlo calor, ut animo in amorem dulcissimè liquescente, humi abjectus exclamaret: Impar sum, Domine, impar sum. Mox ubi concitatissima illa vis, paulùm se remittens, consuetæ vitæ officiis, liberum animum reliquit, sinistras inter costas repentinum tumorem dolore nullo animadvertit Philippus: Novum insuper cordis laxato spatio motum existere, cùm veluti exultans subsultaret, ac inaudito sub fornice, costis duabus majorem in arcum curvatis, vel triumphum ageret de seculi cupidine victo, vel regium in morem, magnificè habitans, ac sibi in illa perplacens novâ ædis laxitate glorioſissimè plauderet. Fuit hoc deinde Philippo proprium, ut quùm divinis rebus tractandis, mysteriisque impertiendis amorem excitâsset, illius vim non ferens toto corpore concuteretur. Quin summâ non minus hyeme, quàm senectute, jam octogenario ab hac pietate æstuanti facies, oculique dulcissimâ quadam vi emicabant, totusque in ore erat amor, cujus lumini venerabilis quidam pallor, & qualis amantûm solet esse, succedebat: Non hæc tamen summa illius amoris laus, sed quòd liquidissimis hisce voluptatibus carere, ut sincerius amaret, præoptabat.

Ibidem exempl. 15. XXI. Nicolao Factorio Ordinis Minorum adeò promptus amoris flammæ explicandæ animus erat, ut vel levi ejus recordatione à sensibus procul abriperetur, eoque duce ad divina peregrinaretur; Itaque opere summo cavebat, ne in publico de amore sermonem inferret, cujus recordatione violentiùs excitabatur. Ut quum domi se illi permiserat, nihil omittebat eorum, quæ amantibus solemnia sunt suspiria, concursationes, gemitus. Verùm illud non vulgare, quod quùm æstum non ferens, in piscinas desiliret, ferveret illicò frigida, quasi admoto igne; haud aliter, ac in fabrorum lacubus, quùm tingitur ferrum. Et verò admirabilis erat tinctura charitatis, quæ mediis in aquis fervorem excitabat.

Barry in blandit. c. 6. exercit. 6. XXII. B. Jacoponus quondam interrogatus, cur tantam vim lacrymarum profunderet? Quòd amor non amatur, respondit. S. Franciscus Seraphicus concepto etiam voto se obligavit, nihil se cuiquam postulanti negaturum, si amore Dei postularet. Unde accidit, ut cùm quidam ex ejus Sancta Familia ob viri Sancti venerationem cuperet illius veste uti, per amorem Dei poscenti, quamprimum facta permutatione suam illi tunicam cederet. Unicum duntaxat pauperem semel rejecit, etsi legitimâ esset obsecrandi formulâ usus, quòd domesticis negotiis nimiùm quantùm esset occupatus, mox tamen, repulsæ memor, inquisito liberalem stipem erogavit, veniam etiam precatus, quòd cum indonatum ad primas preces dimisisset.

Ibidem l. 2. XXIII. Raymundus Lullus quavis occasione amoris nomen iteravit, & responsi loco reposuit, si ab eo quæsiisses: cujus es? Amoris, respondisset. Unde venis? ab Amore. Quò pergis? ad Amorem. Quis te huc adduxit? Amor. Unde vivis? Amore. Ubi habitas? in Amore. Totum ejus ac unicum negotium erat, de Amore cogitare, ac loqui.

Insinuat. c. 29. XXIV. S. Gertrudis, recolens vice quadam diversos casus instabilitatis, conversa ad Dominum dixit: mihi adhærere tibi soli, dilecte mi, bonum est. Tunc Dominus inclinatus circumplectebatur eam dicens: & mihi semper adhærere tibi suave est, dilecta mea. Quod cum diceret, omnes Sancti assurgentes obtulerunt merita sua ante Thronum ob reverentiam Domini, ut inde tribueret animæ istius, ut vel sic dignior sibi fieret habitatio in ea. Unde intellexit, quàm faciliter Dominus inclinatur ad animam, & quàm libenter Sanctorum cœtus ipsi ad hoc famulantur, quò ex ipsorum meritis indignitas animæ suppleatur. Hinc cum ex affectu desideriorum diceret: Ego vilis homuncio saluto te, amantissime Domine. Tale à dulcissima pietate Dei accepit responsum: Et ego resaluto te meam amantissimam. Per quod intellexit, quòd, quotiescunque aliquis dicet Deo: dilecte mi: vel dulcissime, & amantissime, & similia cum intenta devotione, frequenter ab ipso tale accipit responsum, ex quo ipse quasi privilegium specialis gratiæ habebit in cœlis, sicut Ioannes Evangelista specialem habet gloriam in terris ex eo, quod vocatur *Discipulus, quem diligebat JESUS.*

Ibidem lib. 3. c. 44. XXV. Eadem Virgo cum quadam vice circa Dominicam Passionem memoriam haberet devotiùs occupatam, & inde quasi effrenis in abyssum desideriorum ageretur, sensit jecur suum præ nimio æstu desideriorum valdè succensum, & dixit ad Dominum: Mi amator dulcissime, si istud, quod nunc sentio, scirent homines, dicerent, quòd jure à tali fervore abstinere deberem propter recuperandam corporis sanitatem: cum tamen tibi occultorum meorum cognitori perspicuè pateat, quod omni conatu virium

rium, & sensuum meorum non possem me modò continuisse à tuæ suavitatis pertransitiva commotione. Ad quod Dominus respondit: Quis, nisi sensu carens nesciat, quòd inæstimabiliter efficax dulcedo divinitatis meæ incomprehensibiliter longè excedit omnem humanam, & carnalem delectationem, cùm omnis dulcedo corporea, divinæ dulcedini coæquata, sit quasi stilla roris exigua ad immensum pelagus totius maris, cum tamen sæpius homines tam efficaciter humanâ delectatione trahantur, quòd nullatenus se possint continere ab aliquibus, unde non corporis, sed etiam animæ se sciunt periculum incursuros æternum. Quantò minus anima meæ divinitatis dulcedine penetrata se potest ab amore meo continere, unde sibi scit æternam felicitatem provenire?

Lib. 4. Revel. c. 74. XXVI. S. Petrus, audiente S. Brigitta, ad militem quendam dicebat: Ego, qui graviter cecidi, sed fortiter surrexi, impetrabo tibi loricam, id est, divinam charitatem: sicut enim lorica ex multis constat ferreis circulis, sic charitas defendit contra tela inimici, & animæquiorem reddit hominem ad toleranda mala ingruentia, agiliorem efficit ad amorem Dei, & ferventiorem ad divinos labores, invictum in adversitatibus, longanimem in spe, perseverantem in inceptis. Hæc itaque lorica fulgere debet, ut aurum, fortis esse ut chalybs, & ferrum. Quia omnis homo charitatem habens, ductilis esse debet, ut aurum, per patientiam contra omnes adversitates, fulgensque per sapientiam, & discretionem, ne hæresim recipiat, pro integritate fidei, dubiaque pro certis. Sit quoque lorica fortis, & ut ferrum domat omnia, sic homo utens charitate, studeat humiliare eos, qui resistunt fidei, & bonis moribus. Non retrocedat propter oblocutiones, non flectatur propter amicitias. Non tepescat propter commoda sua temporalia. Non dissimulet propter quietem carnis. Non revereatur propter mortem, quia nemo potest auferre vitam, nisi permittente Deo. Veruntamen quamvis lorica ex multis constet circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica contexitur charitatis. Primus itaque circulus est cognitio Dei, & frequens consideratio divinorum beneficiorum, ac præceptorum, ut sciat homo, quid faciendum sit Deo, quid proximo, quid mundo. Secundus circulus est refrænatio propriæ voluntatis propter Deum; omnis quippe, qui Deum perfectè & integrè diligit, nihil sibi de voluntate, quæ contra Deum est, reservat. His similia tradit S. Gregorius Papa: Qui perfectè Deo placere desiderat (quales sunt omnes ii, qui volunt perfecta erga Deum charitate fervere) sibi de se nihil relinquat.

Annal. 5. Capuc. 1566. XXVII. Fr. Victor Bergomat dæmoni dicenti se damnatum esse, respondit: si sum, ergo Deum in vita laudabo, sumensque flagellum, & se cædens interea cantabat: Laudabo Dominum in vita mea, psallam DEO meo quamdiu fuero.

§. VI.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius quantopere diligeret DEUM, ex eo colligi poterat, quòd post mortem visus sit corde aperto, in quo dilecti JESU nomen aureis caracteribus scriptum legebatur. Ante conditas constitutiones promulgavit regulas quasdam, quas tunc omnes observabant. Earum prima erat, ut purum pectus, & in amore Dei flagrans perpetuo custodirent, nihil ut aliud amarent, expeterentve, nisi DEUM, aut esse, ac sermocinari cum DEO. Dicere solitus erat, si DEUS eum in gehenna collocaret, nihil sibi acerbius fore, quàm audire blasphemias in Deum. Adeò verò desiderabat FRUI DEO, ut quoties de morte sua cogitaret, à lacrymis temperare vix posset. Quantalibet verò cura & molestia fatigatus esset, in DEI tamen recordatione mox acquiescebat. Clarum quoque de ejus eximia caritate testimonium habetur in Relatione pro Canonizatione in hæc verba: Quantoperè diligeret, patet ex summa illa cura, ac diligentia, quâ studuit propter DEUM proximo in spiritualibus ac temporalibus semper benefacere; & ex maxima vigilantia, quâ curavit cor suum mundum custodire. Neque verò tantummodò custodivit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem omnium rerum, quæ Deus non sunt, prorsus abjecit, atque in eundem transtulit Deum: omnemque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus est. Hanc in Deum charitatem (pergunt iidem Apostolici Commissarii) adeo puram in suo corde aluit, retinuitque, ut etiam sui ipsius amorem prorsus amandârit. Dixit enim aliquando; se, si optio daretur, velle potiùs vivere cum incertitudine Beatitudinis, & interim servire DEO, quàm cum certitudine tunc obire: & judicare, sibi magis durum, & pœnale futurum, audire blasphemias in Domini nomen, quàm pœnas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur à Deo. Tanto denique erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere Deo, & illius obtemperare voluntati. Itaque illi se totum committebat, illum omninò sequi decreverat, etiamsi toto cœlo, terraque privaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum, tanquam in finem referebat; ad Deum, ac Dei gloriam honoremque destinabat: Atque hoc, veluti symbolum, *Ad majorem Dei gloriam*, in ore semper habebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium spirituale, quo hic Dei servus planè repletus erat; illa serenitas, quam semper in vultu præseferebat, illa pax interior animi. Hæc illi.

Hier. c. 8. de amore ergo TE SUm. H. S. P. 1. l. 7. n. 11.

H. S. p. 1. l. 10. n. 2.

Rib. l. 5. c. 1.

Gloria S. Ign. c. 7. ubi plura vide.

Relatio pro Canonizatione.

II. S. Franciscus Xaverius scribebat in quadam Epistola. Tædet me interdum vitæ, at mihi esse arbitror pro religione mortem oppetere, quàm in tot tantisque divini Numinis contumeliis vivere.

l. 1. epist. 7.

III. P. Aloysius tanto Dei amore flagrabat,

ut, quoties ejus mentio fiebat, ita inflammaretur, ut in vultu etiam signa quædam emicarent.

Vital. 2. c. 13. IV. P. Petrus Faber cupiebat ad eum amoris gradum venire, ut animæ suæ damnationem non tam timeret ob gehennæ tormenta, quàm ne tam pretiosus Christi sanguis in ipso periret.

Prov. Sardin. 1598. V. P. Sebastianus à Campo adeò amabat DEUM, ut præter eum nihil in mente & ore illi esset, hunc solùm desideraret; hinc non modò rumores tota urbe notissimos nesciebat, sed neque quæ domi erant omnibus trita, audiebat, imò sæpe ignorabat, quæ nostri in collegio munia haberent.

Bibliothec. Script. Soc. VI. P. Jacobus Salesius divini amoris magnitudinem tot modis exprimebat, ut nunquam satis ardere videretur, omnis illius sermo indè ferè principium, ibi finem sortiebatur. Si quandò jubebatur ad socios verba facere, nihil sonabat aliud, quàm amorem divinum. Illi usque & usq; nutriendo ad inveniebat spirituales industrias, quibus uteretur, quarum potiores sequentibus versibus comprehenderat.

Gusto DEUM, cupio, zelor, gratusque revolvo.
Offerro, depono, atque resigno, mortificorque.
Confero, magnifico, admiror, congratulor ipsi.

Quorum verborum iste est sensus breve quoddam amoris compendium complectens: Delector DEI quodam gustatu; cupio unicè ipso frui, quæ cupido mihi Zelum acuit ipsi serviendi: idque vel maxime, dum recolo beneficia illius in me, pro quibus ipsi debitas gratias persolvo: meq; illi in signum gratitudinis ex integro offero: & me, meaque omnia ad pedes ipsius depono: ut, cùm me ipsi plenè resignavero, de me constituat arbitratu suo; atque ut in hoc me resignativè contineam, me mortifico: conferoque cum ipsius perfectionibus creata omnia, quæ ubi longè inferiora deprehendo, illas extollo atque magnifico; cumque laudando deficio, admirabundus veneror: & tandem DEO suas gratulor excellentias.

Mortes Ill. 5. Febr. f. 160.

Joan. Rho. Hist. 2. fol. 15. VII. Insuetus in Joanne Baptista Sanctio amoris ardor fuit, & votum ultra mortalium vota quæsitissimum. Nam, quàm amori se totum permisisset, ita comparatus vivere didicerat, ut una moriendi, id est, ad videndum, quem unicè diligebat, Deum, evolandi spe vitam toleraret. Hinc gravissima illi affirmatio, si integram sibi vitæ diem superesse, vel divinitus acciperet, vel certâ crederet persuasione, atroci se doloris telo confixum iri, ideoque certissimè moriturum, quod tamdiu ab amato Deo abfuturum se certus esset. Res igitur plena erat admirabilitatis, vivere hominem eâ tantùm gratiâ, quòd se citò speraret esse morituram.

l. 2. vitæ c. 9. & 12. VIII. Vincentius Carafa jam inde à pueritia perenni Numinis memoriæ mentem assuefecit; & ut sensus quoque, præter genium suum, ejus imagini effingendæ famularetur, à tyrocinio solitus erat objicere oculis hæc verba: Præsentia Dei. Quam artem Junioribus, aliisque amandi necdum satis peritis suadebat, usque dum animus suopte impetu in DEUM feratur. Idem benefaciebat omnibus, non tantùm extra spem cujuslibet commodi, verùm etiam actionis gratiarum, malè namque repeti, ajebat, ab hominibus, quod Deo omnino dederis. Semper in ore habuit hæc verba: amare, & pati: pati, & amare. Et in rei hujus memoriam diu super nudo pectore gestavit paupertinum signum Redemptoris in cruce pendentis; at sine cruce; sive quod ipse cordi suo tanquam cruci clavis amoris illum affigi desideraret; sive quod molestiam atque crucem majorem ferret.

§. VII.

SIMILITUDINES.

Natura & qualitas.

S. Bernardinus. I. SIcut Carbo nisi ignitus sit, nullam habet pulchritudinem; ita nec anima, nisi habeat caritatem, unde S. Bernardinus: Caritas est animæ pulchritudo.

S. Aug. s. 42. de temp. II. Sicut oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus; ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur.

S. Chrysost. ho. 19. ad Hebr. III. Sicut si quis in via publica initium ejus rectâ apprehendit, rectâ viâ ducitur, & non habet opus, ut manuducatur; sic etiam in caritate tantùm arripe principium, & statim manum ipsa tibi præbens te deducit, & dirigit.

S. Laur. Justin. de discip. c. 22. IV. Sicut ii, qui volunt domos construere & palatia, ante omnia student solidum fundamentum ponere; ita qui absque sui detrimento, & aliorum scandalo spiritualem in sei; so domum ædificare desiderat, veræ caritatis fundamentum jacere debet.

S. Chrysost. hom. in ep. ad Coloss. V. Sicut in navi etiamsi magna sint instrumenta, si tamen non per vincula connectantur, nihil proderunt: & sicut in corpore etsi magna sint ossa, si tamen non fuerint etiam per nervos & compagines connexa, nihil juvabunt; ita quæcunq; quis habeat rectè facta aut sapienter inventa, inania erunt omnia, nisi una adsit caritas.

Stapl. in Dom. 17. post pent. §. 2. VI. Sicut natura arborum radices sub terra abscondit, ut à nulla re lædantur, quia ex illis ramii & folia vegetantur, flores ac fructus producuntur; sic cor nostrum, unde omnia procedunt, vel bona, vel mala, & maximè amor, ante omnia conservari debet, juxta illud Salomonis Prov. 4. Omni custodia custodi cor tuum.

Ibid. VII. Sicut in templo Salomonis non solùm Sanctum Sanctorum, sive interior pars oraculi, sed etiam domus ante oraculum vestita erat auro purissimo; sic quilibet Christi fidelis, qui est templum Domini sanctum, ex omni parte, scilicet corde, animâ, viribus, pura in Deum caritate fulgere debet.

Effectus.

Nieremb. in lib. de ador. VIII. Sicut lapis, quo propior centro est, eo velociùs movetur; ita & homo, quò propior per verum amorem fit DEO tanquam centro suo, hoc velocius in via perfectionis decurrenda movetur.

Idem. IX. Sicut homo, qui multo vino obrutus est, usum suorũ sensuum amittit, nec á mortuo multum differt; ita cùm quis plenus est vino cœlestis cari-

caritatis, moritur mundo, habetque omnes sensus suos in cupiditatibus impeditos.

S. Chrysost. ho. 52. in Acta.

X. Sicut Procus non spectat nisi Amasiam, & Amasia sit ei omnia; sic qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, qui nihil curat gloriam & ignominiam. Tentationes sic contemnit & flagella ac Carceres, quasi in alieno corpore pateretur, & quasi adamantinum possideret corpus. Ea autem, quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet, & non sentit, sicut nos vel ipsi mortui mortua corpora.

S. Aug. in Ps. 121.

XI. Sicut amor immundus inflammat animam, ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit; sic amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat, & de profundo inferni levat ad Cœlum.

Staplet. in Dom. 1. Quadr. §. 10.

XII. Sicut mulier, si locupleti viro, aut honorato nubat, in summa pace, & affluentia vitam deget; ita anima, quæ Deo per amorem se desponsat, fateri debebit cum Salomone: Omnia bona venerunt mihi pariter cum illo; & innumerabilis honestas per manus illius, & lætata sum in omnibus.

Mich. Staudacher Affectu 43. p. 129. l. c. pag. 187.

XIII. Sicut cœlum plùs lucet, cum unum solis oculum habet, quàm cùm mille stellarum oculis distinguitur; sic anima mea à te unico DEO meo plùs splendoris, quàm ab omnibus creaturis accipit. Fabulis annumerari potest, quod Aristoteles narrat, ad Phasim amnem arbusculam nasci, quæ à marito in thoro collocata, conjugem fidam, & amore firmam reddat: Verè autem ejus plantæ gratiam præstare nobis potest Dei gratia, quæ cordibus nostris illata, amorem eorundem firmare, & devincire potest, ne vagam, & lascivientem flammam per creaturas circumferant.

§. VIII.

MOTIVA.

S. Anselmus.

I. *Quia in Deo omnia perfectissimè velut in fonte continentur.* Hinc S. Anselmus dicebat: cur, O anima, vagaris per multa, quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit. Et S. Augustinus: si quæris (verum gaudium) quære; sed non ubi quæris: quære in fonte; ibi enim omnia vivunt. Nam ut idem S. Doctor rectè dixit: Si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. S. Francisco Deum ardentissimè amanti, ac proinde Seraphico appellato, valdè familiaria fuêre verba illa: *Deus meus, & omnia*; quænam etenim à quopiam imaginari poterit pulchritudo & venustas amabilior illâ, in quam desiderant Angeli prospicere, quæque paradisum verè paradisum esse facit. Aliam adhuc rationem addit S. Thomas, dum ait: Bona creata delectant tantùm superficialiter, Deus autem intimè; solus Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, & ideò medullitus delectat. Clariùs denique hoc proponens motivum S. Thomas Villanova sic loquitur:

S. Augustinus.

S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 8

S. Thom.

Amor, teste Philosopho, est naturalis inclinatio quædam in bonum, quantò ergo aliquid melius, tantò amore dignius; Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te, anima mea, quid tibi potest placere, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est; si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, candor est lucis æternæ; si divitiæ, si gloria, *gloriæ & divitiæ in domo ejus*; si delectatio, si vita; *Delectationes in dextera ejus usque in finem, & vita in voluntate ejus.*

Villan. ser. de S. Maria Magdal.

Ibidem.

II. *Quia nemo dignior amore, quàm Deus*, uti idem S. Episcopus indicavit dicens: Quis amore dignior, quàm Deus? quis præstantior? quis perfectior? quis glorioſior? nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit, certè propter hoc, quòd ipse est, omni amore à nobis amandus est, quia scilicet ejus excellentia infinita infinito etiam amore dignissima est.

S. Bern. ser. 84. in Cant.

III. *Quia invitat ad amorem, imò præcipit:* Nam ut S. Bernardus ait, huc nos provocavit anticipantis benignitas, illius, qui nos & prior quæsivit, & priùs dilexit, cujus utraque tam amica comperta suavitas, & ausum dedit, & verecundiam depulit, & movit affectum. S. Thomas de Villanova quoque obstupescit, quòd Deus tanto hominem dignetur honore, ut se ab illo amari velit, idque sub gravi pœna ei facere præcipiat. Sed nequeo satis mirari, & intra me obstupesco, Domine mi, quid est hoc, quod sic amari vis à me, ut mihi mortem & æternos cruciatus mineris, si non amavero te? tanti facis amorem meum? quis ego sum, ut sic æstimes amari à me? S. Augustinus similem prorsus consiederationem instituit dicens: Dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi? Hinc igitur infinita cognoscitur æstimatio, quam Deus de nobis habet; id quod continui calcaris, & stimuli loco ad illum quoque æstimandum & amandum esse meritò deberet: Totum Evangelium, omnesque hactenus datæ leges ad hunc amorem ordinantur. *Plenitudo legis est dilectio.* Porro S. Thomas de Villanova hæc omnia considerans continere se nequit, quin exclamet: inter tot & tanta cœlestium Spirituum agmina, & tam splendidam, tamque decoram te diligentium multitudinem, despicabilis hujus ac vilis vermiculi tu Domine, non solùm non despicis amorem, sed insuper velut grande aliquid & pretiosum cum minis & terroribus reddi tibi efflagitas; & indicas? multum dignificas me, dum sic amari vis à me; sed intelligo Domine, quoniam in amore meo non tuam, sed meam inquiris utilitatem.

S. Augustin. l. 5. Conf. c. 2.

Richard. de S. Victore p. 1. de gra. char. c. 3.

IV. *Quia sine charitate omnia nihil sunt*, uti sapienter Richardus de S. Victore advertit, dicens: Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur; Non prædicatio, etiam si fiat linguâ Angelorum: Non fides, etiamsi montes transferat: Non eleemosyna, etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat: non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita, ut ardeat.

Adeò-

Adeóque ad hoc, ut omnia opera apud Deum accepta & grata habeantur, necessum est, ut hujus amoris signaculô, velut legitimationis charactere, sint obsignata, cui perfectè consonat, quod in S. Augustino legimus, scilicet: Sola charitas sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.

S. Bern. t. 2. ser. 5. c. 2. 6. 1.

V. *Quia charitas omnia opera meritoria facit*, uti S. Bernardinus indicat dicens: O quàm pretiosus est amor, qui in conspectu Dei omnia pretiosa facit! ideo aurum denominatur; aurum enim omnium thesaurorum pretium est. Adducitque jam mentionatam similitudinem, quòd, sicut auro appretiantur omnia, quæ per illud comparantur; sic cunctæ hominis cogitationes & affectiones, cuncti sermones, insuper omnes operationes amoris pretiô mensurantur.

S. Thom. Villanov. apud Mansi disc. 3. num. 15.

VI. *Quia charitas est optima via perveniendi ad Deum*, uti S. Thomas Villanov. indicavit dicens: Hæc est via altior, via securior, planior & brevior perveniendi ad Deum, omnis via, quæ à charitate non procedit, circuitus est. Similiter Idiota ad Deum conversus dicit: Non ergo, Domine susceptor amoris & largitor, jejunium, oratio, & eleemosyna est via recta omninò, sed amor & dilectio tua est via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via clara absque nubilo, via secura absque periculo, via jucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo duce. Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet, quia qui amat ardentiùs, currit velociùs, & pervenit citiùs.

S. Thom. Villan. ser. in Dom. 17. Pentec.

VII. *Quia Deus propriè noster est*, juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum.* Quod confirmans S. Thomas Villanova sic loquitur: Si non diligis quia Deum; neque diligis quia Dominum, saltem dilige, quia *tuum*; quis enim propria sua non diligat? O homo diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque *Deum tuum*. Dilige vel quia tuum; nihil enim ita tuum est, sicut Deus tuus, quia tibi magis est tuus, quàm tu. Nimirum Sanctus hic Archipræsul considerat, quòd nos creaturas vehementer amemus, & Deus noster, qui creator est omnium creaturarum, nonnunquam, ut ità dicam, contentus esset, si pari saltem, quo ipsas, prosequeremur & illum. Cur Deum maximè & super omnia tuum à communi tuorum exceptas dilectione? solusne inter tua indignus à te judicatur amore? ut cùm omnia tua diligas, ipsum maximè tuum minimè diligas? Nonne indignabitur Deus super tam execrando contemptu? pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, zonam tuam diligis, & Deum tuum non diligis. Didacus Stella idem ly, *tuum*, ponderando iisdem motivis aliis licèt verbis utitur, dum ait: Deum dilige, quia tuus est, nam nihil est sic tibi proprium & tuum ut ipse Deus, qui potiùs tibi tuus est, quàm tu ipse tibi.

S. Laur. Justi. de lign. vit. c. 4.

VIII. *Quia thesaurus est anima*, uti S. Laurentius Justinianus testatur dicens: Nullæ majores sunt divitiæ, quàm Deum possidere, & charitatem habere; cui consonat, quod Idiota meditatur dicens: Amorem animæ thesaurum nullus superat; nescit enim homo pretium ejus, omne aurum in comparatione ejus arena est exigua; sine amore dives pauper est & cum illo pauper dives est, quia qui DEUM totâ animâ amat, & diligit, jam habet, quem amat. In alio verò ejusdem Tractatûs capite scribit: Non potest esse pauper, qui Deum habet, quem amat, & quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientiâ? Qui habet aurum in arca, dives non est, sed qui te habet in conscientia, dives est; unde scribitur de te: in me sunt divitiæ & gloria, ut ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam. *Idiot. c. 4.*

Oleaster in c. 20. num.

IX. *Quia omnes creaturæ suo exemplo incitant ad amandum Deum*, uti Oleaster rectè advertit: Omnia inquit, etiam insensata dant Deo Creatori suo, quidquid ab eis postulaverit, etiamsi id suâ naturâ non habeant, solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem & præcordia sua, ac tandem meritò ferrea nos viscera habere, & silicibus duriores esse concludit: Ferreus, & plùs quàm lapideus es, si dante petrâ aquas Deo & populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum.

S. Thom. opusc. 61. c. 11.

X. *Quia summè in nos beneficus est.* Hinc S. Thomas: Præponderat, inquit, evidenter Deus, qui tibi communicans & dat sua, & se: de donis datis magna & multa donavit in præterito: donat, & donare non cessat in præsenti, sed maxima, & plura donabit in futuro. Alius quoque ejusdem nominis S. Thomas eleganter ostendit, quantum affectum nostrum ad se rapiat is, qui nulli alteri rei adeò intenta mente studet, quàm ut nobis benefacere possit. Quem in sensum etiam Didacus Stella loquitur dicens: Saltem amorem ejus amplectere eo tempore, quo tibi benefacit, cùm vero beneficia non contulerit, non eum diligas; parùm certè homo ab homine peteret, qui solùm postularet, ut, si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret; cùm igitur Deus omni tempore & omni horâ beneficiis factis alia majora & ampliora semper cumulet, amorem semper illi debes. Ita S. Augustinus injuriam illam, quam anima ingrata Deo facit, dum tot se ab eo beneficiis cumulatam cernens, eum non amat, graviter exprobrat dicens: Majorem charitati ejus injuriam facis, si dona illius accipis, & tamen vicissitudinem dilectionis non impendis.

S. August. l. 2. de catech. rudibus.

XI. *Quia per Eucharistiam se, suáque omnia donat*; hinc S. Augustinus: Ama amorem, inquit, illum, qui amore tui descendit in substantiam panis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis. S. Laurentius Justinianus in libro de casto connubio, de cœlesti inter Deum & animam sponsalitio tractans ait: Quid se majus dare potuit? sefecerat Fratrem, & ad humanæ inclinaverat naturæ consortium; parum se judicavit egisse, nisi etiam se daret in cibum. O incomprehensibilis bonitas! & paulò pòst, quonam

nam ad hoc faciendum motivo ductus fuerit, ediſſerit dicens: ut per quotidianum experimentum ipſius agnoſcatur dilectio usque ad mundi terminum, voluit, ut hoc perſeveret myſterium.

S. Auguſt. apud Manſi diſc. 10. n. 1.

XII. *Quia propter beneficium redemptionis amorem noſtrum ſpecialiter ſibi vendicat*, ut præclarè S. Auguſtinus advertit dicens: Magnum quidem mihi eſt de Deo, quòd eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multò plùs eſt, quòd transiiſſe ipſum vide in pretium meum; quando quidem tam pretioſo munere ipſa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. Hinc Didacus Stella meritò dixit: Tot ſunt ora, tot linguæ, quæ in ejus amorem te invitant, quot ſunt vulnera, quæ in ſuo corpore pro tuo amore accepit, quilibet ictus eſt lingua quædam, quæ ſemper vociferatur, ut eum diligas. Et S. Thomas Villanova exclamat: Heu, heu! dic, obſecro, O Chriſtiane, qui nomen Chriſti ſolo verbo profiteris, deſpicis in Chriſto, quod non deſpicis in vernaculo, & in filio æthiopis amas æthiopem, & multùm amas, & juſtè amas, quia ipſe amat te. Et amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore moritur, & ſolus Deus & ejus dilectio habetur contemptui, non dignus redamari putatur. Et alibi: Si adhuc in amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus oſtendis, ſi quidem ad tantæ dignationis conſpectum duriſſimi lapides confracti ſunt, & qui ſenſum non habent, ſenſum oſtenderunt, ut attendas, quid facere teneantur hominum corda, ſi tantum pondus amoris, neque rupes ipſæ ſuſtinere valuerunt. Quæ omnia iterum confirmans S. Auguſtinus, opus, ait, noſtræ redemptionis totam vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum, amorem denique noſtrum facilè ſibi vendicat, totum hoc, inquam, eſt, quare devotionem noſtram & excitat meliùs, & quærit ſuaviùs, & auget ampliùs.

Did. Stella in c. 10. Luc.

S. Thom. Villan. c. 3. in Dom. 17. Pentec.

XIII. *Quia omnes cauſæ amoris ab Ethicis aſſignari ſolitæ*, nempe bonitas, pulchritudo, ſimilitudo, amor, perfectiſſimo modò in Deo reperiuntur.

XIV. *Quia DEUS omnem amandi potentiam* in animam plantavit, ergò illi fructus & primitiæ debentur amoris. Quis enim plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem & de lacte gregis non manducat?

1. Cor. 9. v. 8.

Exod. 23.

XV. *Quia ideo DEUS juſſit:* Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini DEI tui; atqui primitiæ cordis ſunt affectus, amor &c. ergò.

XVI. *Quia DEUS eſt noſtrum totum*, ſed pars diligit naturaliter ſuum totum; ergò.

XVII. Quia DEUS hominem ad amandum creavit. Hinc DEUS hominem ultimò creavit, poſtquam Angelis cœlos, terram animalibus, aërem avibus, piſcibus undas diviſerat, ut indicaret, homini nihil aliud ſupereſſe, quàm Deum.

XVIII. Quia amor eſt bonum ex natura ſua, & bonum per ſe, ergo bono ex natura ſua debetur, quale eſt ſolus DEUS.

XIX. Quia nihil æquius, utilius, dignius, jucundius, facilius eſt amore DEI, uti ex ſententiis SS. PP. ſupra citatis patet.

R. P. Lohn. Bibl. Man. Tom. I.

§. IX.

MEDIA.

I. *Conſideratio creaturarum*, nam ut Richardus de S. Victore ait, integer amator Dei, quocunque ſe vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro ſpeculis utitur, & in omne, quod cernit, ſui amatoris ſibi reſultat memoria. Aſpicit cuncta, quæ condidit, & quo condiderit fine, & in his non tam admirabilis, quàm amabilis ſibi occurrit: Atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, ſapienter æſtimat, quanta reſervavit in dotem. Caſtus profectò columbinusque oculus amor eſt, qui in rebus humano uſui conceſſis nulla libidine figitur, ſed in tranſitoriis contemplatur æternum. Quod confirmans S. Auguſtinus, ſi iſta diligis, inquit, ut ſubjecta dilige, ut arrham ſponſi, ut munera amici, ut beneficia Domini, ſic tamen, ut memineris, ſemper, quid illi debeas, nec iſta propter ſe, ſed iſta propter illum: nec iſta cum illo, ſed iſta propter illum, & per iſta illum, & ſuper iſta diligas illum.

Richardus de S. Victore de gradibus charitatis c. 3.

II. *Conſideratio ſui ipſius*: Sic enim S. Bernardus ſuaſit dicens: Quærat homo eminentiora bona ſua in ea parte ſui, quâ præeminet ſibi, hoc eſt, in anima, quæ ſunt dignitas, ſcientia, virtus. Dignitatem in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum eſt, cæteris non ſolùm præeminere, ſed & præſidere animantibus; ſcientiam verò, quâ eandem in ſe dignitatem agnoſcat, non à ſe tamen. Porrò virtutem, quâ ſubinde ipſum, à quo eſt, & inquirat non ſegniter, & teneat fortiter, cùm invenerit.

S. Bernard. ſ. de tit. Dei.

III. *Meditatio aſſidua Bonitatis & pulchritudinis divinæ*, de hac enim verificatur illud S. Davidis: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis.

Pſal. 38. v. 4.

IV. *Magnum deſiderium:* nam initium Sapientiæ & Caritatis concupiſcentia diſciplinæ, teſte Salomone: Imò, ut idem teſtatur, præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.

Sap. 6.

V. *Generoſus contemptus omnium rerum extra DEUM*, quia, teſte S. Auguſtino, diminutio cupiditatis eſt augmentum caritatis. Et hîc propriè locum habet illud Thom. Kemp. Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. Et illud DEI apud S. Joannem: Vincenti dabo manna abſconditum, amoris ſcilicet divini omnem ſaporem eminenter continentis.

Lib. 1. de imit. c. 25. Apoc. c. 2. v. 17.

§. V.

ASCETICA.

I. DE hac virtute *noſſe debet Aſceta, in ea totam perfectionem & felicitatem hominis conſiſtere*; uti S. Thomas oſtendit. Et colligitur ex eo, quod perfectio & felicitas hominis conſiſtat in poſſeſſione ſummi boni; hæc autem poſſeſſio cùm non poſſit ordinariâ viâ haberi per realem unionem, neceſſariò per intentionalem, qualis eſt caritas, obtineri debet.

S. Thom. 1. 2. q. 3. a. 3. Matth. 11. v. ult.

Hinc colligitur, cur Christus dixerit: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Indicare enim voluit, quòd, sicut Pater seu Natura divina cum Paternitate identificata quodammodo perficitur, & completur, dum seipsam perfectissimè cognoscendo generat Filium, & cum hoc spirat Spiritum Sanctum velut perfectissimum amorem, atque adeò ipsius Patris perfectio in perfectissima sui cognitione & amore consistit, ita hominis quoque perfectionem in iisdem duabus entitatibus consistere.

II. *Nosse debet, quid requiratur ad dictam unionem seu amorem?* nempè quòd duas partes involvat, amorem scilicet *affectivum*, qui consistit in hoc, quòd Deus & nos ad exemplum illius velit sibi bonitatem summam, & summè gaudeat, se esse eum, qui est, id est summè bonum & perfectum. Et *effectivum*, qui in hoc consistit, quòd omnia, quæ ad extra operatur, ad majorem suam gloriam dirigat, id est, ad hoc, ut clariùs & perfectiùs semper cognoscatur & ametur à Creaturis, conformando se ejus sanctissimæ voluntati in substantia, modo, & fine nostrarum actionum, ut advertit P. Caraffa in Itinerario; vel, ut alii clariùs explicant, eligendo semper & agendo vel patiendo, *quæ DEO magis placent* (qualia sunt cæteris paribus, in quibus amor copiosius demonstratur, uti fit per tribulationes fortiter perpessas; hæc enim ostendunt, firmam hominì cum DEO unionem intercedere, cùm per tantam violentiam abstrahi se à DEO non patiatur; Item per caritatem proximo velut imagini DEI exhibitam, per hanc enim fit, ut amplius cognoscatur & ametur DEUS, atque ideò iterum major longè in amante affectus arguitur, quàm si solus ipse DEUM amare studuisset) *quo modo magis placent* (uti fit, si cum magna alacritate, diligentia, & constantia opus peragant; hæc enim omnia magnam iterum in amante æstimationem DEI, & adhæsionem ostendunt) *& quia magis placent*, id est, purissimè propter ipsius beneplacitum, unde ex hoc capite tantò perfectior est amor, quantò minùs solatii, vel præmii à creaturis sperat, vel capit.

S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 8. & 9.

III. *Nosse debet, quod ex hac unione velut perfectissima regula cujusque hominis profectus in perfectione sit metiendus.* Pro quo notandum ex S. Thoma, Perfectionem caritatis ex parte diligentis tunc perfectam esse, quando diligit quis tantùm, quantùm potest, quòd contingit tribus modis. Primus est, ut totum cor hominis actualiter semper feratur in DEUM; & hæc est perfectio caritatis in patria, in via autem ordinariè possibilis non est ob humanam infirmitatem. Secundus modus est, ut quis totum cor suum habitualiter figat in DEO, ita scilicet, ut nihil cogitet, vel velit, quod divinæ caritati sit contrarium, quale est solum peccatum mortale; & hæc caritas est de necessitate salutis. Tertius modus est medius inter hos duos, ad quem duo requiruntur: 1. Ut, quandoquidem aliquis semper actualiter in DEUM ferri non potest, conetur saltem, quantum necessitas præsentis vitæ patitur, actualiter cum DEO uniri, uti S. Thomas pulchrè docet, dum ait: *In Cœlo una & continua & sempiterna operatione mens hominis DEO conjungitur; sed in hac vita, quantùm deficimus ab unitate & continuitate talis operationis, tantùm deficimus à beatitudine & perfectione. Licet ergo homo non semper actu operetur hujusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari; & quia etiam ipsam cessationem, puta somni vel occupationis naturalis ad prædictam operationem ordinat, quasi videtur continua operatio esse.* 2. Requiritur, ut vitia & affectiones sic aliquis habeat mortificatas, ut ab illis vix aut parùm impediatur vel retardetur ab unione cum Deo, sed potiùs fruatur pace interna, quæ est effectus perfectæ caritatis. Atque hæc perfectio in hac vita haberi potest, non tamen præcepta est, sed solùm sub consilium cadit. Et ex hac potissimùm profectus colligendus est, quo enim magis accedit ad primum gradum, scilicet Beatorum caritatem, tantò major perfectio censetur.

S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 6.

IV. *Nosse debet, cur* caritas inter omnes virtutes excellentissima dicatur, nempe, quia DEUM attingit, ut in ipso sistat, & non ut ex eo nobis aliquid proveniat, uti S. Thomas docet. Cur item sine caritate reliquæ virtutes nihili æstimentur, nimirum quia per ipsam homo & omnes ejus actus & virtutes ad ultimum finem diriguntur; quam ob causam etiam à SS. PP. & Ascetis Regina & forma virtutum reliquarum dicitur, quia scil. omnes, ut supernaturalem bonitatem habeant, ipsi in ordine ad finem suum consequendum servire debent, atque ab ipsa velut radice prædictam bonitatem super naturalem accipiunt.

Ex modò dictis sciat sequentia sex Axiomata erui posse, non parùm servitura Ascetæ ad perfectionis studium prosequendum. Primum est: *Nemo bonus nisi solus DEUS*, quia in DEO tanquam fonte reperitur vera bonitas. Secundum: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum*, quia ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris rebus occupari potest, repleri non potest, ut rectè dixit S. Bernardus. Tertium: *Minus DEUM amat, qui aliquid præter ipsum amat, quod propter ipsum non amat.* Quia hoc ipso ostendit, se dignam de DEO æstimationem non habere, ut qui in ipso tanquam fonte verum gaudium haurire non malit. Quartum: *Nullum malum, nisi peccatum:* quia scilicet hoc solùm privat vero bono, aut certè minuit conjunctionem cum illo. Quintum: *Nemo læditur, nisi à seipso*, quia nemo invitus ad peccatum cogi potest, à quo solo, ut dictum, vera læsio timeri debet. Sextum: *Non est pax impiis*, quia cùm res quævis non nisi in centro suo quiescat, impius autem à DEO velut centro suo discedat, hoc ipso pacem sperare non potest.

Vita. part. 3. §. 5.

V. *Nosse debet quatuor amores*, quos S. Maria Magdalena de Pazzis communicari sponsis Verbi divinitus accepit. Primus est *unitivus*, qui cum magna velocitate eas unit cum sponso, ac purificat certas maculas imperfectionum, quas habere possent sponsæ.

Secundus amor est *communicativus*, quem qui habet, non potest eum gustare, nisi videat eum gustari simul ab omnibus creaturis, & libenter se privaret Deo, ut illum posset communicare cuilibet creaturæ, sicut eum gustavit Paulus, cùm dixit: *optabam anathema esse à Christo, pro fratribus.*

Tertius

S. Thom. q. 3. a. 2. ad 3.

Tertius est *transformativus*, qui facit, ut anima per participationem voluntatis, & amoris, fiat quasi unus quidam Deus, & hæc transformatio, est quasi vinculum, quod vincit, & ligat animam cum Deo.

Quartus est *præsentativus*, qui facit voluntatem operari sapienter & prudenter; quia facit, ut operationes omnes fiant recta intentione, tantùm ad honorandum Deum: prudenter, ut conserventur omnes virtutes, quæ producent in anima amores. Qui simul uniti in unum, facient pretiosissimum annulum ad desponsandam sponsam.

S. Thom. opusc. 61. c. 29.

VI. *Nosse pariter debet naturam divinæ dilectionis*, quam quidem eleganter declaravit S. Thomas sic scribens: Natura humani cordis cognata est dilectionis actioni; est enim cor in complexione calidum & siccum, hæc est ignea natura, sicut naturale igni calere est, ideò naturale est cordi amando ardere, adducitque sequentem Hugonis à S. Victore Authoritatem, ita scribentis: vita cordis amor est, & ideò impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere quærit, Psal. 38. concaluit cor meum intra me: calidum consequitur leve, & sursum mobile; sed heu *filii hominum, usque quò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem*? Prosequitur deinde causas structuræ & architecturæ cordis humani, & primo quidem loco cordis substantiam ex materia solida constare considerat, hujusque mysticam quandam & spiritualem reddit rationem dicens: est cor in substantia solidum, ne facile à voluptate dissolvatur; est inferiùs acutum, superiùs latum; inferiùs acutum, ut ad temporalia, & hæc inferiora modicè attingat; superiùs latum, ut ad cœlestia dilatet affectum. Item est interiùs concavum, insignum, quod per creaturas sufficienter impleri non valet, citatque sequens S. Bernardi testimonium, dicentis: Capacem quippe Dei rationalem animam, quicquid Deo minus est, non implebit.

Ibidem 2. 2. q. 24. a. 8.

VII. *Nosse debet modum rectè diligendi Deum*, quem iterum percommodè S. Thomas sequentibus verbis indicavit: Ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantùm, quantùm potest, quod quidem contingit tripliciter; Uno modo sic, quòd totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, & hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, per humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermissis aliis; nisi quantùm necessitas vitæ præsentis requirit, & ista perfectio charitatis, quæ possibilis est in vita, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertius verò modus, quem assignat, cuilibet statui, sexui, ætati, conditioni, & personarum professioni adaptari potest, estque facilis, & ab unoquoque peracticabilis: sic enim loquitur: Tertio modo ita, quòd habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quòd nihil cogitet, vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium, & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

VIII. *Nosse debet, quomodo creaturæ, salva charitate Dei, diligi queant*, id quod S. Augustinus sic declarat: Quando tibi dicitur: nolite ista diligere, an hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? non hoc dicitur, sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Et iterum alibi: *Qui amat Patrem aut Matrem super me, non est me dignus*, ita ait: Amorem parentum, uxoris, filiorum non abstulit, sed ordinavit; Non dixit, qui amat, sed qui amat super me; Hoc est, quod Ecclesia loquitur in canticis Canticorum: *Ordinavit in me charitatem*; Ama patrem, sed noli supra Dominum: Ama genitorem, sed noli supra Creatorem. Quod confirmans S. Leo sic loquitur: æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est, & peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis.

S. Aug. apud Manss. dis. 14. n. 1.

S. Leo ser. 5. de jejun. 7. mens.

IX. *Nosse debet signa veræ dilectionis*; quæ quidem breviter indicavit S. Laurentius Justinianus dicens: De signis, quibus cognoscitur, utrum homo Deum diligat, hæc accipe: cùm aliquis cogitat de Deo libenter, & audit, cùm quis libenter pro Deo dat, cùm quis pro Deo libenter patitur. Quod confirmans S. Bonaventura, vis scire, inquit, si Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deò ames? Attende, si de Deo plùs, quàm de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas; Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est, si plùs cogitas de mundo, plus de lucro, plus de amico vel socio, quàm de Christo, non vertas in dubium, sed tibi certissimum sit argumentum, quòd ames ista plus, quàm Christum. Hinc Sponsus sponsæ dixit in Canticis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut per hoc nobis insinuaret, ut non diliganmus verbo, neque linguâ, sed opere. Medicus infirmi vigorem exploraturus pulsum cumprimis tangit, qui si debilis est, vitam periclitari significat, simili modo Idiota ait: Amor vita est animæ, & qui non amat, mortuus est; si autem, an vita hæc in debito vigore constituta sit, an verò languescat, experiri volumus, opera examinemus; Nam probatio dilectionis exhibitio est operis; Amor semper aliquid operatur, inquit idem Idiota, semper crescit, & augetur.

S. Laur. Just. de lign. vit. c. 11.

S. Bonav. Ser. de S. M. Magd.

Cant. 8. v. 6.

§. XI.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. POtest ostendi, quomodo militia sit vita nostra super terram, & quomodo per gladium S. Michaëlis: *Quis ut DEUS*, vincere omnes tentationes possimus &c. In exordio ergo dicat Concionator, videri sibi nobis contingere, quod Judæ Machabæo, cui Jeremias dedit gladium aureum dicens: Accipe gladium sanctum munus à DEO, in quo dejicias Adversarios populi mei &c.

2. Mach. 15. v. 15.

In corpore oſtendat, quatuor occaſiones eſſe, in quibus homo tentari ſolet, ut ad creaturas ſe convertat. 1. In *Spectatore* operum ſuorum quærendo; eſt quippe homo laudis à natura cupidus, & per hoc ſimilis Japonibus, qui etiam magno ſalario perſoluto triſtes abeunt, niſi addatur illud Encomium: *Optimè laborâſtis.* Sed in hac tentatione facilè vincemus hoc gladio, quis ut DEUS, qui omnes conditiones veri Spectatoris ita contineat? eſt quippe 1. Summæ auctoritatis, ut plus ſit ipſi placere, quam infinities infinitis creaturis. Eſt 2. ſummæ ſapientiæ, ut poſſit judicium ferre de operibus. Eſt 3. omniſcius, qui etiam cor & intentionem intuetur, & ſecundùm illam judicat. An non ergo de illo rectè uſurpatur illud Epicteti: Hæc ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus. Et illud Jobi: Ecce in cœlo teſtis *Iob. 16. v. 20.* (& ſpectator) meus. 2. In *Adjutore* pro neceſſitatibus quærendo. Sed quis ut DEUS? qui *ſciat, poſſit,* & *velit* juvare, quæ treſ ſunt conditiones ad Adjutorem requiſitæ, & facilè deduci fuſiùs poſſunt. Hinc meritò illam ſibi Thomæ Kemp. DEI nomine probatam exhortatiunculam ap- *l. 3. de imit. c. 30.* plicet: Fili, ego Dominus confortans &c. 3. In *Conſolatore* quærendo; nam libenter, teſte eodem Authore, habemus aliquid pro ſolatio &c. *l. 2. de imit. c. 9.* Sed quis ut DEUS? qui utpote ſummum bonum poteſt ſatiare, omni loco & tempore, & ſine omni labore, aut grandi pretio haberi, quæ ſunt conditiones veri conſolatoris. Juvabit ad hanc veritatem dilatandam caput 16. l. 3. ejus- *l. 1. de imit. c. 25.* dem Authoris. 4. In *Præmiatore* quærendo; nam unum ferè, teſte Thoma eodem libello, eſt, quod multos à profectu retrahit, horror difficultatis, & labor certaminis. Hinc prima quæſtio cum Davide plerumque movetur: quid dabitur viro, qui percuſſerit? ſed quis ut DEUS? qui nos ultrò adhortatur illis verbis, ad Abrahamum Gen. 15. v. 1. dictis: Noli timere, Abraham, ego protector tuus ſum, & merces magna nimis. Verè merces magna, quia DEI beneplacitum, quod ſolùm verus amans quærit, eſt 1. ſummum præmium, utpote quod Beati etiam ipſi beatitudini ſuæ & deliciis longè præferunt. 2. ſemper *præſens*, quia in illo ſtatim inſtanti, quo opus peragitur, conferri ſolet. 3. *Inauferibile*, quia impoſſibile eſt, ut opus, quod ſemel placuit, non *Pſal. 72. v. 25.* ſemper ei placeat. Claudatur ergo Concio illo Pſalmi verſiculo: Quid mihi eſt in Cœlo &c. Mihi adhærere &c. v. 28.

Matth. 22. v. 38. II. Poteſt oſtendi, cur Chriſtus dixerit de præcepto diligendi DEUM: hoc eſt maximum, & primum mandatum. Nempe maximum 1. *1. Ioan. 3. v. 15.* *Neceſſitate*, quia qui non diligit, manet in morte. Hinc S. Aug. Sola Caritas ſufficit, ſi adſit; *S. Aug. to. 50.* Cætera omnia nil proſunt, ſi caritas ſola deſit. Et *1. Cor. 13. v. 1.* S. Paulus: Si linguis &c. 2. *Dignitate*, quia major omnium virtutum caritas; utpote quæ eſt Regina & norma illarum; & ex illius quantitate cujusque animæ quantitas menſuratur, ut S. Aug. ait. 3. *Utilitate*, quia cum hoc præcepto omnia bona pariter veniunt, nam amanti Deus *Exod. 33. v. 19.* dicit illud Exod. Ego omne bonum oſtendam tibi &c. ſi enim non eſt inopia timentibus eum, teſte Davide, quantò minùs amantibus eum quidquam deerit? 4. *Jucunditate*, quid enim jucundius, quàm ſummo bono frui? ſemper ad *Pſal. 35. v. 10.* veri gaudii fontem ſedere? in centro ſuo quieſcere, ſummum præmium ſperare, ſcilicet plenam ejusdem boni & centri poſſeſſionem? *Facilitate*, vide ſent. SS. Patrum ſupra §. 3. & ſimil. §. 7. an non de illo meritò dicitur illud: Mandatum hoc, quod ego &c. Claudatur ergo *Deut. 30. v. 11.* Concio hortando, ut AA. ſibi dictam putent illam DEI adhortationem, Conſidera &c. ac proinde maximum hoc mandatum maximo affectu amplectantur, maximo conatu implere ſa- *Deut. 30. v. 15.* tagant, & maxima denique conſtantia continuent, ut maximum proximum, id eſt, maximam cum DEO unionem, & per hoc maximam felicitatem acquirant. Vide Fabr. Dom. 17. poſt Pent. co. 1. & Stapl. in cand. Dom. §. 3.

III. Poteſt ex occaſione illius ſententiæ à *Cant. 2. v. 14.* ſponſa prolatæ: Introduxit me in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem: declarari mira vis & efficacia per ſimilitudinem ebrietatis, & Exordium fieri à judicio Judæorum, quo judicârunt Apoſtolos ebrios eſſe, & muſto ple- *Act. 2. v. 11.* nos, dicique cum S. Cyrillo Catech. 17. vera dicunt Judæi, novum enim verè erat illud vinum, novi Teſtamenti gratia (& caritas.) In ipſo deinde corpore comparari poſſunt effectus ebrietatis cum effectibus caritatis. Et 1. quidem, quia hominem quodammodo ratione naturali privat, & in alium hominem mutat. 2. Quia facit hominem impavidum & animoſum. 3. Quia facit pugnacem, & obvios quosque invadentem & provocantem ad guſtanda vina. 4. Quia facit jucundum & hilarem, imò omninoquaſi inſanientem. 5. Quia accendit & inflammat hominem. Quæ omnia pulchrè caritati applicari poſſunt, uti videre eſt apud Fab. Fer. 2. Pentec. co. 6.

IV. Poteſt utilis concio fieri de ſignis amoris, *Matth. 6. v. 21.* qualia ſunt. 1. *Frequenter* de DEO cogitare. Juxta id, Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. 2. *Libenter* & reverenter de Eo loqui, juxta illud Luc. 6. v. 43. Ex abundantia cordis os loquitur. 3. *Revelare ei arcana*, præcipuè in confeſſione juxta illud, quomodo dicis, quod ames me, cùm animus tuus non ſit mecum? 4. *Libenter*, & quaſi *Iud. 16. v. 15.* *inſeparabiliter converſari*; nam inaudita eſt dilectio, quæ amicum diligit, & præſentiam ejus non amat, inquit Caſſiodorus. Hinc S. Paulus, *Caſſiod. ſu- per Pſ. 18.* deſiderium habens diſſolvi, eſſe cum Chriſto. 5. *Facere, quæ placita ſunt ei*, juxta illud Joannis, *1. Phil. v. 23.* Ut cognoſcat mundus, quoniam diligo Patrem *Ioan. 14. v. 31.* &c. 6. *Contemnere pericula & adverſa propter* *Cant. 8. v. 6.* *ipſum*, quia fortis eſt ut mors dilectio. Et majorem caritatem nemo habet, quàm qui animam *Ioan. 15. v. 13.* ſuam ponit pro amicis ſuis. 7. *Etiam imaginem illius, & alia ad ipſum pertinentia diligere*, juxta proverbium: qui amat quempiam, etiam canem ejus diligit; quantò magis proximum ſimilem ſibi? juxta illud S. Joannis. Et hoc man- *1. Ioan. 4. v. 21.* datum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem ſuum.

V. Poteſt etiam ex occaſione verborum illorum *Lev. 6. v. 12.* Levitici: Ignis ſemper in altari meo ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna: caritas igni cõparari, & id probari in prima parte ex proprietatibus

tatibus illius. 1. Quòd ſemper tendat ſurſum ad ſuum centrum, ita & caritas juxta illud S. Auguſtini: Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. 2. Quòd purificet, illuminet, calefaciat, uti facilè ex affectibus caritatis ſupra indicatis videre eſt. 3. Quòd valdè fortis ſit, & omnia in nutrimentum ſuum convertere conetur, quod vel maximè caritati convenit, ut quam multæ aquæ non potuerunt extinguere; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Hinc dicat cum S. Paulo, quis nos ſeparabit à caritate Dei &c. In ſecunda parte poteſt oſtendi, quomodo hic ignis nutriri à nobis debeat per conſiderationem beneficiorum creationis, redemptionis, inſtitutionis Sacramentorum, juſtificationis, prædeſtinationis &c. juxta illud S. Auguſtini: O ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! O Amor, qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis! Unde mihi verbum, ut exprimam ſigna dilectionis tuæ erga me propter innumerabilia beneficia, quibus ab initio educâſti me &c. In Epilogo poſſet invocari Spiritus S. dicendo: Veni S. Spiritus &c.

S. Aug. l. 9. conf. c. 1.

Rom. 8. v. 25.

S. Aug. c. 18. ſoliloq.

VI. Poteſt alio modo caritas igni comparari, & in exordio narrari fabula de Prometheo ignem ſeu particulam divinæ auræ de Cœlo auferente, ut corpus à ſe confictum animaret, deciq;, hoc cum veritate dici poſſe de corpore Eccleſiæ Myſtico, & igne caritatis à S. Spiritu allato. Oſtendatur poſtea in corpore concionis, quomodo caritas ſit anima Eccleſiæ & membrorum ejus. Et 1. quidem, quomodo exerceat officium animæ vegetativæ, faciens hominem attrahere alimentum, & vegetari. Eſt autem triplex hoc alimentum, ſcilicet Verbum Dei, S. Euchariſtia, voluntas Dei &c. quæ in antiquo Teſtamento parùm, vel omnino non attrahebantur, unde Deus per David querebatur: *Quadraginta annis offenſus fui generationi huic & dixi: ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognoverunt vias meas.* Sed poſt adventum Spiritûs S. velut animæ mox copioſè, & quidem Euchariſtiam etiam quotidie attrahebant, & per hoc adeò vegetabantur, ut contra omnes tentationes robuſtiſſimi evaderent. 2. Quomodo exerceat officium animæ ſenſitivæ, faciens videre cœleſtia per meditationem & fidem, audire Verbum Dei, & inſpirationes illius, odorari odorem bonorum exemplorum & virtutum à Chriſto & SS. relictorum, guſtare ſuavitatem Domini, & bonæ conſcientiæ, tangere difficilia etiam opera, quæ priùs horrebat; movere ſe, & ambulare viam mandatorum, & conſiliorum, immò exultare ut gigantes ad currendam viam, ita ut diceret ſponſa: Similis eſt dilectus meus capreæ &c. 3. Quomodo exerceat officium animæ rationalis, rectè apprehendendo cœleſtia, & terreſtria ſpernendo cum S. Paulo: Omnia detrimentum feci &c. Et cum S. Ignatio: O quàm ſordet mihi terra, cùm Cœlum aſpicio! Judicando ſincerè, Deum eſſe ſuper omnia amandum, ſeipſum odio habendum, proximum diligendum ſicut ſeipſum. Omnia eſſe vanitatem præter amare Deum &c. Diſcurrendo, & convincendo voluntatem, ut amplectatur, quæ Chriſtus amavit; & fugiat, quæ ille vitanda docuit. Volendo rectè, ut amplectatur virtutes, & vitia fugiat, conformando voluntatem ſuam cum divina &c.

Psal. 94. v. 10.

Cant. ult.

Phil. 3. v. 7.

reminiſcendo ſemper DEUM, & dicendo cum S. Davide: Providebam Dominum &c. & Memor fui Dei, & delectatus &c. In Epilogo hortari poſſet, ut hanc animam omni cuſtodia defendant, quoniam ex ipſa vita procedit. Atque adeò fugiant ignem concupiſcentiæ, aquam terrenarum delectationum, laqueum divitiarum, latrones malos ſocios, vulnera peccati mortalis &c. nutriant calorem naturalem pane Angelico, hauriant aërem divinarum inſpirationum & gratiæ divinæ per orationem juxta illud: Os meum aperui; & attraxi Spiritum. Non aſcendat in altum, ne cadat, & elidat Spiritum? ſemper ſit memor illius Matth. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur &c.

Psal. 15. v. 8.

Psal. 76. v. 4.

Psal. 118. v. 131.

Matth. 16. v. 26.

VII. Poteſt caritas auro comparari juxta illud Apocalypſis: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias. In corpore concionis poſſunt quatuor auri proprietates comparari cum effectibus amoris; nempe 1. præſtantia auri ſuper alia metalla cum dignitate amoris. 2. Utilitas ad omnia cum efficacia caritatis ad omnia à Deo impetranda; ſi enim pietas ad omnia utilis, quidni multò magis charitas? ſi quærentibus regnum Dei omnia adjicientur, quantò magis diligentibus? Tunc implebitur illud Cariſſimi, ſi cor noſtrum &c. 3. Aptitudo dilatationis cum extenſione caritatis ad proximum; dum cedens percuſſionibus, ſeu perſecutionibus ſe magis dilatat, & ſinum quodammodo magis aperit, etiam inimicis. 4. Vis confortandi cor cum virtute charitatis eundem effectum ſpiritualiter præſtante ante, in & poſt mortem; quæ omnia facilè fuſius deduci poſſunt. Hortetur ergò, ut emant hoc aurum offerendo pro eo ſeipſos, ſicut ſæpe homines ſe Diabolo pro auro tranſcribunt, tantoque promptius faciant, quantò præſtantius & verius eſt hoc aurum, & quantò certiora promiſſa à Chriſto, quàm Diabolo facta. Subſcribant ergò ſe ſanguine ſuo, & promittant, ſe multos in obſequium adducturos.

Apoc 3. v. 18.

1. Jo. 3. v. 30.

§. II.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. BAlthaſar Alvarez ex Societate JEſu ajebat; Religioſas domos videri ſibi Noſocomia divina charitate vulneratorum; quî enim aliter ibi ex diſciplina vitam poſſent traducere? Fornaces item, in quibus innumerabilibus Dei donis, quaſi ſubditis ignibus corda quantumvis lapidea amore ſolverentur. Nimirum tum ex rei dignitate loquebatur, tum ex animi ſententia, quùm ita comparatus viveret, ut humanis omnibus major, Deòque tantummodò intentus.

Joan. Rho. v. amor. exempl. 15.

II. Sacer Textus refert, quòd *plurima turba ſequebatur Chriſtum*, & cauſam hanc adjicit, *quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.* Variæ fuerunt ſequelæ conſilia. Namque alii illum ſequebantur, ut viderent miracula nova, hi curioſi: Alii, ut comederent de panibus ejus, hi guloſi: Alii, ut ſanitatem reciperent, hi infirmi: Alii, ut eum in ſermone caperent, hi Phariſæi: Alii, ut doctrinam ejus acciperent, hi diſcipuli. Cùmque

Didacus Nyſſenus Dom. 4. quadrag. §. 3.

tam multi illum sequerentur, solos hoc nomine laudat Discipulos, dicens: *vos, qui secuti estis me*; Matthæi 19. versu 28. Sed quomodo Christus solos ait secutos Discipulos, cùm Joannes dicat, *sequebatur eum multitudo magna*? Respondet, Christi arbitrio, & existimatione eos solos illum sequi, qui solum sequuntur, ut sequantur, & ob id tantùm amant, ut ament, sine alterius lucri cujuspiam expectatione, aut cupiditate, quia & hoc omnium maximum lucrum est, quòd DEUS amari se permittit à creaturis tam vilibus, & abjectis, quàm sunt homines, itáque vult etiam diligi, tantùm ut diligatur, quia amor, qui non est avidus lucri, huic Deus plurimum defert. Propterea dicebat S. Augustinus tractatu septuagesimo sexto in Joannem: Quia diliguntur, eliguntur, hoc est, ii, qui amant solùm, ut ament, hos Deus unicè amat, ii Dei ingenium, quantùm homini fas, referunt, & mores æmulantur.

Ibidem. III. Dignum est notatu, quòd Deus in veteri lege cavit, ne sibi asinus offerretur; *Nolo mihi brutum tàm brutum immoles, sed primogenitum asini mutabis ove, quòd si non redemeris, interficies*, inquit, Exod. decimo tertio, versu decimo tertio. Bovem è contra tam gratum habebat, ut eum sibi litari etiam præceperit. Quid verò causæ, quòd tam vehementer & probârit bovem Dominus, & improbârit asinum? S. Basilius Magnus in caput primum Isaiæ reddit rationem quàm acutam, tàm opportunam, aitque ab Isaia indicatam causam, cùm inquit: *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, Isaiæ c. 1. vers. 3. Bos Dominum suum novit, nec præter illum aliud quidquam spectat: Asinus verò non Domini, sed præsepis, sed pabuli, sed comodi sui rationem habet. Hinc jam elucebit, quare domo suâ prohibeat asinum, quare tecto dignetur bovem Deus. Facit nempe hoc, ut intelligatur, eos solos Domino charos, qui pro more bovis cognoscunt possessorem suum, illúmq; solùm, nec aliud extra, aut præter ipsum spectant; ii scilicet diligunt illum tantùm, ut diligant: sed quia asino similes solùm sibi quæstum, & emolumentum proprium propositum habent, ut asinus præsepe Domini sui; Hos non tantoperè diligit Deus, nec enim amat amatores ambitiosos utilitatis suæ, nec gratam habet voluntatem, quæ commodis propriis nititur.

Ibidem. IV. Disputat S. Joannes Chrysostomus ibidem, utrius horum sanctorum Patriarcharum major fuerit fides, & amor in Deum. Definitque ita: Majorem iste (Henoch) fidem, quàm Abel ostendit. Quo argumento id, Doctor sancte, evincis? Eo, inquit, quia nihil illi retributum erat. Obsequia Henochi nullâ exteriori benevolentiâ remuneravit Deus, uti Abelis, qui cùm lectiora & præstantiora obtulit, *respexit Dominus ad Abel*, Geneseos quarto, versu quarto, ubi aliorum versio habet: *inflammavit Dominus super Abel*; igne scilicet inde submisso, quo significabat, acceptam sibi esse ejus oblationem, & gratum officium. Nunquam tale quidquam cum Henoch egit. Is verò est integerrimus amor, inquit Chrysostomus, ea sinceriſſima fides hominis, qui Deum amabat, illique credebat; & serviebat, quanquam nullo indicio declaratum haberet, talia sua opera illi probari, hinc enim palam erat, quòd Deum amabat tantùm, ut amaret, eique famulabatur solùm, ut famularetur. Neque magnum erat, quòd Deum Abel diligeret, & coleret; privatum enim suum hoc ex illo emolumentum habebat, quòd sciret grata esse illi sua obsequia. Minus ergo aliquid hac re faciebat, quàm Henoch, ut proinde bene dictum sit à S. Chrysostomo: Majorem fidem habuit Henoch, quàm Abel, quia nihil illi retributum erat.

Ibid. p. 2. fol. 227. V. Salus mundi tantis sæculorum omnium suspiriis expetita in lucem Mundi prodiit, quòd cùm Angelus quidam pastoribus nuntiâsset, subitò facta est cum illo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 13. 14. S. Cæsarius notavit pacem è cœlis nuntiatam non boni ingenii, felicis memoriæ, multarum divitiarum, sed bonæ voluntatis hominibus. Quare his solùm pro bona sua voluntate, non aliis similiter pro opum copia, ingenii præstantia, virium robore, corporis valetudine pax nuntiata fuit? Respondet ille Homil. 19. Quia potest dicere aliquis, facultatem non habeo. Ut non obsecundes DEO præcipienti eleemosynam, inopia facere potest. Infirmum ægra sua valetudo excusat, ut sit immunis à jejunio. Sic alia sunt non pauca, quæ homo, cùm per vires suas moraliter nequeat, non teneatur etiam præstare, quamdiu ista imbecillitas obstat. Verùm nunquid potest quispiam dicere: bonam voluntatem habere non possum? Ergò cæterorum bonorum operum intermissio justam rationem habere potest, sed ut non propendeas voluntate in DEUM, ut non ames illum, id citra piaculum fieri nequit: Nunquid enim potes dicere: bonam voluntatem habere non possum? Non potest sanè; propterea etiam bonæ voluntatis hominibus pax promittitur, ut ad omnes pax illa pertinere intelligatur, velut omnes bonæ voluntatis esse possunt.

Idem fol. 228. VI. Meritò admireris, quòd Rex ille, cùm ingrederetur nuptiarum locum, ut videret convivas suos, quibus opulentissimum epulum apparaverat, & quantùm quisque splendoris suo vestium ornatu, & elegantiâ ad convivii magnificentiam conferret, unum ex omnibus objurgavit, quòd cum sordido habitu ad nuptias tam illustres venisset, dicens: *Quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem*? Matth. 22. 12. Notandum, quòd hunc hominem increpat, non de auri, argenti, gemmarum, unionum, taliumque rerum inopiâ, sive neglectu, sed de solo incuratiore vestitu, quòd indumentum non haberet nuptiale. Quid hoc vestimenti erat, quod apud ignavum & improvidum convivam Rex desiderabat? S. Gregorius Homil. 38. ait: Quid ergo debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi charitatem? Charitas ergo fuit, quâ ornatum suum hospitem Rex volebat, de cujus neglectu, cùm illum objurgavit, eo nobis paradigmate significare voluit, si fortè ad festa Dei conveniamus à jejuniorum, vigi-

vigiliarum, cæterarumque corporis afflictationum, aut virtutum quarundam aliarum ornamentis nudi, non propterea pœnas à nobis exacturum Deum, cùm viderit nos ea pro tenuitate seu virium, seu facultatum parare non posse: At si absque charitatis trabeâ nos videat, id gravissimè ulciscetur, quòd ea parabilissima sit, nec quicquam ardui insit amori Dei, ob quod excusatè prætermitti possit, quantumvis sint alia, quorum sæpè vel pars aliqua excusabilis. Ea propter dicebat Regius Propheta: *Non est, qui se abscondat à calore ejus*, Psal. 18.7. In quæ Hugo Cardinalis sic commentatur: Nec est, qui se excusare possit, quin eum diligere possit. Dilectio nimirum actio voluntatis est, & liberi arbitrii opus, idcircò qui non diligit, non habet, quo negligentiam hac in re suam purget, nec est, qui se abscondat. Quidquid obtendas, non effugies pœnam, si negligas præcepti tam justi observantiam.

Ibidem. VII. Pulchrè hanc in rem dictum à Philone Judæo de victimas offerentibus: Quid hìc molestum est, aut difficile? Non juberis Maria nondum priùs tentata trajicere, & tempestate furente in mediis fluctibus susque déque jactari procellis inter se conflictantibus, non itinera ingredi feris infestata & latronibus, satis est, si annuat animus. Cor, animum, voluntatem promptam appetit Dominus, hæc illi sufficit, eâque satisfacis officio tuo, quam si prætermittas, inexcusabilis est tua ignavia.

Idem in Polit. part. 2. l. 2. c. 8. VIII. Quamquam longum erat septem annorum, & tanti laboris spatium, septennium tamen illud non majus septiduo Jacobo videbatur, breveque tempus, & levem laborem, & facilem pactionem putabat, quoties ea conferebat cum flagranti amore, quo animus illius occupatus formosam Rachelem deperibat: *Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Gen. 29. 20. Ubi Interpretes, cùm in hunc locum incidunt, notant potentiam amoris magnam, & vires, quas pectori infundit, quod invadit, nec enim est mare, quod non sulcet, nec mons, quem non complanet, nec ignis, quem non oppugnet, nec incommodum, quod non contemnat, vel conterat, nec impossibile, quod non tentet. Ita sentit Abulensis, quando observat, quod Jacob tam promptè lætanterque susceperit septennis servitutis duros, ac diuturnos labores, ut formosam ovium custodem nanciscì posset, neque lubens tantùm susceperit, verùm & exiguos brevesque, ac leves, prout illam deperibat, existimavit: Nullus enim labor magnus videtur amanti, ignes non timet, nives spernit, gladiis se opponit, & omnia pericula sibi grata reputat, inquit ille. Quid quid aliis durum, molestum, operosum, hoc illi voluptas est, & delicioſus paradisus.

Ibidem fol. 65. IX. Dictis vires adjiciet id, quod Diogenes Laërtius, qui veterum Philosophorum historias conscripsit, refert, estque ferè hujusmodi: Interrogati Athenienses de nomine, quod accommodatissimum Amori fore putarent, postquam diu secum altercati varios expendissent titulos, qui in illum quadrare videbantur, sed proprietates ejus non satis exactè exprimebant, demum unum repererunt epithetum, quod significandis illius qualitatibus, & conditionibus aptissimum putârunt. Itaque propositæ quæstioni sic responderunt: Amor pro nomine annuens vocetur. Annuens idem est, quod omnibus assentiens, der zu allem ja sagt. Admirabilis revera titulus, & qui aptiùs in neminem, quàm in amantem cadat. Effusissimus; & maximè prodigus homo non concedit semper omnia, quæ rogantur, non occurrit omnibus, quæ petuntur. Valentissimus nonnunquam debilitatur. Ingeniosissimus non semper superat obscuritatem alicujus difficilis quæstionis. Prudentissimus & consultissimus non semper ita comparatus est, ut rectè de omni re quovis tempore pronuntiet. Facilis ad risum, hilari & jucundo promptoque ad honestos jocos animo non semper exporrigit frontem, non semper remittit supercilia: At qui verè & integrè amat, semper idem est, omni occasione ad omnia promptus, quia est annuens; omnibus assentiens, ut Maria Magdalena gladiis, spiculis, tormentis æneis, machinis fulminaribus intrepidum pectus animosè objicere, cuique temporis inclementiæ sese accommodare, nemini quidquam noverat negare, gratificari omnibus, quantùm poterat, studebat, idque amore sui JESU.

Ibidem. X. S. Gregorius in Psalm. 114. ait: Machina cordis vis amoris. Benè expressit iis verbis Doctor Sanctus magnam violentiam amoris. Quando sive muniendi, sive exornandi ædificii necessitas postulat, ut ingens aliquod, vastumque saxum ad locum illius editiorem sublevetur, quod humeris in locum sibi conveniehtem efferri nequeat, invenit ingeniosa hominum industria instrumentum quoddam, seu machinam volubilem, quam viri pauci dum ineunt, & gyrant, ac velut convolvunt, immanes lapides, & gravissima saxa tam leviter attollunt, ac si exiguus lapillus esset. Huc alluisse videtur S. Gregorius, cùm ait: vim amoris esse Machinam cordis. Amor enim cor, quócunque libet, transfert & attollit. Nónne hoc experimento quotidiano discimus? Avarus, cujus tam grave semper ac durum cor, manus autem, ac si congelaverint, tam pigræ & torpentes ad dandum, si pectoris sedem amori semel concedat, & permittat, quam faciliter à sordida parcitate ad generosam liberalitatem transfertur, aut transit ipse? Timidus & ignavus, quem leviſſima umbra exterret, nónne est ferox, & Mars quidam bellicosus, simul ac sub cupidinis vexillis militare incipit? Quis negare possit? Qui furiosè rixatur, & cæcatur irâ, nónne miteſcit, ut agnus, tigridisque feritatem facilè deponit, cùm eam videt, quam deperit? Per momenta singula experimur. Quis has facit mutationes? quis corda ista sic movet? quis sublevat illa tam gravia saxa? Amor, cujusvis est machina sursum attollens quantavis pondera? Machina cordis vis amoris. Ubi amor regnat, non est periculum, quod exterreat, neque discrimen, quod adferat metum.

XI. Sponsa illa de Canticis, cùm de Sponso suo, vitæque ac morum illius conditione disse-

reret,

reret, ajebat, illum malo frondosæ, opacæ, patulæ, prolixæ, ac venustæ similem esse, quæ foliorum copiâ calorem prohibeat, elegantiâ oculos pascat, fructibus necessitatem famis levet, inquiens: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. 2. v. 3. Acuta est in hunc locum S. Bernardi annotatio, quæ sic habet: Non dixit, sub umbra illius, quam desideraveram, sed illius, quem desideraveram, ut indicaret, se non umbram ad refrigerium sui quærere, sed arborem spectare, & devenerari; velut dictum fuisset, illam ad bene agendum non donis Sponti, sed ipsius puro amore motam fuisse: Neque munera illius, sed personam solùm respexisse. Illum unicè attendebat, is illi actionum omnium scopus & finis erat, beneficia, quæ ab illo consequi poterat, non cogitabat. Integerrimus nempe amor magis dilectum, quàm ejus favorem spectat, ipsiúsque amore magis, quàm remunerationis exspectatione movetur, ut gratificari ei studeat; Maximum enim & largissimum præmium, quodcunque tali ex re evenire potest, illud est, si non ob aliud diligat, quàm ut diligat, & solius amoris amore amet.

Pennequin. parte 1. c. 21. XII. Sophis Rex Indorum, teste Curtio l. 9. ut Alexandro Magno quàm nobiles ad venandum canes aleret, quàm Leonibus infestos, quàm in defensione, morsuque pertinaces ostenderet, in conspectu leonem eximiæ magnitudinis jussit emitti, & quatuor omninò admoveri canes, qui celeriter occupârunt feram, tum & iis, qui assueverant talibus ministeriis, unius canis, leoni adhærentis, crus avellere, & quia non sequebatur, ferro amputare cœpit; Nec sic quidem pervicacia victa, rursus aliam partem secare instituit, & inde non segnius hærentem ferro subindè cædebat, ille in vulnere feræ dentes moribundos infixerat. Hoc emblemate perfecti amoris constantiâ repræsentatur, qui ubi semel dilectum apprehendit, ita res omnes humanas despicit, ita infra se positas arbitratur, ut omnes fortunas, vitæque commoda everti, dissipariique facilè sinat, dummodò Deo tranquillè potiatur.

Barrii affect. 31. XIII. Tollatur Sol, & hortis venustas, nemoribus vigor, & viror, campis amœnitas, palatiis splendor, Mundo sua forma periit. Auferatur amor, & castitati nitor, fortitudini decus, modestiæ gratia, prudentiæ fulgor, pietati meritum, spei præmium, fidei utilitas occubuit.

Lib. 3. in fin. c. 30. §. 21. XIV. Meditando quandoque cognoscere cœpit S. Gertrudis interiorem deformitatem suam, & in ea tantùm sibimetipsi displicere, quòd quasi anxiè vacillans, cogitabat, quomodo unquam perpenderet, ibi penetrans oculus divinitatis conspiceret infinitas. Super quo tali responso est consolata: Amor facit placentiam. Unde intellexit, quodsi in terrenis hominibus amor tantúm prævalet, quòd quandoque deformes propter dilectionem placent eis, à quibus diliguntur, & etiam interdum tantùm placent, quòd amatores per vim dilectionis desiderent similari amatis, quomodo tunc diffidendum est in eo, qui Deus Charitas est, quòd ex vi amoris non possit placitos facere, quos amat?

XV. Seneca de virtutum moralium consecutione cum amico suo disputans, quid tibi opus est, ut sis bonus? inquit, & uno verbo quæstioni primo aspectu arduæ, & intricatæ respondet: velle. Quod responsum dedit etiam S. Thomas in rebus pertractandis, & illustrandis perspicacissimus, dum sorori, qua breviori via ad perfectionem niteretur, interroganti dixit: Velis. Unde meritò cum S. Augustino concludere possum. Vides igitur in nostra voluntate esse positum, ut hoc fruamur tanto, & tam vero bono: quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas est? Neque est, quòd hanc difficultatem in Deum aliquis rejiciat, cùm ipse hunc amorem super omnia imperet, gratiâ præveniat, & ejus impetratione delectetur. Ignem veni, inquit, mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Quid si etiam ex parte nostra accedat deprecatio? eâ verò quid facilius, quid expeditius? præsertim si brevis oratio etiam hac in parte non parum momenti, & virium ad impetrandum sit habitura. Dixit aliquando S. Brigittæ Mater Dei amantissima, eum, qui unum duntaxat Pater pro charitate obtinenda pronunciaret, effectu, fructuque non esse frustrandum. *Epist. 80.*

XVI. Sponsa in Canticis, tametsi à custodibus civitatis pessimè habita, multisque fuisset verberibus, aliisque injuriis affecta: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Et tamen filiabus Jerusalem, quas fortuitò obvias habuit, dixit: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Ubi notandum, quòd nullam prorsus verberum, vulnerum aliarumque acceptarum injuriarum mentionem fecerit; quia syncerè & ardenter amans pro deliciis & voluptatibus habet omne illud, quod pro objecto amato sustinet & patitur. Unde S. Gregorius ait: Quid grave non leviter tolerat, qui amat; quicquid enim diligitur, cum magna devotione portatur. Est quædam magna Dei ancilla, valdè ab eodem illuminata, quæ dicere solebat, quòd, post quàm à cœlesti sagittario vulnerata fuit, deinceps quid pati sit, prorsus ignoraverit, quia fortis est ut mors dilectio: si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Manst. disc. 18. n. 11.* *S. Greg. l. 5. c. 1. in 1. Reg. 12.*

XVII. Aulici nonnulli, prout in Confessionibus S. Augustini legimus, ad mundi contemptum in se excitandum ità inter se loquebantur: quot & quænam molestiæ subeundæ sunt, ut quis in Imperatoris amicitiam & benevolentiam pervenire possit: imò, dicebant, posito etiam, quòd quis ad illud felicitatis culmen tandem pertingat, per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? At verò, subjungebat inter eosdem alius, amicus Dei, si voluero esse, nunc fio. Quænam obsecro illa futura esset hominis felicitas, in cujus arbitrio & libera potestate consisteret Monarchæ alicujus potentissimi concilianda gratia, & intima amicitia, seu potiùs *S. Aug. l. 8. conf. c. 8.*

potiùs Monarchi æ ejus inſeparabilis ſocietas, & tamen longè excellentiùs quid eſt, quòd aliquis amicus Dei conſtituatur; & quidem id, ſi voluero, nunc fio. Ad hoc enim ſufficit, ſi interiùs ſynceri erga Deum amoris actus elicias.

S. Thom. Villan. conc. de fæd. S. Thomas poſtquàm tributum illud, quod Deus noſter à nobis exigit, leve eſſe hiſce verbis dixiſſet; Advertite & conſiderate, quàm leve tributum Dominus à nobis exigat; pro tantis beneficiis nihil aliud exigit, niſi amorem; mox niſi tributum illud promptè ſolvamus, noſtram nobis ingratitudinem ſeveriſſimè exprobrat, & juſta Dei comminatur ſupplicia, dicens: O quàm meritò, quàm juſtè damnabitur, qui maluit ardere, quàm amare. O peccator talis tibi viſus eſt Deus, tam oneroſus amor Dei tui, ut malis ſempiternis incendiis deputari, quàm amare?

S. Aug. l. de nat. & grat. XVIII. S. Auguſtinus illa S. Joannis verba: *Mandata ejus gravia non ſunt*, declarans, aliam quandam rationem aſſignat, cur jugum hoc facili negotio ſuſtineatur. Quomodo eſt grave, inquit, cùm ſit dilectionis mandatum? Idiota in c. 1. libri, quem de amore Dei compoſuit, ita ſcribit: Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, amor difficultatem non novit. Amor laſcivus, quantumvis duram ei, qui illum ſectatur, legem præſcribat, hæc tamen ei ſemper ſuavis eſſe videtur, quantò igitur majorem vim in peccatore Chriſtiano obtinebit amor divinus? Chryſologus ait: Fortem facit vis amoris, quia nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent ſuperare perfectum?

XIX. *Vulnerâſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulnerâſti cor meum in uno oculorum tuorum*; Verbis hiſce cœleſtis amator ſuos erga ardentiſſimè amantem animam exprimit amoris reciproci affectus. S. Gregorius textum hunc aptiſſima quadam ſimilitudine explicat; ſicut enim, qui ſagittam ſuam in meditullium ſcopi evibrare nititur, ad hoc, ut non erret, ſed ſagittæ jactum tantò de metæ aſſecutione ſecuriorem efficiat, unum oculorum ſuorum occludere ſolet, ita quoque ſponſa unum oculorum ſuorum ſponſo ſuo clauſum exhibet, clauſum inquam, ad cunctas haſce res terrenas, ut alterum affectus ſui oculum tantò vehementiùs in Creatorem ſuum defigat: Qui ad ſolam Dei naturam visûs acumen dirigit, is in cæteris omnibus cæcus, ad quæ multorum oculi reſpiciunt.

Manſi diſc. 15. n. 13. XX. Figura prædictæ veritatis maximè expreſſiva, niſi fallar, fuit ille coram Salomone à duabus Matribus habita contentio & controverſia: Porrò hiſtoria notiſſima eſt, quodnam ſcilicet fuerit ſapientiſſimi illius Judicis in hac perplexitate dirimenda judicium. Nimirum ut quænam ex ambabus mulieribus germana Mater eſſet, clariùs eluceſceret, præcepit: *afferte mihi gladium*; Eoque allato, infantem per medium ſecari, & unam illius partem uni, & dimidiam partem alteri dari. Quâ ſententiâ, quænam infantis vera & indubitata genitrix eſſet, detexit: Commota ſunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo, unde & dixit: *Obſecro, Domine, date ille infantem vivum*, non verò eadem fuit fictæ & perſonatæ matris opinio, utpote quæ ait: *Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur.* Paulus de Palatio ait: Bona mater integrum, non diviſum vult filium, licèt quæ ſe matrem fingebat, dividi filium optaret, ita Deus integrum cor, non diviſum vult: ita quoque tunc, quænam anima à Deo electa & prædilecta ſit, agnoſcetur, ſi Diabolo conſulenti, ut cor inter Deum & ipſum per affectum dividatur, nec mihi, nec Deo, ſed dividatur, ipſa non conſentiendo ſolida in ſe, & conſtans perſeveraverit, nec cor per amorem in diverſa diſperſum dividi permiſerit. Hâc hiſtoriâ Didacus Stella verba illa: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, exponens utitur, dum ait: Non vult Deus cor diviſum, ſed integrum. Salomon veluti prudentiſſimus infantem integrum & intactum matri tradidit, & noluit, ut divideretur. Mundus, inquit, dividatur, Deus verò contrarium. Etenim verò ſi certum, & indubitatum aliquod ſignum noſſe deſideremus, è quo, an noſter erga Deum amor filialis ſit, agnoſcere poſſimus, examinandum nobis cor noſtrum erit, videndumque, an ſit diviſum, ſive an aliquam illius partem creaturis ceſſerimus; quia ſi ſimul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifeſtum id nobis indicium erit, quòd Deus à nobis eô modô, quo amari cupit, minimè diligatur. Unde S. Auguſtinus ait: Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei: vas es, ſed adhuc plenum es, (*amore ſcilicet mundi*) funde, quod habes, ut accipias, quòd non habes.

XXI. S. Athanaſius quoque aptè ad intentum interrogat, cur Pater æternus redemptionem noſtram à Filio conſummari voluerit, non verò ad hunc finem Angeli cujuſpiam opera uti voluerit? Reſpondetque id factum eſſe, ne ulla nobis daretur occaſio amorem Deo debitum transferendi in creaturam; quia ſi ab Angelo fuiſſemus redempti, motivum utique efficaciſſimum habituri fuiſſemus amoris noſtri partem eidem quoque impendendi. Conveniebat redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnoſceremus. Cui conſonat illa S. Anſelmi meditatio, dicentis: Qui creavit te, ipſe redemit te, ne amorem tuum dividas partim creatori, partim tribuens Redemptori. *S. Athanaſius ſer. 3. in Arian.*

XXII. Quodnam obſecro in eo latet myſterium, quòd Salvator noſter innocentiſſimam quidem carnem ſuam ſibi dilacerari & vulnerari permiſerit, nec tamen tunicam ſeu veſtem inconſutilem dividi voluerit? Num fortè ideo id factum eſt, quia tunica hæc opus manuum ſanctiſſimæ Matris ſuæ fuit? ſed & corpus Chriſti è virgineo Matris ſuæ ſanguine conditum fuit; aut verò factum eſt ideò, quia veſtis illa unitatem Eccleſiæ ſuæ præfigurabat, prout in apparitione S. Petro Alexandrino facta oſtendit? omnia in figura contingebant. Omnia hæc benè quidem dicuntur & aptiſſimè, veruntamen Idiota per veſtem hanc charitatem ſeu amorem divinum intelligit, qui diviſionem minimè admittit; Deſignatur, inquit, per tuam tunicam incon- *Idiot. c. 24.*

inconsutilem, quæ nec scissa fuit, nec divisa, quia amor neque dividi debet, neque scindi, & qui eum dividunt, vel scindunt, pejores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt.

Isa. c. 28. n. 20. XXIII. Deus per os Isaiæ Prophetæ nobis quoque insinuat, angustum esse lectum seu thalamum, in quo cùm anima dulciter quiescit, ac proinde eundem alterius incapacem esse: coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest. Porrò quid per hunc *lectum angustum* intelligatur, Dionysius Carthusianus optimè declarat, dum ait: Hoc stratum est fundus cordis humani, in quo pariter quiescere nequeunt amor mundi, & amor Dei, carnalis affectio, & spiritualis dilectio, sed alter alterum pellit; ac proinde cùm cor nostrum adeò sit modicum & angustum, & consequenter ad hoc, ut Deo nostro adeò nos ferventer & tenerè amanti, tantòque benefactori nostro dignè respondere possit, ignem & amorem sufficientem nequaquam exhibere possimus, minimè profectò convenit, ut modicum hunc amorem dæmonio, mundo, sensui, ac inimicis nostris pariter communicemus.

S. Ambrosius medit. c. 33. XXIV. Sponsus cœlestis animæ amanti præcipit dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum*; Etenim quando in littera aliqua sigillum aut figura Principis alicujus conspicitur, magnus illi honor & respectus ab omnibus illam videntibus defertur, nec quisquam est, qui illam contemnere aut aperire audet; atqui Deus noster, utpote valde Zelotypus, & amoris animæ nostræ cupidissimus illius sponsus per hanc similitudinem eandem monere voluit, futurum esse, ut, si ipsum, velut sigillum quoddam cordi suo imprimeret, nullus alius affectus vel amor ad illam aliquem sit aditum obtenturus; ex quo enim Creatorem illud occupâsse conspiciunt, nulli eò subingredi licebit creaturæ. Unde S. Ambrosius ita meditatur: Dulcissime & amantissime JESU, infunde obsecro multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam, scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam.

Did. Stella in c. 10. Luc. XXV. Didacus Stella nobilem quendam considerationem in medium adducit; considerat enim, quòd amor nobis superabundanter à Deo recompensetur, aut remuneretur, cùm tamen nulla sui retributione indigeat. Dicit igitur: Nulla ratio est, ut amor mercede & retributione sit dignus. Verùm est, quòd operarius, qui manè summo diluculo surgit, & ad vesperam usque laborat, suum mereatur stipendium; at verò qui amat, quid est, quod præmium accipiat? Estne aliquid jucundius, dulcius, aut suavius, quàm semper diligere? amor certè sui ipsius est merces, nobis verò ratione amoris & dilectionis gloriam retribuere, nihil aliud est, quàm mercedem mercedi addere, & præmium præmio, & beneficium beneficio. Pro cujus meliori intelligentia evidentissimam quandam adducit similitudinem alicujus sitibundi hominis, qui ardentissimam patitur sitim, miraque cum aviditate aquam bibendam tradi sibi postulat; Quod si enim tali homini non solùm petita subministraretur aqua, verùm etiam eidem pro aqua postulata & exhibita pecunia daretur, ad hoc ut eandem biberet, nunquid largitas & munificentia ista inaudita res esset? Unde mox ita exclamat: O divina charitas, quibus te laudibus commendabo? nam cùm anima hæc nostra (qua nihil à Deo accepimus pretiosius) sine amore non vivere, nec stabilis permanere queat, præcipit, ut amemus, & pro amoris mercede, gloriam retribuit.

Mansi disc. 8. n. 5. XXVI. B. Ægidius, qui socius fuit S. Francisci, ut sæcularem quendam ad verum Dei amorem accenderet, die quodam in hunc eum ipso discursum digressus fuit: Erat aliquando non nemo, qui nec manus, nec pedes, nec oculos habebat, qui, dum ab amico suo interrogaretur, an si aliquis in mundo inveniri posset, qui ei lumen daret ad videndum, ad ambulandum pedes, nec non & manus, quas non habebat, ei donaret, eum etiam amaturus, seque erga hunc benefactorem gratum exhibiturus esset? miser ille è vestigio respondit, me ei omnibus diebus vitæ in servitutem etiam durissimam addicerem. Quo responso accepto Ægidius cœptum discursum resumens, ei dixit: Ecquis autem ille est, qui tibi oculos, aures, linguam, manus, pedes, caput largitus est? quis nobilissimum hoc corporis & animæ compositum tibi donavit? Non alius utique, quàm DEUS: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu*; ac proinde si te in servitutem addiceres hominis illius, qui tibi solùm manus, pedes & oculos dedisset, qualis igitur, & quænam est tua erga Deum gratitudo & amor, qui tibi ultrà hosce sensus omnia alia donavit, imò & animam ipsam, eamque ad imaginem & similitudinem suam tribus nobilissimis potentiis suis instructam creavit?

S. August. in Psal. 31. XXVII. Quando fons aquæ vivæ in paludem se exonerat ibidem stagnaturus; inficit aërem, animalia venenosa producit, prorsusque corrumpitur: Non verò item, quando in meatibus seu canalibus subterraneis constrictus, in delicioſum quendam amœnumque hortum derivatur, ibi namque per varios sese aquæ ductus in altum erigens, postea ad terram fœcundandam descendit, illamque herbas, flores, fructus, & quicquid tandem in horti areolis pulchrum & utile est, à natura arte cultivata produci potest, progerminare facit. Hæc utique quantum ego existimo, allusio pariter & exhortatio S. Augustini fuit, dicentis: Aquam amoris tui fluentem in cloacam, converte ad hortum; etenim amor noster, dum fertur ad creaturas, veluti in paludibus & luto stagnans generat serpentes, buffones, aliaque animalia venenosa, id est, multa vitia, & peccata; ac proinde divini amoris Secretarius optimè nos monet: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Non verò id nobis timendum est, quando amorem nostrum ab omnibus hisce rebus

1. Ioan. 2. v. 15. & 16.

bus

bus creatis subtrahimus, & Deo unimus, tunc enim verè contempletur, quod Christus Salvator noster ait: *Si quis bibit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Mystica hæc aqua terram animæ nostræ fœcundat floribus & fructibus omnium virtutum: ac proindè ait Ambrosius: Charitas omnium virtutum forma est, cùm per ipsam omnium virtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur.

§. XIII.

MISCELLANEA.

Natura.

Philipp. Kystel. in Nylo Myst. I. QUidam amoris genium explicare volens pinxit adolescentem, & juxta illum quatuor mundi globos cum verbis: *His nihil.* Dextera verò manu elevante cor versus cœlum, accensum flammis, inter quas scriptum. *Soli DEO.*

Idem. II. In Æthiopia ignis fuit, qui virginibus nihil nocebat, pollutarum manus urebat: hinc probationis ignis dictus: Talis ignis amor est.

III. In Anglia olim nobiles certamen ludicrum instituerunt, in quo quisque in clypeo florem, Rosam, lilium depictum habebat; at Dux Britanniæ fasciculum florum, in quo omnes aliorum flores depicti erant cum lemmate: *In me omnia.*

Drex. Ros. p. 2. c. 15. §. 1. IV. Rosa Hierichuntina, etiam aridissima cùm vel minimùm aquæ imponitur, mox se explicat, & ramos diffundit; sic amor omnes tribulationes magno affectu accipit.

S. Bern. V. Christus interrogans ter S. Petrum, an plùs, quàm alii diligeret, indicare voluit, illum, qui aliis præficitur, diligere DEUM debere plùs quàm sua, plùs quàm suos, & plus quàm se.

S. Aug. l. 15. de Civit. Dei c. 12. Staplet. Do. 12. post Pent. §. 3. VI. S. Augustinus dixit, virtutem nihil aliud esse, quàm ordinem amoris.

VII. Cùm Pharao ad filios Israël sacrificare DEO volentes diceret, sacrificate Domino; Oves tantùm vestræ & armenta remaneant: Respondit Moyses, cuncti greges ibunt nobiscum: non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt ad cultum DEI nostri. Sic & charitas nihil reliniquere mundo aut carni vult, sed omnes vires & potentias secum ad sacrificium amoris offerendum ducit.

Ibid. VIII. Filii Aaronis quoniam in thuribulum ignem alienum posuerunt, igne sunt combusti. Ignis alienus in thuribulo est amor creaturæ inordinatus in corde. Cave ergò hunc imponere.

Idem Dom. 17. post Pent. IX. Cùm quinque viri de tribu Dan Micheæ conflatile Idolum abstulissent, & illi cum lacrymis sequenti dicerent: Quid tibi vis? cur clamas? respondit ille: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & dicitis: quid tibi est? quantò magis clamabit anima, cùm verus DEUS illi ablatus ex corde fuerit.

Did. Niss. Sabb. post Cin Petioch. 3. X. Sponsa Cant. 3. non dixit in lecto, sed in lectulo quæram, quem diligit anima mea. Super quæ verba Gilbertus ait: Ego planè coarctationem quandam in hoc verbo intelligo, ut soli secum dilecto sufficiat. Bonum est ergò, non dilatare, sed contrahere cogitationes & cordis lectulum.

Idem ser. 6. post Cin. per 6. XI. Miratur S. Aug. in Ps. 149. quòd David dicat, reges alligandos in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, idque inter mirabilia novi testamenti ponat; sed respondet: si ferrea sunt, quamdiu timent, ament, & aurea erunt.

Idem in Sabb. post Cin. per. 3. XII. S. Chrysostomus quærens, cur S. Joannes Bapt. baptizaverit, & prædicaverit in deserto? respondet his verbis: sciebat Christum esse venturum, & quærebat in deserto. Separaverat se à multitudine; oculis enim exspectantibus Christum, nihil aliud aspicere dignum est, præter Christum.

Innoc. l. 3. de contemptu mundi c. 7. XIII. Innoc. 3. rationem reddens, cur Cant. 8. v. 6. dictum sit: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio? respondet: Tantam in pœnis reprobi tolerant angustiam, ut vix aliquid cogitare possint, ubi sentiunt vim doloris. Sic amor amantem alibi versari non sinit, quàm apud eum, quem diligit.

Plin. l. 12. c. 21. XIV. Heliotropium non tantùm sereno, sed etiam nubilo die solem sequitur. Tantus fideris amor est, inquit Plinius, ut etiam nubilo die se circumagat cum illo.

XV. Si amanti Terentiano usque adeò insanire licuit, ut Thaidi suæ diceret: Dies noctesque ames me, me desideres, me somnies, me exspectes, de me cogites, me speres, me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus.

Plutarch. in vita Antonii. XVI. Refert Plutarchus, Reginam Cleopatram tam ardenti M. Antonii amore flagrâsse, ut assumpto ancillæ habitu, quo regiam majestatem dissimularet, in mediis noctis tenebris per plateas civitatis illum quæritaret; sed quid hoc ad amorem Dei, qui regna exuere, & monasteria intrare facit.

S. Greg. l. 19. mor. c. 25. XVII. Sponsus de Sponsa dicit Cant. 7. Statura tua assimilata est palmæ, quia hæc arbor sola ad radicem est tenuis suprà verò ad cacumen crassa; sic ergò & sponsæ amor erga creaturas tenuis erat, grandis erga DEUM.

Nyss. in Dom. 20. per 4. XVIII. Qui bene probare vult dispositionem cordis, tangat pulsum in sinistra, ut medici solent; ita & qui vult probare dispositionem dilectionis, tangat & probet hominem in adversitate, quia certior est probatio; verus enim amor non nisi passionibus probatur.

Orat. Extemp. p. 2. c. 3. XIX. Plato dixit, amorem magnum DEUM esse & omnipotentem, quippe cui nec Hercules resistere potuit, & cujus famulum se esse Socrates ex Delphico oraculo sapientissimus publice professus est.

Alex. ab Alex. l. 4. c. 7. XX. Lacedæmones priùs, quàm ad bellum exibant, victimas amori immolabant; cur non & nos ante quodvis opus?

Plinius l. 16. nat. hist. XXI. Plinius ait, reperiri arborem, nomine larix, quæ igne non comburitur, quin potius si igni admoveatur, ac si lapis esset, resistit; uti Cæsar probavit circa civitatem Gezgobiam turri confectæ & tali ligno ignem applicans. Ita amor constitutus.

§. XIV.

AXIOMATA.

Cant. 8. v. 6. I. FOrtis est ut mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio.

S. Ignat. in l. Exercit. S. Aug. II. Amor ab operibus magis pendet, quàm verbis.

III. Tantùm es, quantum diligis.

IV. In amore non vivitur sine dolore. Was hertzt, das schmerzt.

V. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum.

VI. Minus Deum diligit, qui aliquid diligit, quod propter ipsum non diligit.

§. XV.

AUTHORES.

I. DIonysius Carthus. p. 2. Opusc. l. 4. toto.
II. Didacus Stella de Amore Dei I. toto.
III. Franciscus Labata v. Amor Dei.
IV. Pædagogus Christianus p. 2. c. 23. §. 8.
V. Vincentii Caraffæ Seraphin. Item itinerarium.
VI. Petrus Sanchez in Regno Dei.
VII. Ludovicus Granatensis in locis communibus f. 306.
VIII. Bernardinus Rosignolius de disciplina Relig. perfect. l. 3. c. 6. à c. 8. usque ad 14. & à 20. usque ad finem.
IX. Jacobus Alvarez. to. 2. l. 3. p. 2. c. 5. & p. 5. 56. c. 2.
X. Henricus Engelgrav. in Lucæ Evang. p. 2. Dom. 14. post Pent. §. 3.
XI. Matthias Faber, conc. 6. in Fer. 2. Pentec. item conc. 2. in Dom. 12. post Pentec. & conc. 1. 2. 3. 4. in Dom. 17.
XII. Thomas Stapletonus text. 10 in Dom. 1. Quadr. Item text. 3. in Dom. 12. post Pent. & text. 6. in Dom. 14. & text. 2. & 4. in Domin. 17. & text. 2. in Dom. 18. & text. 8. & 9. in Domin. 19.
XIII. Antonius Gaudier in to. de natura perfect. part. 2. tota.
XIV. Josephus Mansi Bibl. moralis. tr. 4.
XV. S. Franciscus Salesius de amore Dei.
XVI. Vincentius Caraffa in Schola sancti amoris.

TITULUS XX.

CASTITAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I.

S. Ambros. l. 1. de Virg. EST virtus, quâ ab impuris carnis voluptatibus abstinemus. Hinc S. Ambrosius: quid est castitas, nisi expers contagionis integritas? Juxta S. Thomam *22. qq. 151. art. 1. ad 1.* castitas est virtus, quâ homo secundùm judicium rationis, & electionem voluntatis, moderatè utitur corporis membris: cui adjuncta est pudicitia, quæ re ipsâ eadem est ac castitas, quamvis propriè externas actiones hominis ad honesti normam dirigat. Virginitas verò à S. Augustino describitur: in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Per meditationem intelligitur propositum, in quo perpetuò virgo perseverat. Hinc adjungitur proxima viduarum continentia.

Divisio.

II. Dividitur communiter in *conjugalem*, quæ ab omni quidem illicitâ, sed non perinde licitâ copulâ abstinet. Et *non conjugalem*, quæ etiam à licita copula abstinet; atque iterum dividitur in *perpetuam*, quæ voluntaria pollutione per totam vitam abstinet, & *Virginitas* appellatur. Et *non perpetuam*, quâ quis post voluntariam pollutionem admissam de cætero abstinere statuit. Atque hæc plerumque castitas viduarum vel cælibum vocatur, de qua tamen rectè dixit Cæsarius: Longa castitas post peccatum est imitatrix virginitatis.

S. Cyprian. in l. de bon. Hic cognata virtus pudicitia est, quâ aspectum, os, manus, continemus, ne in aliquid indecens, minusve honestum tendant, quod munditiæ castitatis officiat. De hac S. Cyprianus sic loquitur: Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domûs, concordiæ caput. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit, beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscunque habitare dignatur. *diss. & pudic.*

Actus & gradus.

III. Omnem illicitum carnis congressum fugere, licitum admittere. *Cassianus coll. 12. 6. 4. & 7.*

IV. Ab omni opere carnis etiam licito abstinere.

V. Desideria carnis insurgentia elidere, minimeque in ea consentire.

VI. In cogitationibus carnis non immorari, sed eos statim deprimere.

VI. Turpes motus carnis valde deprimere, & ad aspectum & tactum eorum, quæ nos possunt ad opus nefarium provocare, fortiter cohibere.

VIII. Non moveri etiam subtilissimo voluptatis desiderio, si memoriam harum rerum vel tractatûs ratio, vel necessitas lectionis ingesserit, sed velut opus quoddam simplex, ac ministerium humano generi necessariò contributum tranquillo ac puro cordis intuitu contemplari, nihilque ampliùs de ejus recordatione concipere, quàm si operationem laterum, vel cujuslibet alterius officinæ mente pertractet.

IX. Ne in somno quidem illecebrosis Phantasmatibus illudi.

X. Ab illis etiam motibus, qui causas cæteroquin naturales habent, tam in somno, quàm vigilia liberum esse, quem gradum à pauciss. mis obtineri, ait Cassianus l. c.

XI. Si-

Apud Lanic. op. 4. n. 128. XI. Similem fere in modum hos castitatis gradus S. Bonaventura assignat, dum ait: Primum Gradum esse continentiam ab actu carnali, cum proposito manendi, & omnibus illicitis moribus consensum negandi. Secundum gradum ait esse, cùm maceratione carnis, & per alia studia spiritualia, affectus ita mundatur, & caro ita spiritui subjugatur, ut rariùs tentetur & mitiùs. Tertium ait esse, ita edomitas habere carnis concupiscentias, quòd vix rarissimè & tenuissimè sentiantur. Et ex affectu talis induitur castitatis amor, ut horreat, & ita detestetur omnes carnales motus, quòd quasi nauseam inde patiatur, nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore cordis, & extorsione. Si verò pro utilitate aliorum de Matrimonii casibus aliquid tractandum occurrerit (ut in confessione, Scholasticis lectionibus, & studiis rerum talium ad scienda peccata necessariis) ità quietos motus suæ carnis sentiat, ac si de luto vel lapidibus, vel similibus tractetur. Et cùm per soporem humoris (id est, seminis) abundantia naturaliter se resolvit, ita quietè & insensibiliter profluat, ut nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec in sensu fœdæ delectationis titilletur. Ita perfectæ castitatis distinctio, prout in hoc peccati corpore potest haberi, à viris perfectissimis obtinetur. Ut autem stabiliter in hoc gradu, & continuè perseverent, puto, ad hoc requiri privilegium singulare. *Cass. coll. 12. c. 8.* Quod etiam confirmans Abbas Chæremon apud Cassianum, hæc, ait, probare, utrùm possibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longam, & puritatem cordis, ad confinia carnis ac Spiritûs, verbo Domini dirigente, pervenerit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Job. 31. v. 1. I. PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.

2. Thess. c. 4. v. 3. II. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore.

Eccl. 25. v. 28. III. Ne respicias in mulieris speciem, & ne concupiscas mulierem in specie.

Matth. 19. v. 4. IV. Sunt Eunuchi, qui castraverunt seipsos propter Regnum cœlorum.

Apoc. 31. v. 4. V. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt; hi sequuntur agnum, quocunque ierit.

Sap. 8. v. 21. VI. Scivi, quoniam non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum scire, erat sapientiæ.

Utilitas.

Judith. 15. v. 11. VII. Confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò eris benedicta in æternum.

Sap. 3. v. 13. VIII. Quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Osee 3. v. 3. IX. Non fornicaberis, & non eris cum viro, & ego exspectabo te.

1. Cor. 7. v. 8. X. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.

Ibid. v. 34. XI. Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & Spiritu.

Ibid. v. 37. XII. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO.

Dignitas.

Sap. 4. v. 1. XIII. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius quoniam & apud DEUM nota est, & apud homines.

Eccl. 26. v. 20. XIV. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.

Allegorica.

Exod. 28. v. 27. XV. Ponat vir gladium supra femur suum.

XVI. Ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obryto.

Dan. 10. v. 5. XVII. Contemplare viam, consorta lumbos, robora virtutem valde.

Nah. 2. v. 1 Eph. 6. v. 14. Luc. 12. v. 35. 1. Pet. 1. v. 13. XVIII. State succincti lumbos vestros in veritate.

XIX. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

XX. Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, & perfecti, sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam.

Apoc. v. 13. XXI. Vidi præcinctam ad mamillas Zonâ aureâ.

Ibid. 15. v. 6. XXII. Exierunt septem Angeli præcincti circa pectora Zonis aureis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Substantia & Qualitas.

S. Greg. Naz. I. MUlier nupta est Christi ex parte: at virgo tota Christi fit. Illa non se totam alligat mundo, hæc autem nullo modo se ei accommodat. Quod est pars quædam in nupta, est totum in virgine. Quæ igitur Angelorum vitam elegisti, & in eorum choris connumeraris, ita puritatem serva nunquam descendas ad vitam carnis.

S. Hieron. apud Lud. de Pont. to. 3. II. Crebra munuscula, & dulces litteras, & sudariola, & prægustatos cibos sanctus amor non habet: hæc enim omnia carnem sapiunt, & procul sunt ab amore casto.

Idem in Epist. III. Felix conscientia, & beata virginitas, in cujus corde nullus alterius amor, quàm ipsius Christi, invenitur. Quod si alicujus personæ recordatur, non suspirat propter eam, nec videre desiderat, quem visum non vellet deferre.

S. Aug. in serm. IV. Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Rara enim concordia formæ, atque pudicitiæ. Rara avis in terris, alboque simillima corvo.

Ibidem de sum. bono. V. Castus ille est, qui amorem amore exclusit, ignemque igne spiritus extinxit.

Cass. 6. Inst. c. 10. VI. Puritatis hoc erit evidens indicium, ac plena probatio, si vel nulla imago decipiens quiescentibus nobis, & in soporem laxatis occur-

rat, vel certè interpellans, nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minimè reputetur, tamen nec dum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitii manifestatio, cùm per fallaces imagines hujusmodi operatur illusio.

S. Climacus. grad. 15. VII. Pudicus est ille, qui in somnis nullum motum, nullamque status sui mutationem sensit: qui & in somnis perfectam semper insensibilitatem in corporum specie, & varietate possidet. Hæc regula est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata, sicut inanimata intueamur, atque ita rationalibus, sicut brutis corporibus afficiamur. Initium quidem castitatis est, cogitationibus sordidis non acquiescere, atque per intervalla temporum obscœno liquore illo sinpliciter, & absque ulla imaginationis illusione respergi: medium verò naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus (scilicet phantasmatibus imaginationis inquietari; ita tamen ut ad fluxum usque illi non perveniant: Finis mortificare corpus, jam antea mortuis cogitationibus sordidis. Felix revera est, qui ad omnem colorem corporis, atque aspectum perfectè insensibilis effectus est. Magnus ille est, qui nullâ ex tactu passione movetur. Major verò, qui nullo aspectu vulneratus est, atque cogitatione supernæ pulchritudinis igneum spectaculum vicit.

VIII. Hæc est consummatio castitatis, ut vigilantem Monachum oblectatio libidinis nulla pertingat: ut quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cùm dormienti tantùm per sopitæ mentis injuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita & sine ullo pruritu corporis conquiescat.

S. Greg in Mar. IX. Cùm de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerumque omnipotens DEUS superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla enim est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis.

Isid. l. 2. de sum. bono. c. 31. X. Quidam in juventute luxuriosè viventes in senectute continentes fieri delectant; & tunc eligunt servire castitati; quando libido eos servos habere contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriosè vixerunt, tale non habent præmium, quale laboris certamen non habuerunt. Eos enim exspectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina.

Utilitas.

S. Damasc. l. 4. orth. fid. c. 25. XI. Nonne tres pueri virginitatem colentes igne superiores evasere, per virginitatem corporibus ab igne inexpugnabilibus factis? Nonne Danielis corpori Virginitate solidato ferarum dentes infigi non potuerunt? Nonne cùm videndus esset DEUS ab Israëlitis, castum corpus habere præcepit? Nonne etiam Sacerdotes se ipsos castos servabant, & ita adita intrabant, offerebantque hostias? Nonne lex magnum votum castitatem appellavit? Cit. 28.

XII. Virginitas æquat se Angelis, si veroexquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert; quam non habent Angeli. Virginitas est voluptatum triumphus; virginitas filios non habet, sed quod plus est, Filiorum contemptum habet; non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem. S. Cyprian. in lib. de bono disciplin. & pudic.

XIII. O virginitas, corona, quæ nunquam marcescit, templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, gemma pretiosissima à paucis inventa, à multis odio habita, à solis dignis optata. O continentia mortem destruens, possidens verò immortalitatem. Tu es gaudium Prophetarum, gloria Apostolorum, vita Angelorum, & corona Sanctorum. Beatus, qui te obtinet, & constanter retinet, modicum enim pro te laborabit, & plurimum in te ipse gaudebit. S. Athanas. l. de virg.

XIV. Divitiæ tuæ virginitas tua: thesaurus tuus est thesaurus irrecuperabilis, postquam semel amissus est. S. Hier. in epist. ad Demetrium.

XV. Admonendi sunt peccatum carnis ignorantes, ut incessanter præmia suspiciant; & libenter procul dubio tentationum, quas tolerant, labores calcabunt. Si enim attendatur felicitas, quæ sc. transitu attingitur, lene fit quod transeundo laboratur. S. Greg. 3. post admon. 29.

XVI. Per continentiam colligimur, ac redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Hoc autem unum Deus est, summum ac solum bonum, quo amando nos quoque boni, & quo fruendo beati sumus. Aptissimè etiam Nazianzenus castitatem laudans, ut aqua, inquit, quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multùm comprimitur, & conglobatè volvitur, in altum erumpit, suprà naturæ suæ pondus; sic si anima per continentiam totum suum amorem strinxerit, nec in creaturas diffluere patiatur, sed eum in Deum effundat, sursum tendet, nec unquam humi prolabetur. S. Augustin. l. 10. conf. c. 19. S. Nazianz. Orat. 36.

Dignitas.

XVII. Quod futuri sumus, vos jam esse cœpistis; vos resurrectionis gloriam in hoc seculo jam tenetis, per seculum sine seculi cogitatione transitis, cùm castæ perseveratis, ac virgines, Angelis Dei estis æquales. S. Cypr. de hab. Virg.

XVIII Quis humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? è cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò vivendi sibi usum quæsivit è cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo. Hæc nubes, aëra, Angelos, sideraque transgrediens; Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum, cùm invenerit, relinquat boni? Postremò non meum est illud; quoniam quæ non nubunt, neq; nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. S. Ambrosius lib. 1. de Virg.

XIX. Quodammodo exire de carne est, in carne commorantem, & ultra naturam est, fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcircò impossibile est, hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum, cœlesteque præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere duxerit castitatis. S. Cassianus lib. 6. c. 6.

tatis. Nullâ etenim virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm merito, & gratiâ castitatis; per quam adhuc in terra degentes habent, secundùm Apostolum, municipatum in cœlis, quod depositâ corruptelâ carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hic jam in carne fragili possidentes.

S. Greg. Naz. Hom. in Matt.

XX. Videtis rei hujus præstantiam, atque sublimitatem; propemodum enim talis reperitur, ut concipi, comprehendique prorsus nequeat. An non enim præstantius est quàm pro carnis fragilitate, id, quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere? An non planè Angelicum eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundùm carnem vivere, sed naturâ excelsiorem esse? Caro cum mundo revinxit, sed ratio ad Deum subvexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. Caro vinculis adstrinxit, sed amor solvit. Igitur nisi planè cæci esse volumus, sed potiùs recto judicio uti, quæ major videri potest dignitas, quàm castitatis, quæ non dicam Regibus, ac dynastis, quod homines tanti æstimant, sed illis supernis Principibus, ac potestatibus nos exæquet.

S. Bern. epist. 42.

XXI. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet castitas (ut monet Apostolus) in Sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Sensus ipsa, & artus continet, & constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodum legitur, de quibusdam, quia computruerunt, ut jumenta, in stercore suo.

S. Chrysost. de Virg. c. 79.

XXII. Quâ re differebant ab Angelis Helias, Helisæus, Joannes, veræ amatores integritatis? Nullâ, nisi quòd mortali naturâ constabant. Nam de cætero si quis diligenter inquirat, hi nihilo aliter affecti reperirentur, quàm beati illi Spiritus, & idipsum quo inferiore videntur esse conditione, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, & ii, qui essent mortali naturâ, possent ad illam virtutem vi & studio pervenire, vide, quantâ eos fortitudine, quantâ vitæ ratione præditos fuisse oporteat.

S. Basilius apud Platum l. 2. c. 4.

XXIII. Et hi profectò, qui continentiam servant, Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur. Sunt autem Angeli non ex infimo quovis ordine, sed certè illustrissimi ac nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem suam in cœlis servant, & loco, & naturâ inviolabiles, & apud summum regem omnium Deum constituti; At verò illi in terra carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes, incorruptionem Angelicæ puritati parem, virtute præcipuâ ante Creatoris oculos custodierunt.

XXIV. Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis, his, tanquam duabus elevatis alis, de terrenis cœlestes esse meremur. S. Leo ser. 4. de Passione.

XXV. Christi nisi morte commoriar, resurrectione non vivam, ergo illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est. S. Paulin. ep. 4. ad Severum. fine.

XXVI. Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas sit felicior, hujus tamen fortior esse concluditur. S. Bern. in Ep.

XXVII. Quis negat hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facilè inveniemus in terris, nisi postquam DEUS in hæc terreni corporis membra descendit? S. Ambrosius l. 1. de Virg.

Jucunditas.

XXVIII. Amanda est pulchritudo castitatis, cujus degustata delectatio dulcior invenitur, quàm carnis; castitas enim fructus suavitatis est, & pulchritudo inviolata Sanctorum. Castitas servitus mentis est, & sanitas corporis. S. Isidor. l. 2. de sum. bono. c. 40.

XXIX. Quid virginitate suavius? quid pulchrius, quid illustrius? etenim ipsis solis radiis fulgores splendidiores emittit, nos verò ab omnibus terrenis rebus avocans sic afficit, ut solem justitiæ puris, & intentis oculis intueamur.

XXX. Quicunque à Mundi vinculis liber esse cupit, conjugium velut compedes quasdam profugere debet, & Deo vitam suam consecrare, & castitatem profiteri, Qui enim hujusmodi est, cùm Deum solum sibi amandum proposuerit, ejusq; puritatem, & tranquillitatem omnis perturbationis expertem, & quæ ex his nascitur, lætitiam & gaudium degustare optet, in eo tantùm versatur, ut ab omni materiæ concretione, & corporis affectione animum quàm maximè abducat, & cœlesti lumine insatiabiliter hausto, puris oculis, nullaque caligine præpeditis, divina contempletur. S. Basilius c. 1. const. Monast.

XXXI. O Castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cœlestia alas adjungis! O Castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! O Castitas, quæ justos illuminas, & diabolo tenebras offundis! O Castitas currus spiritalis, possessorem suum in sublime evehens! O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, & corporis, flores, universamque domum odoris fragrantia reples! S. Ephrem. t. 1. ser. de castitate.

Necessitas.

XXXII. Quacunque virtute polleas, quibuscunque opibus niteas, si cingulo Castitatis careas, omnia per terram trahes. S. Hier. in Ep.

Impedimenta.

XXXIII. Pleraque virgines cognovi velle, & prohiberi à matribus, & quod gravius est, viduis, cum quibus hîc mihi sermo est. Nempe si hominem S. Ambros. l. 1. de virg.

nem amarent Filiæ vestræ, per legem eligere possent, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?

Ibid. XXXIV. Bonum est, si virginitatem studia parentum quasi flabra pudoris aspirent? sed illud glorioſius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine veteribus nutrimentis se rapiat in fomitem castitatis. Dotem negabunt Parentes? sed habes divitem sponsum, cujus contenta thesauro patriæ successionis emolumenta non quæras. Quantò dotalibus præstat compendiis casta paupertas! vince priùs puella pietatem, si vincis domum, vincis & sæculum.

Ideml. 3. de Virg. XXXV. At certe ipsis gentilibus inter aras, & focos venerabilis solet esse virginitas: & in quibus nulla est meritorum pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis virginitas prædicatur. A profanis igitur cæremoniis virgines nemo prohibebit? ab Ecclesia DEI Virginitas arcebitur? illic coguntur, quod non docentur, hîc interdicitur, quod non licet non doceri? illic præmiis revocantur à nuptiis, hîc ad nuptias coarctabuntur injuriis? illic violentia fit, ut capiantur, hîc violentia fiet, ne profiteantur?

§. IV.

EXEMPLA EXTERNA.

Virorum.

Gen 39. I. JOsephus Patriarcha maluit in carcerem detrudi, quàm lædere castitatem: hinc ejus exaltatio.

Vitæ & Spec. Ex. c. 8. & 94. II. S. Thomas Aquinas fortiter Impudicam feminam vincendo castitatis cingulo ab Angelis decorari meruit.

Surius 21. Mart. III. S. Benedictus per speciem mulieris aliquando à se visæ graviter tentatus in spinas se abjecit, sicque prurientem libidinem extinxit.

Thomas Cantip. l. 2. apum c. 30. n. 45. IV. S. Dominicus meretricē, conscio Rege Castellæ ad tentandam ejus castitatem imissam, in lectum prunis ardentibus plenum, in quo ipse sine vestiū aut corporis ambustione jacebat, invitans, egregium suæ castimoniæ testimonium reliquit.

Chronica Min. l. 1. c. 64. & l. 2. c. 457. V. S. Franciscus Seraphicus ab impudica feminā noctu ad scelus invitatus, pavimentum prunis ardentibus ex proximo igne constravit, in eoque decumbens ad idem stratum mulierculam invitavit, quo facto procacem mulierem ad pœnitentiam reduxit. Idipsum in Ægypto feciſſe dicitur, dum à Saracena meretrice ad impudicitiā provocatus in ignem proximè ardentem se conjecit, eamq; ad stratum illud evocavit, quæ tanto *Vita c. 5.* viso miraculo fidem suscepit. Aliàs à dæmone per impuras suggestiones agitatus nudum corpus in foveam glacie plenam, alio tempore in nivem projecit, & ex nive septem statuas, ac si uxores, & Filii forent, formavit, & nudus amplexus est.

Thomas Cantipr. l. 2. Apum c. 30. §. 33. VI. S. Ludovicus Catalanensium Episcopus, corpore venustus & pudicus, à quadam Galliæ Regina ad scelus invitatus, eam torvo oculo aspiciens rejecit, unde oculus ille post 400. annos incorruptus mansit, & quasi Chrystallus lucidissima luxit.

Cromerus de gestis polon. l. 29 VII. S. Casimirus Regis Casimiri Filius ad mortem infirmatus, medicis connubium pro sanitate recuperanda suadentibus, mori maluit, quàm virginitatis jacturam facere.

Surius to. 5. VIII. S. Elzeario cùm ordinem intrare vellet, Christus ipse præcepit, ut Dalphinam uxorem acciperet, cum qua tamen tam virgineè vixit, ut Christus ipse visus sit ad caput lectuli stare, & manus super utrumque extendere. Ipse verò Elzearius fateretur suam castitatem nullibi securiorem fuisse, quàm cùm in eodem cum Dalphina lecto dormiret. Hinc soror hujus Dalphinæ gravi tentatione luxuriæ pulsata, flexis genibus circa lectum ipsius cum reptâsset mox liberata est.

IX. Constantinus Magnus summo in pretio habebat virgines, eò quòd in earum mentibus DEUM habitare crederet; unde eas etiam ex publico ali jussit, tantumque non adoravit.

S. Athan. in Apol. ad filium ejus. X. Cùm Godefridus Bullionius in recuperanda Palæstina tanto robore depugnaret, ut Equites cataphractos uno ictu medios secaret, interrogatus, unde illi tantæ vires essent? respondit: nunquam hæc dextera molliori aliquo, ac turpiori tactu effeminata est.

Petrus Sanch. in regno Dei. p. 5. c. 8. XI. Felix de suo Episcopo narravit, quòd cùm ad Episcopatum evectus, separasset se ab uxore, hæc suspicata, id ideo fieri, ut alteri pulchriori copulari posset, quondam noctu sub lecto se abscondens vidit supra pectus illius agnum sole lucidiorem jacere.

Ibid. XII. Cassianus refert, quòd, cùm Juvenis quidam ad Joannem Abbatem accederet sub exorcismo diaboli, ab eoque in Ordinem admitti peteret, mox ad Juvenis istius adventum Diabolus, qui nullo alioqui modo pelli poterat, discesserit, quare rogatus quis esset? respondit, se à parentibus ad matrimonium coactum, undecim annis eum Sponsa illibatum vixisse, nunc verò impetratâ ab ea facultate Ordinem petere. Quo audito dixit Abbas: Jam non miror, Diabolum tuam præsentiam ferre non potuisse.

Ex spec. d. 5. ex 59. XIII. Castitatis merito Juvenis (tria rosaria per annum quotidie ad instantiam avunculi persolvens) mirabiliter à B. V. convertitur, & ad nuptias cœlestes invitatur.

Vitæ & spec. Ex. d. 8. ex 5. XIV. S. Edmundus postquam B. Virgini suam virginitatem voviſſet, eamque annulo subarrhâsset, ex eo tempore (ut ipse in obitu fassus est) quoties B. V. invocavit, sensit in tentatione proventum, in persecutione solatium, in tribulatione remedium, in dolore gaudium &c. Idem ingenioso consilio mulierem procacem virgis cæsam à scelere abduxit.

Vitæ PP. l. 8. c. 29. XV. Pachonis Eremitæ luctam contra gravissimas carnis tentationes etiam in senectute, ita ut duodecim annis post annū quinquagesimum jam transactum, nullo die non tentaretur, vide l. cit.

Ibid. & pratum spir. c. 189. XVI. Cùm viri cujusdam captivi uxor vehementer plorans, causam lachymarum reddere à divite viro jussa respondisset, inopiæ causâ se plorare, ob quam marito succurrere non posset, promisit ille, se, si in scelus consentiret, maritum è carcere erepturum, & quantùm vellet, pecuniæ daturum: respondit illa, se mariti consensum priùs requirere debere, cumque ille diceret, se mori fame malle, quàm in talem petitionem consentire, audiens fur captivus, vocavit ad se uxorem, eique significat, se in aliquo loco ollam pecuniis refertam defodisse, iret proin, & per illas pecunias maritum liberaret.

XVII. Est

XVII. EST inſigne pudoris exemplum in S. Antonio, qui Lycum flumen vado transmiſſurus, cum nudandi eſſent pedes, juſſit Theodorum viæ comitem, longius à ſe abeſſe; ſed ne hoc quidem pudori ejus ſatis fuit, ſiquidem ipſe aliquid ſui nudum videre erubeſcens, veſte ſe exuere non potuit: Id quam ſuperis gratum eſſet, Deus miraculo teſtatus eſt, qui famulum ſuum momento in adverſam ripæ partem intactâ aquâ transvexit.

S. Athanaſ. in vita.

XVIII. S. S. Julianus & Baſiliſſa celebratis ritè nuptiis, cum prima nocte utriusque conſenſus mirabiliter ad illibatum pudicitiæ florem Deo ſervandum conſpirâſſet, mira quædam toto cubili afflata eſt odorum ſuavitas, affulſit amœna lux, & in luce cœlitum chori duo, quorum alteri, qui erat maſculorum, Chriſtus, alteri puellarum Virgo Mater præſidebat; Et ille quidem ſuaviſſimo concentu ita cœpit applaudere: viciſti Juliane, viciſti. Tum alter ſubdidit: Benedicta Baſiliſſa, quæ ſanctis monitis aures præbens, & animum, vanas deſpexit illecebras, & æternâ vitæ cœleſtis laureâ dignam ſe reddidit. Sub hæc viri duo ex cœleſti turba nivea induti veſte prodeuntes, inter utrumque conjugem, novo cœleſtis amoris vinculo, ſtipulatâ manu, caſtum innovant conjugium: Interim alio quodam canitie venerabili librum offerente, in quo aureis exarata literis legebatur: Quicunque obſequii divini causâ mundi inſanis voluptatibus nuntium remittet, ut feciſti, Juliane, in album eorum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, refertur. Baſiliſſa verò pro eo, quod illibatam corporis ſui innocentiam ſervare intendit, virginum numero apponetur, cujus principem locum tenet Maria Mater Jeſu.

Ribad. 9. Julii ex Metaph.

XIX. De Paſquale Baylon, Ord. Min. in hæc verba ſcribit Joannes Rho: Verberare ſervilem in modum (hoſtem domeſticum) ſat habuit Baylon, & in officio continuit, quùm enim de adoleſcente, qui jam tum inter paſtores, à quorum mapalibus ad Franciſci caſtra ſe tranſtulit, famâ eſſet pudicitiæ celeberrimus, rogaret perquàm familiariter gregalium unus, num hoc bello, ex quo tam pauci abeunt Victores, & ipſe peteretur? Ille quidem, reſpondit, minimè quietum eſſe hoſtis permittit, ego verò viminibus armatus eum tamdiu verberibus caſtigo, donec ſatis habens, quod doleat, otium libertatemque meam perturbare non poſſit. Vetus illud Ægidianum hîc tenuit, invadentem moloſſum, morſuque appetentem fuſte abigere oportere.

Io. Rho. l. 7. c. 2. exempl. 2.

XX. S. Carolum Borromæum eduxerant importunè in ſuburbanum viri Principes, &, quæ temporum ante Tridentinam Synodum obtinebat licentia, mulierculam in comitatu clam habebant, quæ formâ excellenti in Principum dedecus abuteretur? hæc enim ineptis ac prophanis hominibus expeditiſſima ratio viſa eſt, Caroli ab eâ triſti, ut ipſi quidem interpretabantur ſeveritate, quam ab Ignatii commentationibus hauſiſſet, evocandi. Solus, dilapſis de induſtria comitibus, in cubiculo quum ſub noctem relictus eſſet, adfuit occultis ſubmiſſa ſcalis, veluti ex inferni machina, procax mulier, jamque blanditias addebat; ſed Carolus, quem improviſa res paululum defixerat, ſuos illicò auſteriori voce inclamat, ac peſtem illam irarum plenus abigit, abominatusque tectum, quod periculo, ac fraudi ſenſerat opportunum, inſterni equos jubet, in urbem reverti ſe velle. Abiit profunda jam nocte, nullisque precibus de ſententia potuit dimoveri; quaſi majores nusquam tenebras offenſurus, quam ibi reliquiſſet.

Ib. exempl. 1.

XXI. Severiùs ſibi agendum cenſuit Laurentius Fuccinenſis, Capucinus, veterisque moris exempla revocanda, quùm Forolivii Concionatoris partes ardentiſſimè ſuſtineret, ſuam ille orationem, quam ſequenti die ad populum haberet, multa jam nocte parabat, cum pulcherrima, flagitioque prompta, ſe in cubiculum fœmina penetravit, hominemque ad libidinem provocare auſa eſt. Id quorundam ſcelere factum deinde innotuit, qui in libidinum ſordes vehementiſſimè declamantis Laurentii auctoritatem eâ ſe machinâ ſubvertere poſſe confidebant; At Laurentius ubi periculum, & flammam circa ſe animadvertit, libris intentus, immotusque, ac ſi nihil acturus eſſet, ſcorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, conſtanterque in illa habet, donec caro diffluëret, incredibili animi pariter corporisque patientiâ, ſatiùs duxit, totum digitum igne perdere, quam vel levi afflatu caſtitatem amburi.

Ib. exempl. 11.

XXII. Bonaventura Regienſis Capucinus, non ſuo, ſed alterius dolore impudicas, quibus illa exarſerat, flammas extinguendas ſibi duxit, Bernardini Senenſis, opinor, exemplum ſecutus. Seductum in conclave ſceleri opportunum, de ſtupro impudica, & nobilis Matrona procaciſſimè compellabat, quùm prompto ferreis ex catenulis flagello impudicæ os, & quà membra ictibus patebant, validè verberans, adductaque fronte, ac truci voce terribilis audaciam, ac petulantiam increpitans, egregio adverſus libidinis inſaniam medicamento, ab ea cogitatione in concepti ac deſignati flagitii dolorem ſaluberrimum dedit, ſive ipſe geles, ſive flammas procul ſubmoveas, tantumdem eſt.

Ib. exempl. 12.

XXIII. Ut nulla tuta ſit ætas, maximè tamen periculis obnoxia eſt adoleſcentia; cui, quaſi vero domeſtico igne non ſatis arderet, conſceleratis hominibus faces ſubdere ludus eſt, ineptique habentur, qui ardere nolunt. Sed horum inſana judicia inſuper, quùm haberet Antonius Caraffa adhuc adoleſcens (is, qui deinde Cardinalis factus, Vaticani Senatûs ſapientiæ famâ diu Princeps fuit) placuit impuris nebulonibus conſtantiam experiri. Puellam formâ egregiam, & ſermonis procacem, comptam, ornatamque, quantum impudicæ ſatis erat, in Antonii cubiculum adhuc in lectulo quieſcentis ſummo mane immittunt, multis oneratam promiſſis, ſi pelliceret ad amplexus. Nec leve Antonii periculum fuit; etenim ad primum aſpectum exiliens, ad oſtium, quum accurriſſet, illud ſuorum fraude occluſum invenit; quum voce contentiſſimâ famulos inclamâſſet, nemo reſpondit; nec illa interim ſibi deerat, ſed omnibus agebat blandimentis, totâque meretricia arte pugnabat.

Ib. exempl. 13.

Quid faceret deprehensus, suoque in cubiculo veluti constrictus, hostique traditus adolescens? Caminum ibi habebat, in eoque priùs quàm se cubitum reciperet, luculentum ignem excitarat, nam hyeme summa initum certamen est. Ergo ad illum accurrit, batilloque usus, ingenti cineris nube, atque ardentium adhuc prunarum grandine, petulantis, ac cœptis instantis mulieris os, crines, sinum implet, ac semiustulatam egregiè fugat. Meruit castissimus adolescens, divinorum librorum scientiâ postea inclarescere; nam castis ea maximè patent adyta; prophani procùl arcentur.

Ib. exempl. 14. XXIV. Adolescens quidam Paraquariensis iverat socius seni exploratum, quæ vicinæ genti moribus perditissimæ, ac pro veteri barbarie adhuc in silvis agitanti mens esset, si de pago constituendo, Evangelioque recipiendo sermo inferretur. Verùm commercium statim abrumpentes barbari, nudas illicò fœminas utrique offerunt, & adolescenti præcipuè puellam, principis inter suos filiam, formæ ut id loci pulcherrimæ, sed libidinis projectissimæ, illasque, negatâ spe reditûs, ducere, ac sibi habere jubent; ni pareant, præsentem utrique mortem, ac laniatum, in feralium usum epularum, superbissimè comminantur. Non semper pro ætate virtus est: senex turpiter succubuit, novusque ex marito (nam uxorem domi habebat) adulter, imperata facturum se, & cum illis se futurum spopondit, Adolescentis animus, neque imminentis necis crudelissimæ terrore, neque blandientis voluptatis, quæ plurima in oculos incurrebat, dulcedine victus, & datam conjugi fidem, & paulò antè susceptam Religionem vitæ præhabuit. Nam & nudam puellam vel aspicere non sustinuit, seque apud conscleratos esse posse tanto cum animi discrimine pernegavit. Itaque constans animi, instigante puellæ patre, qui repulsam filiam indignissimè ferebat, à barbaris cæditur, ac immanissimè devoratur. Quo in facto, & quantum à se ipso per vitia degeneret, quantumvis supra se virtute attollatur humanum genus, egregio in utramque partem experimento comprobatum est.

Ib. exempl. 18. XXV. Nomen in Annalibus non legimus hominis in hoc bello nobili victoria longe clarissimi. Pugna hæc fuit. Duodecimo ab urbe Limâ lapide Idolum libidinis (Nos Venerem diceremus) colebant Peruani, contra tam nefariam pestem eo in pago per quatuor integros dies declamavit ex Prædicatorum Ordine Sacerdos, qui tantam injuriam Divinitatis non ferret, multosque à nefario cultu dimovit. Ubi Limam reversus est, eum aggreditur Satanas, objectaque pulcherrimæ puellæ specie noctu ad flagitium omni nequitiarum arte sollicitat, sed ille flagello depugnans domesticum hostem continuit, admonuitque, ne lascivire vellet. Postridie illius noctis ad pagum redeunti nunciant Indi, eâ nocte auditas esse voces Dæmonis, flagellari se queritantis, eaque verbera minaci prece deprecantis. Rem porrò indignam videri tantam Deo suo illatam ab eo esse contumeliam. Risit in sinu Sacerdos lætus, quòd iis flagellis, quibus se ipse ceciderat, satanas tam luculenter vapulasset. Id quanquam non semper queritur dæmon, semper tamen dolet.

XXVI. S. Vitalis, à S. Ruperto secundus in Salisburgensium numero Episcopus, ea fuit castimonia, ut ex castissimo ejus jam sepulti pectore candidissimum lilium per ipsa se tumuli marmora, & munimenta in lucem penetrarit, Præsulisque integerrimi virgineam mentem, corpusque ab omni labe intactum mundo prodiderit. *Rader in Bavaria sancta vol. 2. pag. 36.*

XXVII. Noë continentiam servavit per quingentos annos, cùm autem 500. esset annorum, Deo inspirante nupsit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Japhet. *S. Chrysost. in Hom. 23. in Gen.*

Mulierum.

XXVIII. Gothorum tempore hujus urbis nobilissima puella Galla Symmachi Consulis ac Patricii filia, inter adolescentiæ tempora marito tradita, unius anni spatio ejus est morte viduata. Quam dum fervente mundi copia ad iterandum thalamum, & opes, & ætas vocarent, magis elegit spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, quàm carnalibus nuptiis subjici, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cùm valdè ignea consperso corporis inesset, cœperunt Medici dicere: quia, nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura, quod ita post factum est. Sed Sancta mulier nihil exterioris deformitatis timuit, quæ interioris sponsi speciem amavit, nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod à cœlesti Sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut ejus conjux defunctus est, abjecto sæculari habitu ad Omnipotentis Dei servitium se se apud Beati Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis, atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque Omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere ejus laboribus decrevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum illius duo candelabra lucere consueverant: quia videlicet amica lucis non solùm spirituales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem jaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum intra utraque candelabra, ante lectum suum astitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultavit, eique dixit: Quis es Domine mi: Dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille, benignissimi ut est vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, veni. Sed quia quandam sanctimonialem fœminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, illicò Galla subjunxit: Rogo, ut soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit: Non, sed illa talis tecum veniat. Hæc verò, quam petis, die te erit tricesimo secutura. His ergo expletis, Apostoli visio assistentis, & colloquentis ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis matrem accersivit, eique quid vide- *S. Greg. l. 4. Dialog. c. 13.*

viderit, quidvè audierit, indicavit. Tertio autem die cum ea, quæ fuerat jussa, soror defuncta est. Illa verò, quam poposcerat, tricesimo die subsecuta est. Quod nunc usque in eodem Monasterio manet memorabile. Sicque hoc à præcedentibus Matribus traditum, narrare illic subtiliter solent juniores, quæ nunc sunt sanctimoniales Virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo & ipsæ affuissent

Cantiprat. lib. 2. cap. 30. part. 37.

XXIX. Erat homo (ut frater Ordinis Prædicatorum retulit) faber lignarius, admodùm tenuis, uxorem habens pulchram & bonam. In hanc dives quidam pecuniâ, sed inops corde, oculos injecerat impudicos. Missa ergò ab eo vetula nefanda, intrat domum juvenculæ, salutat eam, quasi incognitam, residet ad ignem. Nec mora, circumductis oculis fatigatam se plangit. Quærit hinc juvencula, unde veniat, aut quid quærat. Et vetula: Si ipsa sis nescia talis nominis, talisque matris filia, quam habere me credo in ista vicinia consobrinam. Cui juvencula: si sum, nescio, tali quidem nomine censeor; & etiam habui talem matrem. Tunc vetula illa dolo & astutiis plena, ruens in oscula juvenculæ, benè, inquit, assimilaris matri tuæ. Tu autem qualem virum habes? Cui illa, Bonum, inquit, opere fabrum lignarium. Mox vetula altiùs elato gemitu: Heu, inquit optimæ matris filia, quomodo ad istam miseriam venisti, ut fabrum habeas virum, quæ tot in parentela tua magnos & divites habuisti? Hæc dicens quasi mœsta, nil amplius locuta recessit. Inde quarta die reversa inquit: Verè multùm sollicitor, ut post infortunium saltem copiosiùs rebus valeas abundare. Inveni ergo viam, quâ hoc fieri poterit, si mihi consentis. Est in civitate ista vir dives & potens valde, qui te (ut heri mihi dixit, cùm tuum infortunium deplorarem) super omnia diligens, concupiscit. Cum isto ubertim habebis, quidquid corpori placere poterit, & decere. Cui juvencula: Bonum, inquit, virum, & meliorem me habeo. Divitias autem cum peccato augere non cupio. Cui vetula quasi blando vultu congratulans. Et hinc inquit, magis te diligo charissima. Hæc dicens abiit. Et post triduum reversa dixit. Veni mecum charissima, & Ecclesiam pariter gloriosissimæ Virginis visitemus. Nihil mali suspecta simplex juvencula, paret illi, & cum vetula vadit. At ubi ante portam divitis transeunt, ut præordinaverat vetula, juvencula rapitur, & protrahitur in conclave. Angustiata juvencula, & eminus ad aures vetulæ se inclinans, ait: Mihi hac nocte contigit secundùm consuetudinem fœminarum. Ad horam nunc liberes me cognata dulcissima, & fide data spondeo cras redire. Annuit vetula, consensit & dives. Hinc ergo juvencula domum rediens, quid fiat, excogitat. Præparat de vicinia tres fortes & validas fœminas, & eas cum scopis clam in thalamo collocavit, & quasi vellet melioribus vestibus indui, venientem vetulam velut ad suum auxilium, introduxit, firmatoque ostio concurrunt fœminæ, & nudatim vestibus, percutiunt scopis miseram usque ad sanguinis effusionem. Nec cessant à verberibus, donec eluctato conamine vetula ostium exilivit, & nuda penitus per plateas aufugit. Mirantibus cunctis, quid factum sit, audiunt, & constantem in castitate juvenculam per totam civitatem extollunt, plusque lucrata est in honore & gloria bonæ famæ, quàm fuisset in omnibus copiis & divitiis adeptura.

Specul. exempl. V. castitas. exempl. 14.

XXX. Cùm Otho IV. Imperator Florentiæ esset, & inter multas formâ, atque ætatis flore insignes fœminas Gualdratam Bertham, ipse plurimùm laudaret puellæ Pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit facturum se, si ita ejus ferret animus, ut deosculandæ puellæ copiam haberet, quod cum puella audisset, respondisseque: Nullius unquam, nisi ejus, qui vir suus esset, suavium accepturam, adeò modesto Principi ea res placuit, ut indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano locavit, viro non solùm armis atque virtute, verùm generis quoque nobilitate insigni, & totam eam vallem, quæ sub Cassentini nomine, in Aretino agro censetur, cum Comitatûs honore utrisque dedit. A quibus postea familia manavit, quæ Comitum Guidorum nuncupata est.

Io Rho. l. 7. c. 2. ex. 4.

XXXI. Non interfuit narrantium, nomen tradere Hispanæ mulieris, cujus virtutem audire frugiferum erit, opinor. Dum transeuntem cum fortunæ suæ pompâ Philippum Regem ejus nominis II. è fenestrâ intecta mammas incautiùs spectat, visa ab eo est, atque ut erat formæ eximiæ, adamata; nec subitus Regis ardor clam fuit Aulico ex illis uno, quibus talia rimari haud dubius fortunæ fundus est; Itaque ad mulierem adit, atque in aulam invitat. Illa, cui castitas cum formâ certaret, dicti fœditatem aversata, interrogat tamen, quid ita se unam Rex elegisset, quidve ex sua forma illi carum magis. Ubi nives pectoris, & mammarum ebur audivit arrisisse: Hîc ego, inquit, compta mox adero, & hæc ipsa pars mundo, atque arte muliebri crescet ad pulchritudinem, & simul se in cubiculum abdit. Ibi ferventi latice pectus ac mammas perfundens, quidquid Regis animum corrupisse indignabatur, generosa corrumpit, ac præclarè victrix in aulam progrediens, nudato pectore, cujus jam forma decoxerat, lenonem increpuit: Hæccine tam fœda pectoris species Regis oculos icit? Nec plura opus fuit dicere. Perierant nives, quibus frigidior, abiit stupri concialator, se, artemque suam victam esse confessus.

Ibid. ex. 5.

XXXII. Gravis profectò est hostis Regum libido, adversùs quam castæ Matronæ etiam igne pugnandum fuit. Hæc quamquàm paulò antiquioris ævi, quia tamen minùs Latinis, quod sciam, literis esse cognita, his nostris fuit consignanda; nam plurimis quamvis agamus exemplis, vereor, ut satis munire possimus. Quùm igitur sibi à Regis libidine periculum imminere sentiret, quòd nullum faceret rogandi finem (& Regum preces imperiis ipsis magis validæ sunt) faciem, cujus formâ Regem captum esse, non ignorabat, titione non uno in loco adussit, eoque seminigro igne pulchritudinem omnem obli-

oblitteravit. Sed non ideo regius extinctus furor, veteris formæ quamvis conceſſa veſtigia impotentiùs adhuc adamabat? Ergo ne poſt formam pudicitiam perderet, ſanctioris, cui ſe clanculum addixit, vitæ religionem demum objecit furenti, atque in latebras abdita hiantem deluſit; docens, alienam etiam libidinem fugâ faciliùs vinci, quam pugnâ. Hæc ſub Franciſco meruit.

Niceph. l. 10.

XXXIII. S. Euphraſia Antiochena cùm à milite amaſio deprehenſa, non poſſet evadere, dixit, ſe eum docturam artem, quâ in bellis lædi non poſſet, ſi ſibi pareeret, utque ejus experimentum ſumeret, collum unguento unxit, quod feriens ille uno ictu amputavit.

Petrus Sanch. p. 5. c. 8.

XXXIV. Cùm S. Victoria multis verbis S. Anatoliæ Virgini nuptias perſuadere niteretur, ipſa potiùs ab ea perſuaſa virginitatem vovit; quo facto mox Angelus illis apparuit, dixitque virginitas eſt aurum, viduarum ſtatus argentum, & conjugalis Caſtitas cuprum.

Tob. 3. Iud. 8. Dan. 13. Spec. Exempl. v. Caſtitas ex. 80. Ib. v. virginitas, Ex. 101. Ib. v. virginitas ex. 29.

XXXV. Præterea Caſtitatis egregium Exemplum præbuêre Sara, Judith, Suſanna.

XXXVI. Cùm caſtiſſimam Feminam vetula quædam decipere vellet, illa miro aſtu ſe ab inſidiis liberavit; vetulam autem à tribus mulieribus, ad hoc conſtitutis egregiè verberari juſſit.

XXXVII. Caſtarum mentium gloria, SS. Juliano & Baſiliſſæ oſtenditur.

XXXVIII. Vidua quædam Monialis poſt mortem ſorori Virgini apparens floribus ab altera ſorore virgine acceptis, rosâ circulum in muro cum explicabili odore ſuavitatis deſcripſit, ſimulque exceſſum laureatæ virginitatis, ſupra præmium viduarum oſtendit.

Juvenum.

Sandæus in flore Myſtico orat. 5. p. 369.

XXXIX. S. Thomas Aquinatium Comes in ætatis flore, titione propudium abegit. Bernardus incondito clamore ſcortum repulit. Bernardinus integerrimâ pudicitiâ adoleſcentulus floruit. Edmundus Cantuarienſis ad illicita pertrahentem fortiſſimè profligavit. Jacobus Regis Luſitani nepos mortem ſubire, quàm caſtitati contraria patrare elegit. Item Caſimirus Poloni Regis Filius mortem oppetere potiùs, quàm Legem continentiæ Virgineæ violare voluit. Michaël Verinus Poëta Hiſpanus, qui vix octodecim annos natus pudicitiæ ſervandæ ſtudio vitam contempſit. Robertus Cardinalis Nobilius, qui carnis integritati jacturam vitæ poſthabuit. Ex eadem familia Robertus Cardinalis Bellarminus, qui, quam à matre Virginem carnem acceperat, quam à Sacro Lavacro innocentiam, Deo reddidit. Nicetas juvenis ſpecioſiſſimus, vinctus in ſtrato, præciſam morſu linguam cum ſanguinis profluvio in provocatricem eſt jaculatus. Pelagius puerulus Hiſpanus, à Rege barbaro de turpitudine, identidem appellatus, cum precibus vinci non poſſet, & vis adhiberetur, procaci ac libidinoſo Principi pugnos in faciem impegit. Ludovicus Cathalaunenſium Epiſcopus corpore perquam venuſto, ſed æquè pudico, qui à Regina opportuno loco ad flagitium invitatus, ita torvùm eſt intuitus procacem fœminam, ut territa ſe ſubduxerit; cujus oculus poſt quadringentos & ampliùs annos in cadavere lucidiſſimè inſtar Cryſtalli ſplenduit.

Conjugatorum.

XL. Caſtitatem etiam in thoro conjugali ſervârunt Marcianus & Pulcheria. Valerianus cum Cæcilia. Julianus cum Baſiliſſa. Eduardus Britanniæ Rex cum Editha. Henricus Imperator Deiparæ ſtudioſiſſimus cum Cunegunde uxore perpetuam virginitatem coluit. Emericus S. Stephani Hungarorum Regis filius cum ſponſa Regia carnis integritatem perpetuò illibatam cuſtodivit. Pelagius Adoleſcens primâ nuptiarum nocte in ipſo thalamo nuptiali ſponſæ caſtitatem perſuaſit. Elzearius Comes & Dalphina pari conſenſu incorruptum virginitatis florem Deo conſecrarunt. Quod etiam fecêre Chryſanthus & Daria in Italia. Ansbertus & Angadriſma in Gallia. Alphonſus II. Caſtellæ Rex, vocatus caſtus, cum Berta in Hiſpania. *Idem.*

Virginum.

XLI. Solebat Abbas Joannes non ad imitationis formulam, ſed tantum modo pro admonitione proferre, quia quidam veniens ad prædictum ſenem habitu ſæculari, cùm ei quasdam frugum ſuarum primitias detuliſſet, ferociſſimo quendam dæmonio arreptum ibidem reperit. Qui cùm Abbatis Joannis obteſtationes, ac præcepta deſpiciens, teſtaretur ſe nunquam ad illius imperium, de corpore, quod obſederat, migraturum, hujus adventu perterritus, cum reverendiſſima nominis illius inclamatione diſceſſit, cujus tam evidentem gratiam ſenex non mediocriter admirans, eoque ampliùs obſtupeſcens, quòd hunc in habitu cerneret ſeculari, cœpit ab eo vitæ, ac profeſſionis ejus ordinem diligenter inquirere. Cumque ille ſecularem ſe, atque uxorio vinculo obligatum eſſe dixiſſet, Beatus Joannes excellentiam virtutis ejus, & gratiæ, mente pertractans, quænam illi eſſet converſatio, attentiùs explorabat. Ille ſe ruſticum, & quotidiano manuum opere victum quærere, nec ullius boni ſe eſſe conſcium teſtabatur, niſi quod nunquam ante ruris opera manè exercenda procederet, neque veſpere domum reverteretur, niſi in Eccleſia pro quotidianæ vitæ commeatu Largitori ſuo Deo gratias retuliſſet, neque ſe unquam de fructibus aliquid uſurpâſſe, niſi priùs Deo primitias eorum, ac decimas obtuliſſet, & nunquam ſe boves ſuos per alienæ meſſis traduxiſſe confinium, niſi priùs ora clauſiſſet, ne vel parùm damni per injuriam ejus proximus ſuſtineret. Et cùm hoc quoque Abbati Joanni necdum ad comparationem tantæ gratiæ, quâ eum ſibi prælatum eſſe cernebat, idonea viderentur, atque ab eo, quidnam eſſet illud, quod tantæ gratiæ meritis conferri poſſit, ſciſcitans ſcrutaretur, ille reverentiâ tam ſollicitæ inquiſitionis adſtrictus, uxorem ſe parentum vi imperioque compulſum, cùm profiteri Monachum vellet, ante undecim annos accepiſſe conſeſſus eſt, quam nemine etiam tum conſcio, ſororis loco à ſe Virginem *Caſſianus collat. 4. part. 7.*

cuſto-

cuſtodiri teſtabatur. Quod factum cùm audiſſet ſenex, tantâ eſt admiratione permotus, ut coram ipſo publicè proclamaret: Non immeritò dæmonem, qui ſe deſpexerat, illius non tolerâſſe præſentiam, cujus ipſe virtutem non ſolùm in juventutis ardore, ſed ne nunc quidem ſine diſcrimine caſtitatis auderet appetere.

S. Hieron. in vita S. Pauli Eremita.

XLII. Sub Decio & Valeriano perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati ſunt, multas apud Ægyptum & Thebaidam Eccleſias ſæva tempeſtas depopulata eſt. Votum tunc erat Chriſtianis pro Nomine Chriſti gladio percuti. Verùm hoſtis callidus tarda ad mortem ſupplicia conquirens, animas jugulare cupiebat, non corpora, & ut ipſe, qui ab eo paſſus eſt, Cyprianus ait, volentibus mori non dabatur occidi. Cujus crudelitas ſequenti exemplo notior fiet. Decius juvenem quendam juvenili ætate florentem in amœniſſimos hortulos adduci præcepit, ibique inter candentia lilia & rubentes roſas, cùm leni juxtà murmure ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folia ventus ſtringeret, ſuper ſtratum plumis lectulum reſupinari juſſit: &, ne indè ſe excutere poſſet, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. Quò, cum, recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus, & (quod dictu quoque nefas eſt) manibus attrectare virilia. Quid ageret miles Chriſti, quò ſe converteret, neſciebat. Et quem tormenta non vicerant, ſuperaret voluptas? Tandem cœlitus inſpiratus, præciſam mordicus linguam in oſculantis ſe faciem expuit; ſic libidinis ſenſum, ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit.

B. Greg. Turon. de gloria confeſſ. c. 32.

XLIII. Refert Beatus Gregorius Turonenſis, quòd quidam Nobiliſſimus juvenis Romæ de nobilioribus Senatorum, cum virgine æquè nobili contraxerit, temporibus Arcadii, Honorii & B. Martini, quæ tamen non ſponte ſuâ, ſed parentum & vi & auctoritate premebatur, ut in matrimonium conſentiret, cùm itaque ſolemnes nuptiæ celebrarentur lætantibus cunctis, & cantantibus organis, hæc in corde ſuo ſoli Domino decantabat dicens: Fiat cor meum & corpus meum, Domine, immaculatum, ut non confundar. Solemniter itaque cunctis nuptialibus celebratis, cùm ſerò pariter in cubiculum ducerentur, ipſa converſa ad parietem, virginitatis ſuæ periculum amariſſimâ cœpit lamentatione deflere. Miratur juvenis (utpote propoſiti virginalis ignarus) atque tanti cauſam mœroris ſollicitâ cœpit interrogatione perquirere. Tunc illa profundis genitibus cordis dolores aperiens: Hæc (inquit) eſt cauſa tanti mœroris, quoniam theſauro Virginitatis pretioſiſſimo, quem voto fideli ſoli Deo dedicaveram, nunc invita privabor. Reſpondit juvenis: Quod & placeret Deo conjugium, quippe quod ipſe à principio conſtituiſſet hominibus obſervandum, ex quo proles adquiritur, quæ eſt parentum gaudium, hæreſque bonorum. Inſtabat illa contrariè aſſerens, Virginalem ſtatum Domino acceptiſſimum, cujus quidem principium in cœleſtibus ſpiritibus dedicaſſet, atque poſt hæc in terras veniens Virgo manſurus, de ſola virgine naſci voluiſſet. His itaque & pluribus aliis virgine proſequente fit conſenſus amborum, ut videlicet caſtitatem ſub ſolo nomine conjugii ambo ſervarent: cùm autem jam diu ſub ſolo nomine conjugii ſic fideles Virgines, atque (ut dixerim) in igne fideles Martyres Chriſti manerent inuſti: placuit tandem Domino, ut de fæcibus vitæ præſentis puellam educeret. Poſtquàm autem circa corpus ejus Eccleſiaſticum complêſſet officium, ſtans juvenis ſupra uxoris (ut putabatur) ſepulchrum, manibus extenſis in cœlum: Gratias (inquit) ago tibi Domine Deus, atque hunc theſaurum à te mihi commiſſum, immaculatum, & integrum tibi reſtituo. Tunc illa de tumulo quaſi ſubridens: Cur (inquit) ante tempus ea loqueris, quæ non interrogaris? Audiebant hæc cuncti, & mirabantur. Non multò verò poſt tempore etiam juvenis ipſe evocatus migravit ad Dominum. Sepultus eſt etiam ipſe, ſed per multum ſpatium à tumulo uxoris putativæ. Cumque non poſt multum tempus exigentibus cauſis circa locum fodientes juvenis corpus non invenirent; in ſepulchro Virginis quæſitum eſt, atque repertum, ut videlicet, quorum conjunctas animas non ſeparat cœlum, etiam ſepultorum corpora non ſeparet monumentum. Incolæ autem tantis mirabilibus viſis, cùm pòſt horum duorum memoria veniſſet in medium, duos amantes eos nuncupabant.

Vincentius Bel vacenſis in ſpeculi moralis l. 1. p. 3. diſt. 96.

XLIV. Refert Vincentius in ſpeculo morali: Sigiſmundus Rex Lotharingiæ Chriſtianiſſimus juvenili florens ætate, ne ætas illa ad mala ſemper proclivior per luxuriæ inquinamenta defluere, ſecundùm Apoſtoli conſilium nubere magis elegit, quàm uri. Audiens ergo de Virgine quadam, quam per omnes terras virtutum fama vulgaverat, quòd videlicet nobilis eſſet origine, famâ procerior, atque ſuper hæc omnia caſtitate, atque virtute omni præſtantior, accenſus eſt animo, ut hanc habere poſſit uxorem, & regni ſui Reginam efficeret. Mittit ſolemnes nuncios cum muneribus regiis in Alemaniam, ubi præfata virgo morabatur, pro parentum & Virginis requirendo conſenſu. Parentes igitur audientes Regis affectum, facilè conſentiunt, utpotè qui omnem ſuam poſteritatem talibus nuptiis nobilitandam, ac ſublimandum eſſe ſperarent. Cumque Regales nuncii de virginis conſenſu ſollicitarentur, promiſerunt parentes, quoniam ipſi eam ad nuptiarum conſenſum inducerent. Timebant enim, quoniam ſciebant, filiam Virginitatis habere propoſitum, ne ſi negaret aſſenſum, tanta gloria de ejus parentela periret. Educitur itaque Virgo de domo, & de patria omnis fraudis ignara, utpotè quæ neſciebat, quò duceretur. Sed cùm perventum eſſet ad locum, atque intellexiſſet, ſe Regali matrimonio copulandam, flere cœpit & gemere, dicens, ſe virginitatem ſuam Reginæ & Domino cœli devoviſſe. Atque ideo nunquàm mortali homini ſe nupturam. Quæ enim cum agno Virginum gloriâ gaudere cupiebat in cœlis, exaltationem etiam regalem cum detrimento caſtitatis non requirebat in terris. Sed parentes atque cognati omni ca-

vebant solertiâ, ne hoc ad Regis notitiam perveniret. Verùm cùm Virgini omnis evasionis demeretur occasio, tandem die statuto ad Ecclesiam S. Stephani adducitur in sponsalibus ornamentis, ut scilicet ibi solenniter secundùm morem Ecclesiasticum Regi regaliter jungeretur. Sed ubi ad Ecclesiam ventum est, videns virgo Christi nimis imminere periculum, atque majori jam libertate potita, infusa lacrymis gemens ad beatæ Virginis Altare confugit. Quo per cornu apprehenso eadem gemens repetebat, quæ prius, atque nunquam se fatebatur ab altari avellendam, nisi promitteretur virginitas permansura. Erubescunt parentes, imò, ut verè dicam, insaniunt, se scilicet esse deprehensos. Mirantur assistentes, hi quippe causam Virginis nesciebant. Ad Regis aures tandem fama pervenit. Qui ubi sacrum Sponsæ propositum intellexit, devotionem castitatis; atque constantiæ propositum miratur, & laudat, promittens eidem, quatenus si ab Altari se pateretur abduci, non violator, sed protector & custos ejus castitatis existeret. Omnia tamen, inquit, solemniter præparentur in vestibus, epulis atque cæteris nuptialibus, tanquam mihi desponsanda sit, neque enim dignum est, cum minori solennitate eam cœlorum Regi desponsari, quàm mihi. Fecit itaque jam indui Regalibus vestimentis, atque regalem coronam capiti ejus desuper imponi. Lætantibus igitur omnibus, virgine quidem de obtento proposito castitatis, Rege verò mirante cum cæteris de devotione tanta in ætate tam tenera, convivium celebratum est. Quô expletô; omnibus regalibus redimitam cum ingenti gaudio fecit in Ecclesiam S. Petri monialem collocari. Soli verò parentes ejus cum grandi confusione in sua reversi sunt, dolentes videlicet, quòd tam sperato honore defraudati essent. Virgo autem DEO devota vitam superstitem in Domini exegit servitio; atque nuptiis hujus mundi spretis, pervenit ad nuptias æternas.

Spec. exempl. v. Virgo exempl. 19.

XLV. Nobilis quædam Virgo, nomine Euphemia; voverat castitatem in annis puerilibus Domino; & votum suum (ut voverat) strenuè adimplebat, se coram DEO & hominibus conservans irreprehensibilem. Pater hujus secularis videns eam formosam (licèt invitam & omnibus viribus renitentem) cuidam Comiti desponsavit. At Virgo plena Spiritu Sancto capellam intrabat, & projiciens se in terram orabat Reginam misericordiæ, ut eam in voto castitatis conservaret. Et advertens; quòd ratione suæ pulchritudinis jacturam castitatis patiebatur, accepto cultello, amplius (inquit) vana pulchritudo occasio peccati non eris, & hoc dicto nasum sibi præscidit, & labia; Pater Tyrannus audiens hæc, vocato quodam crudeli suo rustico, filiam illi tradidit in ancillam, mandans, ut sub obtentu gratiæ suæ illam servitiis rusticanis manciparet. Ac rusticus compati nescius sanguini nobili, ultra modum eam laboribus & plagis affligebat. Et hæc illa omnia libenter devincebat, DEO regratians, quòd in istum statum deduxit, in quo aliquid pro DEO sustineret. Cùm verò in Dei servitio septem annis permansisset, in Vigilia Nativitatis Christi, in nocte (ut mos est Christianis comedere) familiâ ad mensam sedente, ipsa cucurrit in stabulum, ut laudes redderet suo creatori. Sed rusticus non visâ Virgine, arrepto baculo eam quæsivit. Et directis oculis in stabulum fulgor ibidem coruscus apparuit. Et putans ignem, propiùs accessit, & ecce Virgo Maria cum multitudine virginum & Angelorum eam confortabat dicens: Constans esto filia, quia pro hoc servitio dabitur tibi corona regni cœlestis. Quod rusticus videns, totam familiam clamore convocavit; & viderunt Euphemiam nasum, & labia pulcherrima habentem, & facie rutilantem, & omnes, qui eam viderant, de immenso dono pulchritudinis Deum laudabant. Cúmque pater ejus hoc audisset, veniam petens in loco stabuli claustrum virginum construxit. In quo Sancta Euphemia DEO serviens, in brevi quievit in Domino.

XLVI. Refert Jacobus de Vitriaco, Sancti- *Ib. exempl.* monialem quandam pulchram fuisse facie, 20.
quam Princeps dives & potens (in cujus potestate fundatum erat monasterium) concupivit, & cùm nec precibus, nec muneribus sibi eam usurpare posset, mandavit per nuncios Abbatissæ, ut unum ex duobus eligeret, aut scilicet Monialem illam sibi corrumpendam transmitteret, aut ipse totum monasterium ignibus conflagraret. Terretur vehementer Abbatissa, utpotè quæ sciret, quoniam nisi, quæ desiderabat, obtineret, faceret pejora, quàm dixerat. Pavida igitur moniali illi Sanctæ Regis edictum crudele denunciat. Quæ tremens & dolens cœpit inquirere, cur eam præ cæteris monialibus sic amaret, audivit ex nunciis: Propter pulchritudinem (inquit) oculorum tuorum in te ardenti amore succensus est. Exhilarata illa, atque segregata parùm à cæteris, ambos sibi oculos pia crudelitate evulsit, atque componens in disco præsentavit ministris Principis dicens: Ite & Principi vestro hæc præsentate ex me, ei dicentes: Ecce sagittæ, quæ cor tuum importuno ardore confoderant. Habes, quod desiderasti, nunc eis utere pro libito, atque oculos cordis mei intactos, atque illæsos relinque.

XLVII. Legitur in Itinerario Dietmari, quia *Ib. exempl.* inter Hierusalem & Bethleem est Cœnobium, 21.
ubi erant Sanctimoniales, quando terra Sancta perdita fuit, pulchræ valde. De quarum pulchritudine intellexit Soldanus, voluit eis commisceri; & præcepit eis, ut sese pulchris vestibus induerent, & ornarent, nequitiæ incestum passuræ: Abbatissa autem earum, ne sic ludibrio esset carni & diabolo, & ne castitatis suæ lilium mergeret in luxuriæ cloacam, sui laboris annullans meritum, se suasque maluit mutilare, quàm corpore integro, facie sidereâ immundissimum scortum existere. Igitur tanquam divinitus edocta, cùm jam præ foribus esset Tyrannus, præmissâ exhortatione, hac confortatione usa est. Sorores venerabiles, tempus tribulationis, ac persecutionis nostræ est. Soldanus nostræ virginitatis & pudoris

dotis inimicus in promptu eſt, manus ejus evadere non poteſtis, utamini ergo meo conſilio, & quod ego fecero, vos quoque faciatis. Quod dum ratum ſingulæ concepiſſent, ipſa Abbatiſſa primitus ſe naſo mutilavit, & ſingulæ poſtmodum voluntate ſpontaneâ ſe mutilaverunt. Quo audito, Soldanus vehementer admirans conſtantiam illarum, & prudentiam obſtupuit, & multum hoc factum, & ſuæ fidei tenacem conſtantiam approbavit.

Ibid. extempl. 24. XLVIII. Tres erant Moniales in uno Clauſtro ſociæ ſpeciales, & ex illis duæ erant Virgines, Hæ autem ſingulæ ſtudebant ſe devotas Beatæ Virgini exhibere. Mortuâ verò unâ Virgine, & jam viduâ in extremis agente, tertia ſoror ſuperſtes rogabat viduam, ut poſt mortem rediret, & de præmio ſociæ certificaret eandem. Quod promittens (ſi tamen foret de beneplacito DEI) expiravit. Die autem tricesima, iſtâ ante Altare in orationibus procumbente, apparuit ſocia vidua inæſtimabili ſplendore fulgens nimis & dicens: Veni, quia ad reditum obligaſti me. Et ecce modicam partem præmii mei, ſed benedicta dies, in qua nata ſum. Illa verò confortata & reſumpto ſpiritu quæſivit de ſtatu prioris defunctæ. Cui illa dixit: ſi totus mundus eſſet pergamentum, & mare incauſtum, & omnia folia, & gramina ſcriptores cum omnibus hominibus, qui fuerunt, & ſunt, & erunt futuri, primò omnes deficerent, quàm immenſitatem præmii cœleſtis exprimerent. Sed parumper (ait) ad præſens dicam tibi: Soror noſtra in infinitis claritatibus me præcellit, & meritò, quia ipſa heri choream cum agno duxit candidam, cum multitudine candidarum puellarum cantans Canticum ſingulare, ſolis Virginibus appropriatum, & gerens ſertum de divinis floribus confectum. Rogavi autem eam, ut ſaltem ad horam mihi ſertum concederet, quæ ait: non expedit tibi. Tamen de ipſis floribus dedit mihi, quas attuli tibi ſociæ meæ chariſſimæ, ut aliqualiter virtutem eorum, quantùm ſenſus capere poterit, humaniùs perpendas. Facto ergo ab ea circulari tactu in pavimento cum floribus, tam miri odoris proceſſit fragrantia, quòd illa ſoror præ ſuavitate, rapta fuit in extaſim. Et ſic vidua expleto promiſſo ad cœlum rediit. Omnes qui Monaſterium intraverunt, per multum tempus ſenſerunt cœleſtem odorem.

Violatæ caſtitatis pœnæ.

Pratum Spirit. c. 14 XLIX. Abbas Polychronius nobis narravit, inquit Joannes Eviratus, quòd in Cœnobio Penthucula Frater quidam erat ſibi ipſi valdè intentus & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à ſpiritu fornicationis, non valens hanc pugnam ſuſtinere, egreſſus de Monaſterio, profectus eſt Hierico, ut concupiſcentiæ ſuæ ſatisfaceret. Moxque ut meretricis cellam ingreſſus eſt, leprorſus factus eſt totus. Videns autem lepram, continuò rediit ad monaſterium, Deo gratias referens, & dicens: Idcircò Deus hac me caſtigatione percuſſit, ut anima mea ſalva ſit, & magnificè glorificabat Deum.

Ib. c. 19. L. Narravit nobis, inquit idem Eviratus. Abbas Elias, dicens: cùm aliquando morarer in Partibus Sancti Jordanis in ſpelæo juxta eunuchorum Monaſterium, ideò quòd non communicarem Macario Archi-Epiſcopo Hieroſolymitano, die quadam circa horam ſextam, æſtu vehementiſſimo coquente deſuper (erat enim Auguſtus Menſis) pulſavit quidam oſtium ſpeluncæ meæ. Egreſſus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hic facis? Et reſpondens dixit mihi: & ego, mi Pater, ejusdem, quo tu, inſtituti ſum, & quaſi uno lapide diſtat à te ſpelunca mea. Oſtendebat autem & locum, quaſi ad Auſtrum. Et ait: Luſtravi hanc eremum, & præ æſtu nimio ſiti fatigata ſum, fac ergo charitatem, Pater, & da mihi puſillum aquæ. Itaque protuli urceum, & dedi ei. Quæ cùm ſumens bibiſſet, dimiſi illam. Cùm autem abiiſſet diabolus impugnare me, immittens cogitationes ſordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, ſumpta virgâ meâ, cellam egreſſus ſum, in fervore æſtus, cùm lapides igneſcerent, profectusque ſum ad illam, ut implerem turpem concupiſcentiam. Cùm verò fermè uno ſtadio ab ejus adhuc ſpelæo diſtarem, urente me graviter æſtu libidinis, repentè factus in ecſtaſi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ abſorptum. Aſpicióque illic cadavera putrida jacentia, & reſoluta, & incredibili fœtore plena, quendamque reverendi habitûs virum ea mihi demonſtrantem, ac dicentem: Ecce iſtud mulieris eſt, iſtud viri, iſtud pueri, fruere jam ut vis, & quantùm libet, concupiſcentiâ tua: hujus tamen voluptatis gratiâ vide, quot labores amittere voluiſti. Vide, propter quod peccatum vos ipſos privare vultis regno cœlorum. Væ humanæ miſeriæ; propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede fruſtramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me: & gratias agens Deo reverſus ſum in locum meum.

LI. Hartfridus beati Trudonis conſanguineus, continentiæ voto, non amore, quem gratia remunerat, ſed timore potiùs, quem juſtitia punire ſolet, ſe ſe obſtrinxerat. Is poſtea promiſſionis immemor conjugium poſtulat, implet, & conſummat. Nocte verò ſequenti, ecce vir Dei, totâ ſanctitatis ſuæ coopertus auctoritate, cum terrore ad eum ingrediens, ſic increpat: Cur violatâ fide, uxorem ducere non timuiſti? Quàm fruſtra hoc feceris, vel ex hoc intellige: quamvis uxoratus ſis, ſemper tamen eris ſine ſobole; & virgâ, quam gerebat, percutiens in femore: ſignum, ait, id ſit neglectæ promiſſionis; donec vives, curvo crure, inceſſu malè prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus eo verbere, agnoſcit auctoritatem, & culpam fatetur; mutatus in meliùs comam deponit, & monaſterium ingreditur, ubi vitam caſtigatè ſatis emendat. *Dauroult. P. 4. c. 74. Tit. 71. Ex. 3.*

LII. Cum ſanctimoniales ſub inſtituto S. Claræ militantes ab Hæreticis è Civitate Gebennenſis expulſæ fuiſſent, in quandam Sabaudiæ Civitatem, quam Catholici incolebant, ſe ſe transtulerunt. Una tamen earum maluit cum perditiſſimo quopiam, qui Monaſticam vitam abju- *Dauroult. ibid. Ex. 4.*

abjurârat, matrimonium inire, quàm sodalium suarum consortio uti, ac patriæ dulcedine privari. Sed perditionis filia dignum factis mercedem accepit: Sacrilegus enim ejus maritus: votifragus, eam postea vivam excoriavit, justitiæque divinæ executor fuit.

Guilielm. Baldesan. l. 2. stimul. virt. c. 8.

LIII. Bello Pedemontano, nostrâ pænè memoriâ, cum civitas quædam occuparetur, Dux militum, virginem jam marito desponsatam eximiâ pulchritudine corporis, majore etiam animæ, quam adamare cœperat, in sua domo validè est aggressus. Illa verò, cum celerrimè manus hominis evasisset; ostium, quo effugiendum erat, præter spem occlusum invenit. Itaque cùm incerta hæreret, quorsum evaderet, hoc invenit consilium. Fenestra erat patens, in publicum versa, per hanc ita exiliit, ut postem fenestræ medium amplexa penderet. Sic enim futurum cogitabat, ut tum ipsius conspecto periculo, tum concursu hominum in via publica, quos rei novitas contraheret, absterritus, vim adhibere non pergeret. Sed immanis, & huic prædæ inhiantis belluæ libido, ne sic quidem repressa est. Cum ergo ne sic quidem molestus esse desineret, casta Lucretia (hoc ei nomen erat) coacta est, nodum, quem manibus strinxerat, solvere, atque in terram (& erat fenestra loco satis edito) deorsum labi, ut corpore confracta, animus integer maneret. Sed hoc corporis damnum, præclarissimis virtutis donis postea pensavit. Cum enim sanctissimam vitam multis deinde annis egisset, mortua est Perusiæ in Alexandrinorum ædibus.

Daurcult. P. 4. c. 37. Tit. 14. exempl. 16.

LIV. Jacobus de Vitriaco vir doctus S. E. R. olim Cardinalis, refert, suâ ætate fuisse virgines complures, quæ Leodiensi urbe ab hostibus occupatâ, suis habitationibus ejectæ sunt. Ex his aliquas ad templa confugisse, alias, quæ id minus poterant, in flumen se præcipitasse; quòd mortem castitatis violationi postponerent: partim in cloacas insiliisse, ut nullam doloris tetritudinem cum libidinis fœtore comparandam ostenderent. Nec dubia erat mors, nisi admirabili prorsus modo sic à DEO fuissent conservatæ, ut in tanta multitudine nulla prorsus, vel vitæ, vel castitatis detrimentum acceperit. Præclarum vero, quod uni ex eo numero contigit. Laborantem illam exceperant cymbulâ duo milites, exceptamque sollicitabant ad flagitium. At illa, cùm mori, quàm corrumpi mallet, tanto saltu iterum se in undas dedit, ut eodem impetu scapham everteret, corruptoresque ipsos submergeret. Ipsa verò absque omni aut animi, aut corporis damno, fluvio obsequente, ad litus emersit.

Ibid. exempl. eadem 16.

LV. Dum Alaricus Romam cepisset, ac diriperet, mulier quædam maximum exhibuit pudicitiæ specimen. Quod namque & ætatis flore, & formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus juvenis quidam pulchritudine ejus, quùm eam vidisset, captus, ad concubitum eam sollicitavit. Quùm autem illa piaculum id aversaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, veluti cum amore concertans, per misericordiam summum tantùm collum vulneravit. Illa verò cruore diffluens, jugulum ferro subdit, melius sibi esse rata, ut cum pudica mente mortem oppeteret, quam cum viro alio concumberet. Et postquam ferociùs Barbarus illam aggressus est, plurimumque eam oppugnando nil egit, ad castitatem ejus consternatus, in Apostolicum Divi Petri templum eam duxit, Ecclesiæque custodibus commendavit, sex illis aureis nummis datis, ut puellam viro suo conservarent.

P. Jacobus Alvarez. Tom. 2. de Castit. l. 5. p. 2. c. 12.

LVI. Refert Pater Jacobus Alvarez de Paz è Societate JEsu celeberrimus Scriptor, quod, cum in America Hispani adversus Gentiles dimicantes in prælio succubuissent, ideoque omnes urbis Osorno incolæ tam indigenæ, quàm Hispani advenæ, majoris securitatis causâ è civitate ad sortalitium quoddam confugissent, ad idem quoque asylum Moniales quædam ex instituto S. Claræ, ut vitæ & pudicitiæ suæ consulerent; confugerint. Quia verò ob diuturnam, quam in illa munitione trahere cogebantur, moram, omnes inibi degentes magnâ famis cruciabantur inediâ, una è monialibus, quæ pro herbis colligendis egressa fuerat, à milite quodam capta, in cujusdam belli Ducis potestatem consignata remansit; quam is tandem in uxorem sibi adsciscere decreverat, quod illa animadvertens, his illum verbis allocuta fuit: Celare te nequeo, quod virgo sim, & quidem Christo JEsu per votum desponsata, ac in Monasterio consecrata, prout ex eo, quem defero, habitu monastico videre tibi licet, ac proinde carnalibus voluptatibus operam dare, aut alium mihi sponsum adoptare, mihi non licet, ne Deo, & sponso meo pro obsequio injuriam inferam; Cave igitur sis, ne violentiam mihi inferas, ne iram Dei, atque vindictam protinus incurras, tibique me in uxorem adoptando concilies mortem. Quam Virginis in loquendo animositatem Barbarus obstupescens, ab omni deinceps violentia abstinuit, eamque more suo vivere permisit. Insuper talem erga illam venerationem concepit, ut illam haud secùs ac divinum quoddam numen deinceps veneratus fuerit, omnem illi relinquendo libertatem, qua ad cœlesti sponso suo inserviendum opus habebat, quæ proinde ut Religionis suæ cultum & institutum prosequi posset, Breviarium sibi ab eo dari petiit, & Monasticam vestem, quæ utraque inter spolia Christianis erepta, & penes militem quendam asservata, singulari Dei providentiâ reperta, eique submini strata fuêre; adeò insuper sanctimonialem hanc honorabat, ut quotiescunque eam se cum aliis captivis mulieribus ministerio alicui domestico ingerentem videbat, ab eisdem illam removerit, dicendo, quod minime illam deceret aliis, quam Sponso suo cui se consecrârat, inservire rogandoque, ut suam eidem cœlesti Sponso salutem instanter recommendaret. Postquam verò hæc virgo per anni spatium in domo dicti belli Ducis fuisset commorata, tandem in fine anni DEUS huic Duci, indignum esse, inspiravit, ut Sponsa Christi ejus ulterius subjiceretur imperio domestico, illam proinde in manus consignaret Christianorum; Quia verò si id patenter exsequeretur, pœnis atrocibus; se subjiciendum esse

esse formidabat, hunc pro divinæ voluntatis executione modum excogitavit; ad Christianorum nempè vigiles, quantùm sibi securè licebat, appropinquans, eosdem ut illam excipiendam tantisper egrederentur, instanter rogavit, utpote quam fugam simulando, eo in loco hoc fine relicturus esset. Dictum, factum; Vigiles enim egredientes eam exceperunt cum gaudio, adeòque ipsa de pudicitia conservata triumphans, & victrix ad Catholicos rediit, suoque benefactori ad sanctam fidem nostram amplexandam, ferventibus precibus suis lumen à Deo impetravit; Unde tandem pius hic Barbarus patriâ suâ fugiens, omnibus facultatibus suis pro Christo relictis in Peruanum Regnum concessit, ubi hæc omnia Christianis, quibus in fide erudiendus traditus fuerat, ex ordine recensuit; quæ demum fideliter exposita fuêre Authori, qui præsentem Historiam conscripsit.

§. V.

Maffeus l. 3. vitæ c. 8.

I. S. Ignatius, ex quo die in B. Virginis Patrocinium se dedit, tantam consecutus est Castitatem, ut nullam deinceps carnis tyrannidem, quamvis præfervidus naturâ senserit.

Dauroult. p. 4. c. 7. Tit. 34. Ex. 23.

II. Sanctitatem animi Patris Francisci Xaverii perpetua corporis sanctitas honestavit. Satis constat, ab eo virginalem pudicitiæ florem ad extremum usque spiritum custoditum. Id & Meliapore Vicarius, ex sermone cum Francisco ibidem habito, se comperisse liquidò confirmavit, & alii ejus Confessiones excipere soliti, se perspexisse testati. Insignis profectò in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit; adeò ut vel minimas hujus generis labeculas exosus ipsum horreret libidinis nomen. Quod ex eo, quod subjiciam, existimari licebit. Olyssippone professionis Indicæ diem opperiens cum Simone Roderico, in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempestâ nocte repentè excitatur è somno, adeò commotus, ut è naribus magnam cruoris vim profunderet. Ejus deinde rei causam Simonem rogitantem obstinato silentio celavit, quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum ubi solvendi advenit tempus, sub digressum, in navis angulum cum eo secessit, & sine arbitris, nunc demum, inquit, tempus est enunciandi, quod toties ex me, Simon, frustra es scisitatus: quippe hoc ultimùm, ut arbitror, sum te in hac vita visurus. Scito igitur, illâ nocte impuram speciem per somnium mihi oblatam, summaque vi repellere conanti, tantam illam sanguinis copiam erupisse. Hisce signis humanisque testimoniis divinum indicium, ac testimonium extincti corporis accessit integritas. Quod eximium Dei beneficium inter alia egregiæ virginali castimoniæ concessum accepimus. Cæterum Franciscus, ut tantum custodiret thesaurum, non castior fuit, quàm cautior. Etsi enim vir sanctissimus cœlestium rerum contemplationi maximè deditus, excellentisque temperantiæ armis tectus, nullo negotio tela nequissimi ignea extingueret; tamen adeò timidus in hoc genere & cautus erat, ut si maximè obnoxius esset libidini. Nunquam cum fœmina ullâ nisi luce palàm, & adhibitis arbitris, de rebus utique necessariis collocutus est, ratus, mulieres fermè adiri minore emolumento, quàm periculo. Id quod etiam Vitæ ejus scriptor hisce verbis confirmat, dicens: S. Franciscus Xaverius adeò castitatis erat amans, & studiosus, ut contra impudicam cogitationem & in somno obvenientem, ad sanguinem usque certaret. *vitæ.*

III Parum ab hac quidem laude abfuisse oportuit Angelum Montiolam, hominem Italum, qui cum in terra Peruica Evangelio per barbaras illas Provincias disseminando, diu multumque peregrinaretur, ageretque inter gentes nudis perpetuò corporibus, priusquàm Evangelii lumen aspicerent, incedentes, non magis ea tantâ turpitudine unquam commotus est, quàm si statuas inter versaretur, à quibus tamen & periculum timeri debet, quùm marmoreorum signorum nuditate irritatam, & quidem non unius fuisse libidinem legamus. Verum sicut mollem argillam, ubi efficax illa marmoribus progignendis vis comprehendit, non amplius licet refringere duratam in rigidum, ac nisi ferro cædas, indocile marmor; haud aliter, ut humanum cor divina penitus pervasit gratia, ita obfirmat, ut signi statuæque instar objectas sensuum illecebras respuat, ac supra lapidum omnium contumaciam, si ferro cædas, alienam nihilominus imaginem refutet. *Io. Rho l. 7. cap. 2. exempl. 2. ex nostris.*

IV. Sed non pluribus eâ pace frui datum, plerisque omnibus pugnandum est, quamquàm non iisdem semper artibus venerit victoria, quidam enim prompto ingenio, expeditoque consilio, quidam acie, ac duello vicêre. Videamus unum è Sociis per lusum è vicina flamma evadentem. Hunc Nobilis in Brasilia adolescentula perditè cum amaret, nec virtutis reverentia flammas auderet profiteri, diu animi ægra, corporis ad extremum valetudinem simulans, hominem per speciem arcanæ confessionis excipiendæ, jubet advocari. Ubi semotis minùs cautè arbitris, soli fuêre, ægritudinem confessa, vulneri per vulnera medicinam malè sana facere tentavit, & quia blandiendo nihil proficiebat, imò gravi contrà oratione insuper castigabatur, ut quem simplici voluptate pellicere non poterat, duplici circumventum, capitis, ac famæ periculo expugnaret, ardens libidinis per summam audaciam interminata est, ni pareat, sublato clamore, ut violatorem, stupratoremque, validissimis manicipiorum mox se objecturam ad verbera, ad necem. Quid faceret deprehensa virtus, quùm ex solitudine impudicæ audacia, casto periculum crearetur? Exuit ictum validissimum levi admodum declinatione. Quominùs ei morem gerat, sitim causatur, & illa, ut potum inferant, servos advocat, cum quibus blandè sermonem Sacerdos tantisper ducit, donec intrante adolescentulæ matre, ad eam explicatissima fronte conversus; Benè, inquit, habere nata mihi videtur, & confessioni, ut in hoc tanto æstu laboriosæ, atque levi à valetudine decumbentibus ominosæ, supersedendum censeo. *Ibid. exempl. 3.*

His artibus elusa impudentia, dum templum ingreditur, Deo pro depulso periculo gratias acturus, obvium habuit Josephum Anchietam, magnum illud Brasiliæ lumen, qui re divinitus cognitâ, magna precum contentione apud Deum egerat, ne caderet; itaque ad eum: & ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficeret fides tua. Scilicet humanæ opis haud quaquam est, è flammis ne leviter quidem afflatum exire, imò longè facilius ab igne illæsus abeas, quàm à procacis fœminæ petitione pudicus.

V. Consimilem projectæ libidinis impressionem Claudius Aquaviva, graviore, ac validiore consilio repulit, & quamquam in lubrico & ipse positus, ac ruinæ imminens, altè tamen vestigia castitatis reliquit impressa. Quæ enim ejus formâ exarserat alia, quam prætendebat, febri laborans, ubi exclusis de more ab illo judicio arbitris, quorum aures omninò quidem, sed oculos nusquam arceri debere, idem Claudius rerum arbiter postea sancivit, ut, inquam, solitudo audaciam facit, nudato repentè corpore (quod flagitii pars non minima esse censetur) ardentibusque verbis Claudium aggressa, preces, blanditias, minas, Satana erudiente, miscet. Validis profectò machinis petebatur, & grandis erat tentatio homini, cui aut libidinis, aut calumniæ flammis esset conflagrandum. Sed utroque ex periculo emersit Claudius consilio, tam in speciem fœdò, quàm exitu salutari; scaphium conspicatus invadit, haustisque manu alvi purgamentis (parcite, qui hæc legitis) os inungit, atque attonitæ ad oscula, ad amplexus, si teterrimi odoris gravitas, & sordium inquinamenta arriderent, contemptim increpitans objectavit. Quod de Claudio tradidi, de Oliverio Manereo, Viro Societatis primævæ itidem tradunt; næ isti libidinis fœditatem penitus animò informaverant, qui tam sordidâ personâ illi occurrendum censuerunt. Certè nulla tanta est sordium quarumlibet fœditas, quæ, si cum Veneris componatur, non debeat præoptari.

Ibidem exempl. 4.

VI. Domesticum sæpè bellum pro castitate pugnantes, externo longè periculosius experiuntur, lapsu faciliore, ut sine teste. Quare non minor in hoc profligando (nam confici vix unquam potest) virtus laborat: quanta fuit igitur in eo viro, qui quùm hostium importunitati solus vix par esset, formicarum legiones immisit? Crescunt in Paraquaria, vicinisque regionibus formicæ formâ, atque ingenio nihil nostris dissimiles, sed magnitudine admodum enormi, quas etiam squillarum instar accolæ esse non dubitant; ergo quà rubrum (neque enim nigræ illæ sunt) maximè fervebat agmen, nudum se abjiciens, immotum corpus morsibus earum diù præbuit lancinandum, ut totâ cute cruentus, ac tumentibus membris victor abscederet. Quantùm hic à Benedicto distat? Equidem vivos morsus, quàm mortui aculei, crediderim esse molestiores.

Ibidem exempl 5.

VII. Joannes Ribera nondum erat de Societate, quùm illius decora auxit. Pulcherrimus Adolescens in ipso ætatis flore ab excellentis formæ muliere adamatus, sollicitatusque ad flagitium, nequiter blandientem majori, quàm pro ætate, constantiâ repulerat; nec ideò tamen illa irascebatur, sed ipsâ repulsâ libidinem vehementiùs irritante, adolescentem solitario in loco deprehensum occupat, amplexumque expedit, ablatura per vim, quod precibus ac blanditiis non impetrârat. Pallio manus injecerat, sed Joannes prævalens viribus, ac reluctans, lacerati frustum exigtuum flagitiosi conatûs monumentum, illi relinquens, liber evolavit. Fœminas vepribus similes non malè quis dixerit; in quas cum incideris, aut sanguinem, aut pallium dare sit necesse.

Ibidem exempl. 6.

VIII. P. Franciscus Adornus (qui S. Caroli Cardinalis Boromæi Confessarius, ab eodem in honore & reverentia unicè est habitus) procacem fœminam, quæ liberali, ejus forma pellecta, scelus ab eo blanditiis flagitare aggressa erat, castissimo ingenio elusit; quando turpificatâ sordibus, seu recrementis è latrina petitis, facie, fœdiores illius amores in horrorem, nauseamque convertit.

Nadasi anadier. memor. 13. Jan.

IX. P. Joannes Hieronymus tolerantiâ, & Ecclesiasticæ munere præstans inter primos Hispaniæ, cum Granatense Collegium regeret, à procacissima fœmina obscœni flagitii est accusatus. Hispali Provincialis eam rem Patrum cuidam viro prudenti, ac non incurioso vesperi in cubiculo clàm ad candelæ lumen exposuit, vehementi dolore plenus. Is verò, qui hæc audiebat, posteaquam nihil veri mendacio illi tam enormi subesse, constanter dixisset, adjecit: Ego, ô Pater, pietatem castitatemque P. Joannis ita perspectam habeo, adeoque eum ab hoc flagitio immunem scio, ut ad innocentiam viri testificandam, atque ab omni suspicione vindicandam, ausim nudam manum ardenti foco inferere: Interque verba manum protinus extendit, & in mediam lychni ardentis flammam ingessit, ac tamdiu immotam sine ullo doloris sensu eam Scævola hic Christianus istic tenuit, donec omnia, quæ dicenda fuêre, narrasset, ac Provincialis rei novitate attonitus, non sine admiratione tam præclari experimenti, ab omni disquisitione tunc faciendâ cessavit &c. Proterva verò accusatrix doloribus correpta, se ipsam percutiebat, cruciatus illos turpis mendacii supplicium esse fassa, & coram Provinciali, testibus, ac Notario veniam petens calumniæ sceleratæ. Romæ quoque ad Gregorium XIII. innoxius est compertus ab omni suspicione hæresis, quam ei, nescio quis, imposuerat. Obiit Hispali Anno 1605. 1. Julii ætatis 60. Societatis 43.

Ibid. l. Jul.

X. P. Antonius Cordeses multis laudibus excellenter eminuit, & imprimis constans virorum gravium sensus fuit, eum primævam Baptismi gratiam nullo unquam crimine perdidisse. Totis ille quidem annis sexdecim pravarum cogitationum molestiam, difficultatemque perpessus; sed eo in igne purior ejus spectata semper integritas est; ut procacem etiam aliquando fœminam, ad quam fuerat velut ægram obtentu Confessionis accitus, egregii facti insolentiâ, primùm ad horrorem, tum verò etiam

P. Alegamb. in vict. char. 1601. c. 2. p. 146. & 147.

ad suæ

ad suæ detestationem lasciviæ commoverit. Nimirum ut ab ea sollicitari cæpit ad flagitium, ipse dissimulato consilio, postulatoque levandæ naturæ spatio, illud ubi datum est, vultum egestâ proluvie delibatum præstolanti obtulit, eòque spectaculo vehementer absterruit. Ipse verò ab omni eâ mentis vexatione liberatus est, piæ fœminæ (ut rebatur) oratu, quæ suas illi preces apud Deum moriens, quidquid demum obtinere libuisset, spoponderat, quippe qui secundùm ejus obitum perpetuæ deinceps fructum pacis & tranquillitatis expertus sit. Cæterùm hoc illi sivè ad indulgentiam, sivè ad negligentiam nullo unquam loco fuit; tantâ, tamque pertinaci sensuum usque custodiâ, ut muliebrem in formam non auderet obtutum defigere; Cumque ad sextum usque & sexagesimum ætatis annum, modico propter stomachum vino sibi indulsisset, reliquo vitæ frigidâ semper sitim levavit.

Arbor. vital. l. c. 4. XI. P. Petro Cotono, cùm aliquando in somnis contra immissa à Dæmone visa impuritati affinia, magno animi, corporisque conatu luctaretur, puriſſimi duo Spiritus, fugatis puritatis hostibus capitalissimis, femora, funè bis circum ea convoluto tam arctè compressêre, ut cicatrix ruptæ in ambitu cutis, ante & post mortem conspicua fuerit.

Vita. XII. B. Aloysius tanta à Deo castitate præditus erat, ut nullam obscœnam cogitationem vel motum, neque noctu, neque interdiu unquam experiretur; adeò verò mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres; nullam certè, etiam consanguinitate conjunctam, aspicere sustinebat.

Hist. lib. 8. p. 2. n. 210. XIII. P. Laynes Romæ cùm concionaretur, à fœmina ad flagitium allectus erat; sed ipse tanquam sensûs expers, & tanquam statua aliqua nihil sentiens, gravi oratione eam deterruit. Ipse tamen dein dixit, consultiùs se facturum fuisse, si confestim ausugisset.

Vita. l. 2. c. 26. XIV. P. Petrus Faber in hospitiis, domibusque recentibus, vicinorum omnium Angelos invocabat, contra salaces spiritus. Cubitum discedens, armabat se perattentè S. Crucis signo, pieque ad Deum verba illa fundebat: Hostem repellas longiùs &c. Et ad B. Virginem: Da mihi virtutem contra hostes tuos. Sentiebat enim, Principes tenebrarum in tenebris maximè dominari. Valde autem ajebat, ad hunc finem conducere, ut in diversoriis statim profiteatur quis pietatem, vel piis sermonibus, vel alio religionis actu; nihil enim vel nos, vel alios magis in officio continere, quàm edita jam virtutis exempla. Deniq; omnium maximè hâc in re ei proderat precationis studium, & pietatis ardor &c.

Biblioth. Script. Soc. XV. P. Franciscus Costerus octoginta octo, quibus vixit annis, nunquam ne minima corporis inhonesta commotione, aut cogitatione pulsatus est. In se fuit adeò severus, ut perpetuo cilicio, celeberrimisque flagris corpus attereret.

XVI. P. Balthasar Alvarez, ne in publibo Inquisitionis actu mulieres aspicere cogeretur, septem integris horis oculos in B. Virginis imaginem defixos habebat. Semel verò à Juvene, & eleganti femina ad flagitium allectus, per orationem non modò se à tali periculo liberavit, sed illam mulierem etiam Deo lucratus est. Dicebat insuper, non esse in tanto periculo positum eum, qui ex subtili stamine in aliqua turri penderet, atque ille, qui positus est in occasione puritatem suam amittendi.

Ann Mexic. Coll. Mexic. 1612. XVII. P. Gabriel de Loyrono nihil ægriùs ferebat, quàm sibi obscœnæ rei vel tantilla species animo ejus incidisset, quam, velut ipse reus acerbis suppliciis vindicabat. Semel cùm ei noctu vigilanti simile quid incidisset, nudus propè è lecto proliliens, ad hydriam aqua plenam accurrit, eaque maxima noctis parte à cervice ad calcem usque se perfudit, ulturus luxuriantem carnem.

1604. Coll. Catinense. XVIII. P. Ferdinandus Paterno vocatus ad confessionem ignotæ feminæ, cum domum ingressus multas feminas reperisset, primùm blandis verbis, tum aperta vi eum ad peccatum allicientes, invocato Deo, eo que, quo potuit modo, eas repellens, concitata demùm fuga ausugit.

Ex lib. Inquisit. Golstad. M. S. de propriis & solidis virtutibus c. 3. §. 3. XIX. P. Laurentius Magius Romæ ad feminam ægrotam confiteri cupientem vocatus, cùm ab illa ad flagitium solicitaretur, ille ad summas angustias redactus, spatium paululum secedendi cupit, quasi satisfacturus necessitati. Rediit autem facie tota stercore turpata, quod videns mulier vitam seriò emendavit. Simile quid de P. Oviedo narratur.

An. Rhen. Coll. Spirens. 1611. XX. P. Matthæus Boys, cum adhuc Novitius esset, & mendicatum de more missus, mensæque adhibitus, verba aliqua impudica audisset, tanto mox dolore & iracundia exarsit, ut ex oculis lacrymæ, è narribus sanguis copiosè profluerit. Causam rogatus, egone, ait, dolore non afficiar, cum videam supremum Numen ita hac linguæ improbitate violari?

P. 2. vit. pag. 72. pag. 83. XXI. Joannes Berckmannus dicebat, eum, qui fit impurus, nequiorem fieri omnibus Diabolis. Fassus est, se nunquam ulla impura tentatione oppugnatum. Hinc non potuit etiam ob horrorem erga luxuriam, Confessiones S. Augustini legere. *pag. 87.* Qui cum intuebantur, licet aliorum vultus ob periculum intueri non auderent, ipsius tamen aspectu ad Castitatis amorem incitabantur. Post *pag. 89.* mortem etiam multis Castitatis donum impetravit.

Prov. ven. Coll. Brix. 1598. XXII. Bartholomæus Mariana tantus Castitatis amator erat, ut oppositum vitium nunquam suo nomine, sed circuitione verborum appellaret, ne vel solo nomine contaminaret.

Prov. Arag. Coll. Cæsar aug. 1612. XXIII. Genesius Martinez Coadjutor, licet in prædio esset nunquam tamen cum feminis colloqui sustinuit. Unde aliquando ignem petenti vetulæ, oculis aversis porrexit, cum addito, si quid deinceps opus esset, per aliquem è domesticis peteret: non enim, inquiebat, qui te his foribus astantem videt, statim Catharinam secundam, aut me Franciscum alterum cogitabit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Nierenbergius in lib. 2. de adorat. c. 8. n. 2. I. SIcut ii, qui cœnosam & insalubrem regionem incolunt, ordinariè malè valent, ita mirum non est assiduò ægrotare animam, quæ corpus cœnosum, & immundum habet.

Idem. II. Sicut Regiam purpuram cœno & luto plenam meritò quivis induere recusaret; ita

etiam luto, & fœtore infectam carnem ſuam portare, quivis meritò horrere deberet.

Idem. III. Sicut quò major eſt Dominus, tantò ordinariè domus & aula mundior eſſe debet; ita cùm nulla creatura (excepto Angelo) animam rationalem ſuperet, meritò domus ejus (quæ eſt corpus) puriſſima & mundiſſima eſſe deberet.

Idem. IV. Sicut Sponſæ Magnorum Principum, ſi fideles ſint, omnia facilè à ſponſis ſuis impetrant, uti patet in Eſther, quæ liberationem totius populi Judaici ab Aſvero obtinuit; ita multò magis ſponſa ſupremi Regis Chriſti omnia, & maximè aliorum liberationem à peccatis obtinebit.

Imago primi Sæculi Soc. l. 2. V. Sicut virgo in Zodiaco regnans, terram maximè frugiferam facit, ita ſi caſtitas in animo hominis regnet, fructus honoris, & gratiæ copioſos germinare faciet.

S. Ambroſ. l. 3 de virg. VI. Sicut apes, dum vehementior furit ventus, lapillos pedibus apprehendunt, qui illis ſint Saburræ loco, ne à tempeſtate huc illucque pellantur; ita ne caſtitas noſtra à tentationum ventis periclitetur, ſaburrare nos oportet cognitione ejus, quod ex nobis ipſis habemus, & conſiderare noſtram imbecillitatem, arripiendo pedibus noſtrorum affectuum lapidem vivum Chriſtum Dominum noſtrum, cujus virtute fortitudinem induemus, & conſtantiam, quam ad ejus gloriam intendimus.

Dadræus in loc. carm. ſimil. v Caſtitas f. 79. VII. Sicut optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris diſtinguit; ita Chriſtianum à cæteris macilentia corporis palorque defloreſcens, qui continentiæ individuus comes eſt, indicio eſt, eum in luctu carnis Adverſarium ſuum feliciter fortiterque proſtraviſſe, atque adeò dicere cum S. Paulo poſſe: cùm infirmor, tunc potens ſum.

§. VII.
MOTIVA.

I. EXemplum Chriſti, qui caſtos habere Parentes & diſcipulos voluit; à Diabolo circa caſtitatem tentari noluit; & neque ab hoſtibus ſuis unquam vel minimum quid circa caſtitatem objici voluit.

II. Dignitas caſtitatis, utpote quæ juxta SS. Patres hominem Angelis ſimilem, imò ex hac parte aliquo modo nobiliorem facit.

Nadaſi 18. Nov. III. Præmium caſtorum, quod aliquando P. Ledeſmæ Soc. Jeſu indicatum eſt, cui, cùm de caſtitate ſervanda propè deſperaret, B. Virgo cum S. Magdalena, & SS. Catharinis M. & Senenſi apparuit, promiſſoque ad caſtitatem ſervandam auxilio in abitu hanc ſtropham per ſocios cantari curavit: Divina res eſt caſtitas, divina ſed ſunt præmia, quæ continenti dat Deus.

IV. Utilitas, quæ ex eo colligitur, quòd anima caſta fiat Sponſa Dei; ſi ergò Principes hujus mundi Sponſis ſuis tantas delectationes, & recreationes, tantas divitias & honores provident, quantò magis Rex cœli & terræ Sponſis ſuis talia præparabit?

V. Bene Ponderare, quàm vilis, turpis, brevis noxiaque tum corpori, tum animæ ſit voluptas Venerea: quamque adeò indignum ſit pro tam brevi voluptate pulcherrimum, & amabiliſſimum cœli Sponſum repudiare.

VI. Voti obligatio; ſi enim in Sponſis Regum terreſtrium fidem datam frangere per adulterium tam turpe cenſetur, quàm turpe erit, ſi cœleſti Sponſo non tantùm per adulterium cum creaturis (quæ ſpiritualiter omnes vel fratres, vel ſorores noſtræ ſunt) ſed etiam per inceſtum frangatur.

§. IIX.
MEDIA.

I. *TImor DEI*; hæc enim eſt herba, quâ Araozius etiam in mediis aulæ periculis caſtitatem illibatam ſervavit. *Hiſt. Soc. p. 1 l. 5. n. 63.*

II. *Amor & cultus B. Virginis*; ſi enim, ut D. Bonaventura apud Caniſium teſtatur, ex venerando vultu, & corpore prodibat divinum aliquid, & Virgineus frigidusque ros, qui ad impuritatem omnem ſpectantium arcendam & extinguendam mirificè conferebat, & quaſi virgines germinabat, aut ad majorem vitæ honeſtatem provocabat; quantò magis ab ea nunc glorioſa ſimile auxilium exſpectari poterit? ita ſanè expertus S. Ignatius, & P. Ledeſma, ut ſuprà in Exod. domeſt. n. 1. & §. 7. n. 3 dictum eſt. *Stimul. virt. lib. 2. cap. 23. & 24.*

III. *Humilitas*; hinc apud priſcos Patres maximæ inſtar erat, non poſſe ad purum quempiam carnalibus vitiis emundari, niſi univerſum laborem ſuum atque conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit non poſſe ſufficere, nec eam niſi miſeratione Dei, & adjutorio comprehendi contingat. Et Climacus in ſcala Paradiſi ait, eum, qui ſudoribus & laboribus ſuis adverſus hujusmodi adverſarium pugnat, ſimilem eſſe ei, qui inimicum ſuum papyro ligavit; qui verò continentiâ ac vigiliis oppugnat, ei ſimilem eſſe, qui catenis, torquibusque hoſtem devinxit; qui denique altiſſima humilitate, & vacuitate iracundiæ depugnat, ei comparari, qui occidit inimicum, & in arena occultavit. *Grad. 15.*

IV. *Fuga occaſionum*; Ita Joſephus Patriarcha exemplo ſuo docuit relinquens pallium in manibus uxoris Putipharis, contagium quippe judicavit, uti S. Ambroſius ait, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva tranſirent. Nam, ut bene Tertull. facile eſt, non appetere, quod neſcias; at averſari, quod deſideraveras nunquam. Accedit conſilium Sapientis. Quaſi à facie colubri fuge peccata. Nam, ut Baldeſanus l. c. ait, ideo fit ut habitent, & depaſcantur hominum flagitioſorum cadavera ſerpentes, quod in viventium animis ſibi olim ſtruxerint habitationem. Rectè ergo Ponſa Cant. ult. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ &c. Hinc Daphnis ob fugam libidinis in laurum converſa dicitur, ut ſignificarent hoc figmento Poëtæ, Victoriam de carne non faciliùs, quam per fugam, obtineri poſſe. *Stim. virt. tut. lib. 1. c. 7. & ſeq. l. 1. de Ioſeph. c. 5. l. ad Vxor. Eccl. 22.*

V. *Labor & occupatio honeſta*, hinc S. Hier. ad edomandam carnem, Hebræam linguam addidicit, & poſtea dixit: Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. Ob eandem cauſam Pater quidam Monaſterii, adoleſcentem quendam luxuriâ graviter tentatum, jurgiis & dicteriis onerari præcepit, ut ſic ei ad intendendum cogitationibus non vacaret. *Stim virt. l. 1. c. 22. & 23.*

VI. *Fre-*

Stim. virt. l. 2. c. 28. VI. *Frequens uſus Sacramentorum* præcipuè ſacræ Communionis; de hoc enim dicit S. David Pſ. 22. Paraſti menſam adverſus eos qui tribulant me. Hinc pulchrè S. Bonavent. ſi ergo, ô Anima, carnem diligis, nullam carnem niſi Chriſti carnem ames.

De Stimul. p. 2. c. 1.

Ludov. de Ponte to. 3. tr. 2. c. 10. §. 1. VII. *Præſentia trium ſociorum, DEI, B. Virginis, & S. Angeli Cuſtodis*; nam, ſi teſte Seneca, magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat; quanto magis, ſi tres iſti cogitantur præſentes. Ita ſanè expertus S. Ephrem, mulierem ad ſcelus provocantem ad publicum forum invitans.

Stim. virt. l. 1. c. 11. VIII. *Accurata ſenſuum, præcipuè oculorum, cuſtodia*; quia, ut ſapienter S. Baſilius advertit, ſenſualis voluptas eſt inſtar alicujus fontis habentis plura epiſtomia, quia aquam fundit per ſenſus, & potentias carnis, & inſtar ſerpentis multorum capitum, per quæ omnia inficit veneno. Hinc ſponſa Hortus concluſus & fons ſignatus appellatur.

Cant. 4.

Ludov. de Ponte to. 3. tr. 2. §. 1. IX. *Votum, ſaltem ad tempus èditum, & ejus renovatio*; per hoc enim provocatur partim liberalitas Dei ad gratiam offerendam; partim firmatur voluntas in propoſito caſtitatis ſervando; ſi enim ingens eſt incivilitas, non ſtare verbis aut promiſſis, quæ Regibus & Principibus hujus mundi ſunt facta, quantò major erit inurbanitas, atque irreverentia ſi promiſſio DEO facta non impleatur. Sic Michaël Sanch. è Societate JEſu Coadjutor Gallus, cum ruri ferè ſolus degeret, œconomiæ adminiſtrandæ causâ, & à procacibus fœminis non ſemel ad turpia varie urgeretur, ſeſe humi projiciebat in genua, & conceptam votorum Religioſorum formulam recitabat ardenter; ajebatque, id ſibi ſemper præſentiſſimo remedio fuiſſe ad omnes turpes imagines è mente penitus abſtergendas.

Nadaſi in Anno memorabil. Julii 23.

S. Hieron. epiſt. 22. X. *Oratio.* Hoc clypeo S. Hieronymus uſus eſt, qui de ſe ipſo ſic ſcribit: O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine &c. putabam me Romanis intereſſe deliciis? Sedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram: horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus &c. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum: pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore &c. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad JEſu jacebam pedes &c. Memini me clamantem diem crebrò junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſâſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Hinc S. Paulus ter Dominum rogavit, ut diſcederet ſtimulus carnis ab eo, ſciens nimirum cum Sapiente, quoniam non poſſet eſſe continens, niſi Deus daret.

Stim. virt. l. 2. c. 12.

Sandæus in flore myſtico orat. 5. fol. 62. & 368. XI. *Caſtigatio corporis*; Hoc medio uſi ſunt Paulus caſtigans corpus ſuum & in ſervitutem redigens, quod non ſit profectò vulpinâ caudâ. Hieronymus pectus tundens non levi digitorum pulſu, ſed gravi lapidis percuſſu. Franciſcus in nive ſe volvens nudus, & uxorculam ex nive conficiens, cujus frigore flammas extingueret. Benedictus detracta ſibi veſte, in ſpinis ſe rotans, ut carnis ſtimulum ſpinarum aculeis contunderet. Guilielmus Aquitanus ferreo thorace pectus, catena renes conſtringens, ut hâc fibulâ ſenſualitatis belluam frænaret. Dominicus catenâ in corpus ſæviens, profectò non ut muſcas abigat. Damianus ſcopis ſe armans, & novus in palæſtra Chriſti virgator, corpus ſæviſſimè dilanians. Alphonſus Rodriquez annis 47. fœminam de facie nunquam videns, ideoque crebro à virgine Virginum viſitatus.

XII. *Principiis obſtare*; de quo in vita B. Ægidii Minoritæ ſic legitur: Non ita diu poſt obitum ſancti Franciſci Religioſi aliquot, quorum plerique cum illo vixerant, inter ſe habuere conſilium, in quo quisque proferret, quid de intemperantiæ importunitate vincendâ maximè ſentiret. Dictæ ſunt à variis ſententiæ variæ; fuit qui diceret, ſe, cùm impugnaretur, objicere ſibi deformitatem hujus vitii, quod non modo abominaretur Deus; ſed ne homines quidem perditiſſimi, niſi occultantes ſe, lucemque effugitantes, admitterent. Tum alius: ut primum, inquit, tentationem hanc ſentio, provolvor in genua, & cum lacrymis Virginis Matris auxilium imploro; neque ego precandi finem ante facio, quàm hoſtis faciat impugnandi. Sequebatur, ut tertius diceret, Juniperus: Ego, inquit, cum procul adventantem hunc inimicum proſpicio, portas animi bonis deſideriis, ſanctiſſimiſque cogitationibus occludo: & interius ſublata voce, procùl, procùl, exclamo, occupatus eſt diverſorii locus. Erat tum præſens ſanctiſſimus vir Ægidius, chariſſimus olim S. Franciſco diſcipulus. Is audito reſponſo Juniperi, ego, inquit, arma mihi Juniperi aſſumo: Certè enim, qui poteſtatem ſubeundæ domûs inimico facit, perielitatur, ne plus damni, quàm lucri reportet; eò quò proditrix noſtra caro mox ſe cum hoſte conjungat. Itaque non exſpectandum, dum ingreſſus opprimatur, ſed ab ipſo etiam prohibendus ingreſſu.

Surius tom. 7. 23. April.

XIII. *Fuga mulierum*; Sic S. Hieronymus ſuaſit dicens: Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidiè aut perire, aut vincere? quis unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat. Securius eſt, perire non poſſe, quàm juxta periculum non periſſe. Et alibi: Hoſpitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Puellas & Virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior David; nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod mulier paradiſi colonum de poſſeſſione ſua ejecit.

S. Hieron. ep. 47.

lib. 2. epiſt. 12.

XIV. *Memoria paſſionis Chriſti*: Hanc S. Auguſtinus expertus eſt efficacem, dicere ſolitus; Nullum tam potens eſt, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, ſicut mors Redemptoris mei. Tunc enim occurret illud

S. Auguſt. Manual. cap. 32.

Bernardi: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Et dices cum fideli Uria: *Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Olim Romanus quidam, quod lugente patria, domi rosis coronatus fuisset, capitis est condemnatus, & Christianus in ducis sui, ac Dei summo luctu, rosis coronari; voluptatibus indulgere audebit?

S. Bern. XV. *Obedientiæ:* Ita S. Bernardus præscripsit: qui terram illam, quam Dominus dixit, à mitibus possidendam, corpus hoc nostrum intelligit esse, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est, ut ipsa sit mitis, & superiori suo subjecta. Itaque non dubitat affirmare, cùm caro à Spiritus imperio rebellat, indicium esse, quòd ipsa quoque anima non perinde ac deberet, superioribus potestatibus subjecta sit, & contrà, si se subjecerit, ipsam quoque corpus suum obediens, & subjectum inventuram. Quod ipsum egregiè confirmans S. Augustinus: expedit, inquit, inferius subjici superiori, ut ille, qui sibi subjici vult, quod inferius est, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem, Tu Deo, tibi caro, quid justius? quid pulchrius? Tu majori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est. Si autem tu contemnis servire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro obtemperet. Qui non obtemperas Domino, cruciaris à servo. Hinc & Thomas Kempensis ait; Qui non libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est, quòd caro sua necdum perfectè sibi obedit, sed sæpè recalcitrat, & remurmurat. Disce ergò celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare; citiùs namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus.

S. Aug. in Ps. 103.

Thom. Kemp. l. 3. de imit. C. 13.

§. IX.

ASCETICA.

Ludov. de Ponte to 3. tr. 2. c. 3. I. UT hanc materiam, quæ ad seipsum, & ad alios dirigendos perneccessaria est, ex fundamento solidè intelligat Ascetа, noverit. 1. Statum continentiæ perpetuæ duo genera Personarum complecti. Primum est eorum, qui nunquam experti sunt ullam voluptatem carnalem, & etiam per reliquam vitam nunquam experiri statuerunt, & hic status propriè virginitas appellatur. Secundum est eorum, qui post amissam (sive cum, sive sine culpa) virginitatem, statuerunt castitatem deinceps perpetuò servare; & status propriè Cœlibatus vocatur.

Ibid. §. 1. II. Benè apprehendat commoda, & excellentias, quas status Continentiæ præ statu Matrimonii habet, & offert, quæ quidem ad quatuor ferè revocari possunt, à S. Apostolo Paulo. 1. Cor. 7. indicatas, quarum prima est quies, & tranquillitas in puro Dei amore, & rebus omnibus, ad ejus obsequium spectantibus; nam ut Apostolus ait, qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Secunda est quod ad altiores sanctitatis gradus hominem extollat; nam eodem Apostolo teste, Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu; qui quidem fructus, quanti faciendus sit, pulchrè S. Hieronymus his verbis indicat: *Non existimes parvam esse virginis amplitudinem, & excellentiam, quòd dicatur de illa, quod cogitet, quæ Dei sunt; ut sit sancta corpore & spiritu, nam etsi nullam etiam mercedem haberet, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare, quæ Domini sunt. Hujus fructus est sanctitas carnis & spiritûs. Nam virginitas illa est hostia valde grata Christo, cùm neque cogitatio spiritum, neque luxuria carnem inficit, aut maculat.* Tertia est, quòd conferat facultatem sine impedimento Dominum obsecrandi: cùm enim elevet animam ad sponsæ Dei dignitatem, hoc ipso aperit ei portam, quandocunque voluerit cum Sponso suo suaviùs conversandi, & tantò faciliùs gratiam impetrandi, quantò magis ea necessaria est ad castitatem promissam servandam. Quarta est quòd singularem claritatem & dignitatem afferat animæ, juxta illud Sapientis: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Id quod supra clariùs indicavit dicens: *Felix Spado, qui non cogitavit adversus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.*

l. 1. ad Jovinian.

Sap. 4. v. 1.

Sapient. 3. v. 14.

III. Pariter benè apprehendere studeat incommoda, quæ secum videtur status continentiæ afferre, & propter quæ aliqui ipsum tantopere horrent; ea autem sunt tria potissimum. Primum est *Solitudo*, eò quod societate viri aut uxoris careat, qui auxilio, & subsidio sint in adversis. Secundum est *Sterilitas*, seu prolium carentia. Tertium est Familiæ, & nominis, quod in terra habere poterant, interitus. Contra quæ impedimenta inprimis universim objicere posset Christus illud Elcanæ dictum ad Annam uxorem: Anna, cur fles? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filii? Deinde verò in mentem revocanda est illa Dei per Isaiam facta promissio: *Ne dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à Filiis, & Filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Multò minùs verò timendus est ipsius mundi interitus, ob continentiam: nam cùm ea sit lilium inter spinas, lilium super capitella columnarum templi, de quibus 3. Reg. 22. dicitur: *pauci sunt, qui spinas non horrent; aut, qui animam habent ad conscendendum, ut ejus pulchritudine fruantur*, uti fusiùs videre est apud Platum.

Ibid. §. 2.

1. Reg. 1. v. 8.

c. 56. v. 3.

1. Reg. 7. v. 16.

l. 3. c. 26.

IV. Ante omnia diligenter perpendat, quòd sicut teste S. Gregorio, sunt duo genera luxuriæ, altera carnis, quæ castitatem corrumpit: altera cordis, quæ de ipsamet castitate gloriatur, ita duplicem quoque suo modo castitatem, carnis scilicet, & cordis, assignari posse, & debere. Hinc sapienter advertit S. August. primam pugnam eorum, qui desiderant continentiam, esse debere contra Dæmonis suggestiones, instigantis ad multum

lib. de continent. c. 4.

multum sibi ipsis tribuendum, & fidendum. Unde per medicinalem providentiam Dei S. David paululùm desertus est à Rectore, ut per exitialem superbiam desereret ipse Rectorem, agnoscens ex lapsu suo, se non posse solum servare sanctitatem, quam habebat. Ex quo rectè infert Cassianus, apertum indicium esse proximè obtinendi donum castitatis, non sperare illud ex sola sua industriâ; & singularem esse de luxuria victoriam, non fidere propriis viribus ad eam vincendam, sed eam à divina misericordia sperare, & recurrere continuis suis orationibus ad Dominum, qui potest illam dare. Et quamvis hæc fides videatur facilis, est tamen, ut bene observat S. Gregorius, satis difficile homini, non credere esse à se, quod videt & experitur in se. Porrò consistit hæc humilitas in tribus potissimùm capitibus. Primò, ut summo secreto quis sibi soli ita servet castitatem, ut nullo verbo, quod vanitatem aliquam, aut jactantiam sapiat, aut inane desiderium ostendat, quòd propterea in honore esse velit, illam prodat. Secundò, ne quis inaniter glorietur de excellētia, & perfectione sui status, aliosq; qui minus perfectum habent statum, contemnat. Tertiò, ut semper vivat in timore, suæ infirmitatis memor, quòd Eva, cùm esset virgo, fuerit decepta à serpente.

Collat. 12. c. 15. & 16

V. Bene etiam intelligat, quem fructum afferat votum, si castitati jungatur, quòd scilicet castitas voto firmata sit similis velleri Gedeonis, à carne ovis separato; cùm castitas sine voto sit similis velleri, quod adhuc carni inhæret, adeoque rore benedictionis cœlestis non perinde, ut illa, implebitur.

VI. Advertat, etsi, ut ante n. 4. dictum est, magna semper de viribus propriis diffidentia sit concipienda, sedulò tamē cavendum esse, ne per eam fiducia in divinæ gratiæ auxilio minuatur, ideoq; insignis illa Dei promissio apud Isaiam facta semper ob oculos habenda erit: Hæc dicit Dominus creans te Jacob, & formans te Israël: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo (id est specialiter elegi) meus es tu (multis quidem, sed præcipuè desponsationis titulo) cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël Salvator tuus.

c. 43. v. 1.

Collat. 12. c. 10. & 12

VII. Bene etiam notandum ex Cassiano, virginitatem duos habere gradus; alterum imperfectum, & proprium Tyronum, & pugnantium, quem Aristoteles propriè Continentiam vocavit, eò quòd hi propriè se contineant, & passionum impetum refrænent, qui gradus adumbratus est in tribus pueris in fornacem Babylonicam conjectis, qui saltem quoad vincula patiebantur effectum combustionis. Alterum perfectum, proprium hominum jam consumatorum, & quasi triumphum agentium, qui pugnâ absolutâ magnâ pace fruuntur, & hæc puritas angelica vocatur, quæ figurata est per rubum à Moyse visam, quæ ardebat, nec consumebatur, Exod. 3. v. 3. Neq; propterea, quòd difficultate careat, imperfectior est priore, quia ut benè S. Thom. docet, non semper est melius, quod difficilius est, nec semper minùs bonum, quod suavius est ac facilius; sed respicienda est origo & causa facilitatis, quæ si sit naturalis, minuit meritum; si autem spiritualis, & laude digna promovet meritum; neque enim par esset, ferventem suo fervore sibi impedimentum perfectioris meriti, & præmii causare.

2. 2. q. 115. a. 4. ad 4.

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Natura & Præstantia Castitatis.

I. COmparari potest speculo; dicendo in exordio, solere virgines pulchritudinis amantes, ante omnia curare, ut pulchrum speculum habeant, in quo examinent, an non macula aliqua, vel aliud quid reperiatur, quod pulchritudinem minuat, vel tollat; idem facere castas mentes, pulchritudinis internæ & puritatis corporeæ, quæ castitas meritò censetur, amantes; ut ergò examinare possint, jam nunc pulcherrimum & nitidissimum speculum oblatum iri. Hoc præmisso exordio, in corpore dicatur, duo ad speculum requiri. 1. Plumbum, per quod intelligitur humilitas, sumē necessaria ad castitatem, uti ex §. præced. n. 4. patet, ubi castitas cordis vocatur. 2. Vitrum, per quod intelligitur ipsa castitas corporis, quæ fragilis est, ut vitrum, sed clarissima juxta illud: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate &c. Et propterea inficitur tribus potissimum rebus, ut speculum. 1. ventò pulverem insPergente, vel pulvere invisibili, per quem intelliguntur cogitationes impuræ 2. Anhelitu oris, per quem indicantur verba impudica &c. 3. Per tactum manuum, per quem significantur opera carnalia. Hæc ergò fusiùs explicentur, & excitetur Auditor, ad speculum hoc frequenter inspiciendum, ut, quid desit pulchritudini suæ, cognoscere, & emendare, sicque Deo velut animæ Sponso magis placere, & in æternum thalamum introduci queat.

Sap. 4. v. 1.

II. Dici potest, Reges Galliæ, qui Christianissimi vocantur, olim Bufones (Krotten) habuisse in Insignibus; quòd quia fœdum est animal, ideò substituisse lilium, ad ostendendum candorem, quem Reges in corpore, anima, & morum sinceritate, seu sincera conversatione habere debent. Dicatur proindè, idem tantò magis curandum cuivis Christiano, quantò meliori titulo & authoritate possidet hoc nomen; quare te ostensurum, quomodo id fieri debeat.

In prima ergò parte Concionis dicatur, vereri quem non immeritò posse, ne Bufonem, id est, peccatum in cordis insignibus ferat. Comparetur Bufo cum peccato, primò per fœditatem. Secundò per inhabitationem luti. Tertiò per veneni abundantiam; pro quo vide Pædagog. p. 1. c. 2. & Feria 2. Pent. Con. 7. In secunda parte demonstretur, quomodo lilium substituere debeant. Id est, triplici candori, corporis per castitatem, animi per puritatem, morum per sinceritatem studere: pro quo videri potest Faber in Auctuario, in Festo S. Cath. them. 1. Claudatur seriâ adhortatione ad hoc pulcherrimum lilium procurandum, ut verè agnoscantur Christianissimi, & ut tales non terrestre, sed cœlestē regnum possidere mereantur.

III. Idem scopus probari posset per comparationem animæ castæ cum Esthere Regina, narrando in exordio breviter historiam de Esther, & dividendo corpus concionis in duas partes, quarum prima ostendat, animam castam Estheri similem esse, primò in nomine, quod exponitur occulta seu abscondita, per humilitatem vel solitudinem.

Secundo

Secundo in contemptu omnis vanitatis & ornatûs muliebris, juxta illud Estheris. Quæ non quæsivit mundum muliebrem. Tertiò in pulchritudine, juxta illud Estheris; erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, & omnium oculis gratiosa; & amabilis videbatur. Quartò in purissimo amore Dei, juxta illud: Tu scis, quòd nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, in præsentem diem, nisi in te Domine Deus &c. In secunda parte ostendi potest primò, quomodo placuerit oculis Dei, & electa in Sponsam & Reginam, juxta illud: Veni de Libano Sponsa mea; veni, coronaberis. Secundò, quomodo etiam publicæ & communi utilitati Ecclesiæ, & reipublicæ Christianæ prosit juxta illud Esther: si inveni gratiam &c. Dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum, pro quo obsecro. Tertiò quomodo omnia impetrare queat, juxta illud Esth. Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Claudatur ad modũ prioris concionis. Vide Fabr. in Festo Nativ. c. 5.

Esther c. 14. v. 18. *Cant. 4. v. 8.* *c. 7. v. 2.*

IV. Idem scopus probari posset comparatione factâ animæ castæ, cum Judith Holofernem superante. Et in prima parte ostendi, quàm bene comparetur caro Holoferni. 1. Propter nomen, quia idem significat, ac fortis dux. 2. Propter obsessionem Bethuliæ, quæ idem ac Virgo significat. 3. propter modum obsidendi & expugnandi, quia sc. jubet præcidi æquæ ductum cælestium gratiarum, impediendo ab oratione, usu Sacramentorum, exercitio virtutum, per quæ gratia obtineri, & sitis animæ ad voluptates spirituales expleri solet. In secunda parte ostendi potest, quomodo Judith hunc Holofernem superaverit. 1. Orando, & aliorum pro se preces exposcendo. 2. Habens super lumbos suos cilicium & jejunans. 3. Assumens gladium, & caput amputans, per quem intelligi potest serium servandæ castitatis, statui suo convenientis propositũ, vel votum.

Fructus seu effectus.

V. Potest etiam anima casta throno eburneo Salomonis comparari intelligendo 1. Per ipsum ebur castitatem, & per currum charitatem. 2. Per Leunculos duo castitatis officia, abstinere scil. & sustinere. 3. Per sex gradus sex diversa genera continentium, Religiosorum, Ecclesiasticorum, Virginum, Viduarum, Cælibum nolentium perpetuò continere, conjugatorum. 4. Per manus cooperationem nostram cum divina gratia. 5. Per duos magnos leones magnanimitatem & fiduciam. 6. Per ascensum purpureum merita Christi per sanguinem & passionem ejus procurata nobisque applicata, & etiam per propriam mortificationem, quæ omnia fusius explicata, videri possunt apud Ludov. de Ponte tom. 3. tr. 2. c. 1.

Cant. 2. v. 16. VI. Potest primarius fructus familiaritatis cum Deo, explicari ex occasione illorum verborum ex Canticis. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. 1. Propter candorem castitatis, & pulchritudinem. 2. Propter sex folia candida, id est, sex diversos gradus continentium, ut suprà dictum. 3. Propter sex virgulas aureas intra lilium reperiri solitas, per quas significantur sex actus perfectæ castitatis, nempe in operibus, in verbis proferendis, & audiendis, in aspectu, & reliquis sensibus, in cogitationibus, ac desideriis internis, in evitandis omnibus occasionibus, in intentione, quâ hæc omnia fiunt, non ex necessitate, sed purissimo amore castitatis, & desiderio placendi Deo. 4. Propter durum corticem mortificationis internæ, & externæ, cui lilium tanquam sustentaculo innititur. 5. Propter odorem boni exempli, quem de se emittit, juxta illud Ecclesiastici: Florete flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. In secunda parte ostendatur; quomodo Christus libenter pascatur inter hæc lilia, id est, suas delicias & conversationem habeat, propter similitudinem, amorem, munditiam, & minora impedimenta. Potest claudi, repetendo illud: florete flores &c. vide Ludov. de Ponte tom. 3. tr. 2. c. 1.

c. 19. v. 5.

Media.

VII. Potest ex occasione illius dicti Sponsi Cantic. 2. Sicut lilium inter spinas, dici quòd dicatur anima casta inter spinas, ob varias causas. 1. Quòd sicut lilium suâ excellentiâ spinas superat; ita etiam casta anima longissimè excedat eas, quæ castitatem non profitentur. 2. Quòd sit inter spinas, id est, crescat, & nutriatur per spinas variarum mortificationum. 3. Quòd sicut lilium non impeditur per spinas à crescendo: ita nec spinæ curarum, & solicitudinum, quæ in hac vita occurrunt, impediant animam castam à sancti amoris exercitiis. 4. Quòd anima casta sit circumdata spinis, id est, Personis impedientibus à proposito castitatis, quales sunt Diabolus, Parentes, Proci, aut meretrices, mali socii, nos ipsi. Claudi potest concio adhortando, ut pergat esse lilium, pergat crescere, pergat odorem emittere, neque horreat spinas, quia nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.

VIII. Potest ex occasione illius sententiæ ex Proverbiis: *Omni custodia serva cor tuum*, repræsentari imago, cujus oculi velo obducti sint, aures spinis obseptæ, os serâ occlusum, nasus digitis compressus: manus funiculo ligatæ; & inde sumi occasio explicandi mortificationem sensuum, quæ est ex potissimis mediis ad castitatem conservandam; videri potest Drexelius in Niceta. l. 2. c. 9. & Stimulus virtutum l. 1. c. 11.

Prov. 4. v. 23.

IX. Potest ex occasione fabulæ de Daphnide fugiente Procum, & in laurum conversâ, ostendi 1. Quòd optimum medium sit, fugere: cujus figura fuit mulier in Apocalypsi, fugiens in solitudinem, ut vitaret Draconem, ibique inveniens sedem paratam à Deo. Quem in finem servire multum poterit stimulus virtutum l. 1. c. 7. 8. 9. 10. 2. In specie, quænam res fugiendæ sint, nempe otium, societas mala, saturitas ventris, libri inhonesti, saltatio, de quibus iterum videri potest Stimul. l. 1. c. 12. 14. 15. 22.

Apoc. 12. v. 6.

X. Potest ex occasione insignis facti S. Bernardi quo clamavit: Latrones, Latrones &c. ostendi, quàm verè S. Bernardus eos Latrones vocaverit. 1. Quia ut Latrones, seducunt cantu. 2. Quia ut latrones: spoliant divitiis virtutum & meritorum. 3. Quia omninò denique animam occidunt. 4. Quia inter bestias in silvis obscuris habitare solent. Vide Drexelii Nicætam l. 1. c. 9. & Stimulum virt. l. 1. c. 14. & 15.

§. XI.